





~~9. IX. 20.~~

~~E VII 274~~

~~11 85~~

M

PRINCIPIA
TOTIUS
THEOLOGIÆ
MORALIS ET SPECULATIVÆ,
EX
S. SCRIPTURA, CONCILIIS,
SANCTIS PATRIBUS,
MAXIME
S. AUGUSTINO,

Et aliis probatis Auctoribus compendiosè
deprompta,

A U T H O R B

FLORENTIO DE COCQ,

Ecclesiae S. Michaëlis Antverpiæ Ord. Præmonstr. Canonico,
ac ibidem S. Theologiæ Lectore.

TOMUS TERTIUS.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus BALTHAZARIS AB EGMOND
Sociorum. M. DC. LXXXII.

Cum approbatione,



I N D E X

TRACTATUUM, CAPITUM
ET SECTIONUM.

TRACTATUS SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De Mysterio Incarnationis.

SECT. I.	A	N Incarnatio Possibilis fit , con-	
		veniens , & necessaria. fol. t	
II.		An incarnatio facta fit: 3	
III.		De fine Incarnationis. 6	
IV.		An si homo non peccasset , Deus Incarnatus	
		fuisse. 7	
V.		De Vnione Hypostatica. 10	
VI.		Quanam verbum assumpserit. 12	
VII.		An verbum assumpserit defectus natura	
		humanae. 15	
VIII.		Quanam persona potuerit incarnari. 17	

CAPUT SECUNDUM.

De Communicatione Idiomatum in
Christo.

SECT. I.	Q	Vid fit Idiomatum communica-	
		tio , & quomodo fiat. 19	
		* 2	II, De

I N D E X.

<u>II. De Gratia Christi.</u>	<u>22</u>
<u>III. De Scientia Christi.</u>	<u>24</u>
<u>IV. De Potentia animæ Christi.</u>	<u>26</u>
<u>V. De voluntate & libertate Christi.</u>	<u>27</u>
<u>VI. Quomodo consistat libertas Christi, cum ejus impeccabilitate, visione beatificâ, & predefinitione divinâ.</u>	<u>29</u>
<u>VII. De Merito Christi.</u>	<u>31</u>

C A P U T T E R T I U M.

De Satisfactione Christi.

<u>SECT. I. A</u> n Christus satisfecerit condi-	
<u>gnè pro peccatis nostris.</u>	<u>35</u>
<u>II. An & quomodo Christus pro omnibus sit mor-</u>	
<u>tuus.</u>	<u>36</u>
<u>III. De Subjectione Christi.</u>	<u>38</u>
<u>IV. De Oratione Christi.</u>	<u>40</u>
<u>V. An Christus sit Sacerdos.</u>	<u>42</u>
<u>VI. De Christo Rege & Propheta.</u>	<u>44</u>
<u>VII. De Prædestinatione Christi.</u>	<u>45</u>

C A P U T Q U A R T U M.

De adoratione Christi & Sanctorum.

<u>SECT. I. D</u> e Adoratione Christi.	<u>47</u>
<u>II. Q</u> uod & quomodo Sancti à nobis <u>invocari possint.</u>	<u>49</u>
<u>III. De Cultu Imaginum & Reliquiarum.</u>	<u>52</u>
<u>IV. Quadam in veneratione Sanctorum & ima-</u>	
<u>ginum observanda.</u>	<u>58</u>

INDEX.

V. De Diva Virgine , ejusque Cultu.	62
VI. De Antichristo.	66

TRACTATUS SEPTIMUS.

De Sacramentis.

CAPUT PRIMUM.

SECT.I.	Q	<i>Videtur & quotuplex sit sacramen-</i>
		<i>tum.</i>
		69
II.	<i>An Sacra-menta N. L. sint immediatè a</i>	
	<i>Christo instituta.</i>	71
III.	<i>De Ministro Sacra-mentorum intentione.</i>	75
IV.	<i>De fide & probitate Ministeri.</i>	79
V.	<i>De suscipientibus Sacra-menta.</i>	81
VI.	<i>De efficacia Sacra-mentorum.</i>	83
VII.	<i>De effectibus Sacra-mentorum.</i>	86
VIII.	<i>De reviviscentia Sacra-mentorum.</i>	88
IX.	<i>De Numero Sacra-mentorum N. L.</i>	90
X.	<i>An in omni statu fuerint Sacra-menta nece-</i>	
	<i>saria.</i>	92
XI.	<i>Ad quid sit principaliter Circumcisio insti-</i>	
	<i>tuta.</i>	93

C A P U T S E C U N D U M.

De Sacramentis in particulari.

SECT. I. **D**E Sacramento Baptismi. 96
II. De materia & formâ Baptis-
mi. 98

I N D E X.

III. De Baptismo Parvolorum.	101
IV. De Baptismo Adulorum.	102
V. De Baptismo Hæreticorum.	104
VI. De Ceremoniis Baptismi.	105
VII. De subiecto capaci Sacramenti Baptismi.	107
VIII. De Ministro Sacramenti Baptismi.	109
IX. De Effectibus Baptismi.	111
X. De differentia inter Baptisma Joannis Baptiste, & Baptisma Christi.	112
XI. De Baptismo Flaminii & Sanguinis sive Martyrio.	114
XII. De Obligatione Christiani orta ex Baptismo.	116

C A P U T T E R T I U M.

SECT. I. D E Sacramento Confirmationis.	117
II. De Materia Confirmationis.	119
III. De forma & Ministro Confirmationis.	121
IV. Quinam possint & debeant Confirmari.	123
V. De effectibus & ceremoniis Confirmationis.	124
VI. De Obligatione Christiani ex Confirmatione.	125

C A P U T Q U A R T U M.

De Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.	
SECT. I. Q uid sit Sacramentum Eucharistie.	126
II. Quanam sit materia Eucharistie.	128
III. An	

I N D E X.

III. <i>An panis ille debeat necessariò esse azy-</i>	
<i>mus.</i>	130
IV. <i>De materia Calicis, sive de Vino & de</i>	
<i>vite.</i>	132
V. <i>De Aqua Vino admiscenda in hoc Sacramen-</i>	
<i>to.</i>	135
VI. <i>De praesentia & determinatione materia</i>	
<i>predictæ.</i>	137
VII. <i>De forma consecrationis Panis & Vini.</i>	138
VIII. <i>De Transsubstantiatione.</i>	141
IX. <i>De vera, Reali, & substanciali praesentia</i>	
<i>Corporis Christi in hoc Sacramento.</i>	143
X. <i>Quomodo Christus sit vere præsens in hoc Sa-</i>	
<i>cramento.</i>	146
XI. <i>De immutationibus miraculosis in Eucha-</i>	
<i>riftia.</i>	149
XII. <i>De effectibus Eucharistie.</i>	150
XIII. <i>De Necessitate hujus Sacramenti.</i>	152

C A P U T Q U I N T U M.

De Sacrificio Missæ.

SECT. I. A N Eucharistia sit verum Sacri-	
<i>ficium.</i>	155
II. <i>In qua parte Missa sita sit ratio Sacrifi-</i>	
<i>cii.</i>	158
III. <i>De fructu Sacrificii Missæ.</i>	161
IV. <i>An hoc Sacrificium sit valoris infiniti.</i>	163
V. <i>De Rubricis missalis, earumque obligatio-</i>	
<i>ne.</i>	165
VI. <i>Expositio Rubrica prima de preparacione.</i>	
* 4	<i>cele-</i>

I N D E X.

<i>celebraturi.</i>	168
VII. Prosecutio Expositionis Rubrica.	170
VIII. Annotatio ad rubricam secundam & ter-	
tiam.	173
IX. De offertorio & ritibus ejusdem.	177
X. De Canone, ejusque ritibus.	178
XI. Varia in Canone notanda.	183
XII. Le Communione Sacerdotis & praambu-	
lii.	ibi ¹
XIII. De Communione Laicorum.	186
XIV. An Laici Communicare debeant sub utra-	
que specie.	191
XV. De frequenti communione Laicorum.	193

D E C R E T U M.

<i>Circa Communionem Quotidianam.</i>	200
XVI. De Post-Communione & partibus sequen-	
tibus missæ.	203

C A P U T S E X T U M.

SECT. I. D E Defectibus Missæ.	205
II. De defectibus forma.	207
III. De defectibus ex parte Ministri.	208
IV. De defectibus ex parte dispositionis corpo-	
rū.	210
V. Quandonam quis possit communicare non je-	
junus.	213
VI. De aliis defectibus Corporis.	215
VII. De	

INDEX.

VII. De Ecclesiis & oratoriis.	216
VIII. De Violatione Ecclesie.	221
IX. De aliis Missæ defectibus.	223
X. De Altari, ejus paramentis & tempore Mis- ſæ.	225
XI. De Obligatione Sacerdotum celebrandi, & ſtipendio.	227
XII. An liceat uno die plures Missas celebra- re.	230
XIII. De obligatione Fidelium audiendi Mis- ſam.	231

APPENDIX.

De Sanctificatione diei festi.	234
---------------------------------------	------------

CAPUT SEPTIMUM.

De Sacramento Pœnitentiæ.

SECT. I. A N pœnitentia sit virtus, & qua- lis.	241
II. De revivificantia peccatorum per pœnitentiam remissorum.	244
III. Undenam detur Virtus Pœnitentia & quo- modo.	245
IV. An Pœnitentia sit Sacramentum.	247
V. De formâ Pœnitentia.	248
VI. De Materia Pœnitentia.	251
VII. De Contritione.	252
VIII. An Contritio salutaris possit esse sine Cha- ritate.	254
IX. Quid	

I. N D E X.

<u>IX. Quid in hac parte sentiat Concilium Tridentinum.</u>	266
<u>X. Quid in hac parte senserit Lutherus, & in quo sit condemnatus.</u>	270
<u>XI. An ex Concilio Tridentino probari possit attritionem formidolosam esse insufficientem ad justificationem in Sacramento Pœnitentia.</u>	274
<u>XII.</u>	277
<u>XIII. Refutantur subsequentia ejusdem Authoris.</u>	284
<u>XIV. Examinatur authoris ejusdem subsequens responsio.</u>	290

A P P E N D I X.

<u>Qualis amor Dei propter se requiratur & sufficiat in Sacramento ad justificationem obtainendam.</u>	297
<u>XV. De Reliquis concernentibus contritionem.</u>	301
<u>XVI. De contritione mortalium & venialium.</u>	304

C A P U T O C T A V U M.

De Confessione.

<u>SECT. I. Q</u> uo jure necessaria fit Confessio.	306
<u>II. De Precepto Ecclesiastico Confessionis.</u>	310
<u>III. Qualis debeat esse Confessio.</u>	312
<u>IV. Quomodo Confessio debeat esse integra.</u>	313
<u>V. An</u>	

I N D E X.

- V.** An, & quomodo peccata dubia sint confitenda. 317
- VI.** Respondetur argumentis in contrarium allatu. 320
- VII.** De absolutione moribundi qui nulla doloris signa Sacerdoti ostendit. 322
- VIII.** Quanam ab integritate confessionis excusent. 324
- IX.** An melius sit sapienter confiteri quam raro. 325
- X.** De Confessario, sive ministro Confessionis. 328
- XI.** An præstet uni & eidem confessario confiteri, an verò diversis. 332

C A P U T N O N U M.

De Officio Boni Confessarii.

- SECT. I.** **D**E Scientia in Confessario requisitâ. 334
- II.** De Prudentia Confessarii. 336
- III.** De admonitione Confessarii quoad pænitentes. 337
- IV.** Quid ager Confessarius cum rudiori pænitente. 340
- V.** Quid ager Confessarius cum scrupulosis. 342
- VI.** Quid ager Confessarius cum hæreticis conversis. 343
- VII.** Quid ager Confessarius cum consuetudinariis? 344
- VIII.** Quam occasionem peccati debeat pænitens relin-

I N D E X.

<i>relinquere in Conscientia.</i>	348
X. De aliis, quæ in Confessione observanda da sunt Confessariis.	354
X. De Probitate Confessarii hic requisita.	358
XI. De approbatione Confessarii.	360
XII. De Reservatione Casuum.	363
XIII. Quid ager Confessarius cum pænitentibus habentibus peccata reservata.	366
XIV. Quomodo defectus confessionis sint plendi	sup- 168.
XV. De Sigillo Confessionis.	369
XVI. De satisfactione.	373
XVII. De ritu administrandi Sacramentum Pænitentiae.	378
XVIII. De Indulgentiis.	380
XIX. De causâ & effectibus indulgentiarum.	382
XX. De dispositionibus requisitis ad lucrandas Indulgencias.	386
XXI. De Jubilao.	389

D E P U R G A T O R I O.

§. I. An detur Purgatorium.	391
§. II. Ubi sit Purgatorium.	396
§. III. De pñâ Purgatorii	397
§. IV. De conditionibus animarum in Purgatorio.	399
§. V. De suffragiis pro animabus defunctorum.	401

DE

I N D E X

D E C E N S U R I S.

§. I. Quid , & quotuplex sit Censura.	403
§. II. Quinam possint ferre censuras , & in quas personas.	405
§. III. Ob quam causam possit ferri censura , & qua à censurâ excusent.	408
§. IV. De modo seu formâ , quâ fertur censura.	412
§. V. De absolutione à censuris.	413
§. VI. De Ritu absolvendi à Censuris.	421
§. VII. De Excommunicatione.	423
§. VIII. Quomodo sit intelligenda excommunicationis Canonis , si quis suadente diabolo , contra percussores Clericorum.	425
§. IX. De Vitandis Excommunicatis.	429
§. X. De suspensione , & interdicto.	432
§. XI. De Irregularitate.	436

C A P U T D E C I M U M.

De Extremâ Unctione.

SECT. I. Q uod extrema Unctio sit Sacramentum.	440
II. De materia extrema unctionis.	443
III. De forma extrema unctionis.	446
IV. De ministro & effectu extrema unctionis.	448
V. Quibus sacramentum hoc debeat conferri.	450
VI. An,	

I N D E X.

- VII.** An Fideles debeant hoc Sacramentum suscipere, & quando Parochus teneatur hoc Sacramentum administrare. 453

C A P U T U N D E C I M U M.

De Ordine.

- SECT. I.** **A** N Ordo sit Sacramentum. 455
II. **A** De distinctione ordinum eorumque officiis. 456
III. An omnes ordines sint Sacramentum. 462
IV. De Ministro & subjecto ordinis. 469

C A P U T D U O D E C I M U M.

De Matrimonio.

- SECT. I.** **D** E Sponsalibus. 474
II. **D** Quandò, & ubi fieri debeant sponsalia. 478
III. Quomodo sponsalia dissolvantur. 480
IV. Quid in sponsalibus observandum sit. 484
V. De præparatione ad Matrimonium. 485
VI. De Matrimonio secundum se, an sit Sacramentum. 488
VII. De Ministro Matrimonii. 494
VIII. De materiâ & formâ Matrimonii. 497
IX. De objecto consensûs Matrimonii 499
X. De consensu orto ex metu. 503
XI. An Matrimonium sit res licita, & precepta, 504
XII. De

I N D E X.

XII. De Polygamia.	506
XIII. De Indissolubilitate Matrimonii.	508
XIV. An Matrimonium non consummatum dis-	
solvatur per ingressum Religionis.	510
XV. De Divortio.	513
VVI. De debito conjugali.	516
XVII. Quo fine debeat fieri copula.	518

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De impedimentis Matrimonii.

SECT.I. C ujus sit ponere impedimenta Matrimonii.	§21
II. De impedimento erroris.	523
III. De impedimento voti & Ordinis.	524
IV. De impedimento consanguinitatis.	526
V. De impedimento affinitatis.	529
VI. De Impedimento Ligaminis & publica ho- nestatis.	530
VII. De impedimento criminis & raptae.	531
VIII. De impedimento impotentia.	533

A P P E N D I X.


An Episcopi Belgii possint dispensare in impedi- mentis dirimentibus Matrimonii.	536
IX. De Matrimonio clandestino.	539

INDEX.

APPENDIX.

<u>An Matrimonia clandestina sint irrita per totum Belgium.</u>	541
<u>X. De disparitate cultus.</u>	543
<u>XI. De Impedimentis Impedientibus.</u>	556

TRACTA-



TRACTATUS VI.

C A P U T P R I M U M.

De Mysterio Incarnationis.

S E C T I O P R I M A.

An Incarnatio Possibilis fu^t, conveniens, & necessaria.

NE homo diabolicæ fraudis astutiâ jam actus in culpam, contrâ Dei propositum periret; opus fuit secreti dispensatione Consilii, quo Deus misit filium suum in hunc mundum, factum ex muliere, factum sub lege ut eos qui sub lege erant, redimeret. Ex eo autem, quod incarnatio facta sit, rectè consequitur eam esse possibilem. Deinde in eo nulla apparet implicantia, quod filius in divinis assumat naturam humanam, quod in carnatio importat, cum sit idem quod assumere carnem, id est hominem, qua phrasî in significando hominem per Synechdochem, utitur aliquando Sacra Scriptura, ut dicitur Genes. 6. cap. dicitur: *Omnis quippe caro corruperat viam suam;* & alibi.

*Possibilitas
est incarnationis
Christi.*

Dico 1. Per incarnationem verbum divinum non *Per incarnationem nullam* mutaretur, cum in se idem omnino manens, nullam intrinsecam perfectionem acquireret, ut postea dicitur. Quamvis ergo aliquid novi accedat verbo ex assumptione naturæ humanæ, nihil tamen ex illa perfectionis de novo recipit, quod ante non habebat. Unde appositi S. Leo Serm. 9. in statis. *Natura, ait, incommutabili, nec addidit aliquid natura nostra, nec minuit:* Rationem addit idem S. Doctor Serm. 5. de nativ. ubi ait: *Mutabile est non solum quod minuitur, sed etiam* Tom. III. A

nulla fabula est in verbo mutationis.

DE INCARNATIONE.

etiam quod augetur. Verbum autem divinum est immutabile.

Naturali ratione non potest incarnationis probari nequit. Unde Cyrillus de recta fide : *Est sane incarnationis modus admodum subtilis, vereque inexplicabilis, talis demum, qui cogitationis captusque nostri angustias, multis partibus excedit.*

Dices, teste Ambroſio scivit Diabolus Christum esse venturum. Resp. Cum S. Aug. tract. 7. in Joan. *Immundi spiritus noverant venturum Iesum Christum, audierant ab Angelis, audierant ex Prophetis.* Idem dicendum de Sybillis Christum prædicentibus, niſi cum aliis, eis assignes Propheciæ donum.

Dices, Angeli, juxta dicta, comprehendunt natu-ram humanam, ergo etiam illud, quod potest ipſi competere, adeoque & incarnationem. Resp. Co-gnoscunt omne id, quo t ipſi naturaliter competere potest, ſic verum eſt : falſum autem, quod cognof-cant omne id, quod potest ipſi competere supernatu-raliter.

Congruentia incarnacionis. Dico 3. Incarnatio eo ipſo, quo facta eſt, fuit con-veniens. Quod facta ſit, ſequenti ſectione 2. demon-strationu. Strabitur. Nihil enim à Deo fit, niſi sit convenientiſ-ſimum. Rationes autem congruentiae poſſent dici, prima quidem, quod conveniret, ut idem eſſet gene-riſ humani redemptor, qui fuerat conditor : 2. quod hoc pacto bonitatem & ſapientiam ſuam nobis Deus maniſtaret. 3. ut ipſe Deus nobis eſſet exemplo : Denique ut ſatisficeret Deo offenſo, ad quod Deo ſi-mul & homini opus erat, cùm nec ſolus Deus poenam ſentire, nec ſolus homo potuifſet eam ſuperare.

Incarnationis liberetate. Dico 4. Etiā incarnatio liberē à Deo ſit decreta, ta-tio ſuit lib̄men ſuppoſito quod Deus vellet genus humanum re-berē af̄ parare condigna ſatisfactione, fuit omnino neceſſa-riā ſi neceſſa-riā : etiā alia non fuerit omnino neceſſaria ad repa-fariō ex rationem generis humani, cùm vel potuifſet culpām hypothēſi homini condonare, vel Angelicam naturam affumen-do,

do, vel ad levem satisfactionem hominem obligandò.

Probatur tamen conclusio quoad priorem partem, Pura
ex predicta sententia, quia nec purus Deus, nec pura
creatura potuisset plenè satisfacere. Non Deus, quia
satisfactionis requirit subjectionem: non homo, quia cum
offensa fuerit infinita, ratione personæ infinitæ offendit,
satisfactionis debet esse infinita, quæ puræ crea-
turæ non potest competere.

Dices ergo nec poterit condignè satisfacere homo pro peccato veniali, cum per illud Deus quoque offendatur. Resp. Potest homo pro peccato veniali satisfacere, sustinendo pœnam veniali debitam, quæ sit finita & tolerabilis. Deinde per peccatum veniale, non aufertur absolutè honor Deo debitus, cum per illud Dei amicitia non contemnatur.

Dices, potuisset aliquis creari tantæ virtutis v.g.: Angelus, ut potuisset condignè satisfacere: Deinde potest unus alteri mereri primam gratiam: ergo. Resp. Eo ipso quo illud quod crearetur, esset creatura, esset quoque finitæ dignitatis, adeoque poterit tantum eatenus satisfacere, ubi tamen offensa erat finita, ut persona offensa. Deinde eis si possit quis alteri mereri gratiam primam, quamdiu alter Deum non affecerit gravi inuria, non tamen id potest, si gravi affecerit, uti hic supponimus.

Dices denique: malitia peccati mortalis est finita, ergo poterit finita creatura illi satisfacere. Resp. Est quidem finita, si spectetur bonum quo privat, puta gratiam, &c. Est tamen infinita, si spectetur injuria & contumelia personæ infinitæ illata.

SECTIO II.

An incarnationis facta sit.

OSTENS A incarnationis possibiliitate, dicendum incarna-
eam factam esse. Probatur generaliter contra tionis fa-
omnes etiam gentiles, primo ex miraculis Christi, vel cua proban-
tio e

DE INCARNATIONE.

4 in ejus nomine factis , quorum meminerunt , non tantum Historici fideles , sed & ethnici ; ut silentium impositum oraculis deorum , cuius meminit Plutarchus : stupenda & praeternaturalis eclypsis tempore mortis Christi , &c. Deinde hoc probari potest , ex mirabili conversione totius mundi ad fidem Christi , per paucos pescatores , martyribus ultra naturae vires , pro Christo mortem sustinentibus , &c.

Contra gentiles. Specialiter tamen probari potest incarnatio contra Judæos , ex Prophetia Jacob jam morti proximi , Genes. c. 48. ubi dicitur. *Non auferetur scepterum de iuda & dux de femore ejus , donec veniat qui mittendus est , & ipse erit expectatio gentium.* Quâ prophetiâ innuitur , non defuturos Reges , duces , judices , &c. In Juda , donec veniat Christus ; atqui jam dudum illi defecrunt , vagantibus per totum orbem Judæis , sine lege , duce , &c. Ergo Christus advenit.

Probatur secundò ex prophetia facta ab Angelo Gabriele c. 9. Danieli , scilicet venturum Christum Dominum post 70. Hebdomades , idest annos , ac deinde Judæos devastandos & dissipandos , Jerosolymam evertendam , &c. Quod tempore Christi implementum fuit , ut fusè circa illum Danielis locum testantur interpres passionis.

Objiciunt ad prius , Sceptrum de Juda ablatum esse tempore Saulis aut Jeroboam , aut saltem in Nabuchodonosor , qui abstulit Sceptrum de Israël , quando Sedecias ductus est in captivitatem. Quod etiam patet ex eo , quod diu ante Christum natum regnarint Judæi Machabæi , qui non erant de tribu Juda. Resp. in primis , tempore Saulis non esse ablatum regnum Judæ , sed potius confirmatum per Davidem. Tempore Jeroboam vero , non fuit omnino ablatum , sed tantum imminutum. Deinde Prophetia non fuit impleta in Nabuchodonosor , cum ipse non sit expectatio gentium , nec Messias , sed Danielis 3. dicitur pessimus supra omnem terram. Adde quod tempore captivitatis illius , quod fuit solum 70. annorum , absoluto redi-

redividerit imperium ad Judam, puta ad Salathiel & Sorobabel. Denique eo tempore tribus Juda habuit Duces, ut patet Dan. 13. Ad Machabæos quod attinet, Resp. quod licet illi non fuerint ex tribu Juda tamen vox *Juda* in dicta Prophetia Gen. 48. non sumitur pro tribu Juda, sed pro populo judaico, qui populus post captivitatem à Juda nomen accepit, eo quod sola tribus Juda integra remansisset, & paucis ex aliis tribubus permixta; vel etiam, quia tribus Juda habebat jus eligendi Ducem & sedem regni possebat, puta Jerusalem. Addunt alii Machabæos fuisse ex tribu Juda secundum lineam maternam, unde & Machabæi aliquando in libris Machab. vocantur *viri Judeæ*,

Objiciunt ulterius Iсаіæ 2. dici, Christum venturum in novissimis diebus: item tantum venisse anno 29. Herodis Ascalonitæ, ubi tamen citius venire debuisset, si Prophetia fuisset in Christo adimpta. Resp. non requiritur ad verificationem Prophetiarum quod eadem præcisè horâ aut die veniat Christus, sed satis est, eum venisse circa illa tempora, sic ut alia interini de eo quoque verificantur. Deinde venit Christus in novissimis diebus, scilicet legis veteris, quia veniente Christo cessavit lex vetus cum suis ritibus.

Objiciunt denique Christum venturum in igne & Majestate magna. Resp. veniet Messias in igne in fine saeculi: Deinde venit in Majestate magnâ, cum ejus Regni non sit finis, per fidem & legem Evangelicam, ubique nomine ejus gloriose. Denique venit Christus in summa pace, tum temporali & mundana, tum spirituali, cum nos omnes ex servitute dia-boli eripuit, & libertati donavit.

Factis ergo quæ per Prophetas prædicta sunt de Messia, recte Joannes dicit 1. & *Verbum caro factum est*, &c.

SECTIO III.

De fine Incarnationis.

*Finis
primarius
& secun-
darius in-
carnatio-
nis.*

DICENDUM primò, Finem incarnationis esse reparationem homini's lapsi. Probatur ex c. 19. Lucæ ubi dicitur : *Venit Filius Hominis querere, & Salvum facere, quod perierat.* Et S. Aug. serm. 9. de verb. Apost. *Nulla, ait, causa fuit ventendi Christo Demino, nisi peccatores salvos facere.*

Dicendum 2. Quod licet alibi assignet Scriptura pro fine incarnationis, Dei bonitatem, sapientiam, exaltationem naturæ humanæ, exempla virtutum nobis data, &c. Tamen illa intelligenda sunt partim pro suo effectu, idest pro opere, quod fit ex divina bonitate, &c. Partim quod exaltatio naturæ humanæ, intenta sit secundariò, mediante Christi Passione; partim denique, quod exempla virtutum nobis data, ad reparationem spectent generis humani.

*Decretum
incarna-
tionis est
posteriorius
decreto
hominem
reparan-
dis.*

Dicendum 3. Decretum incarnationis fuit posterius decreto hominem salvandi & reparandi. Verum et si Christus sit causa exemplaris & meritoria nostræ prædestinationis, adeoque prius prædestinatus, quam nos simus prædestinati, tamen prædestinatione Christi facta fuit, post decretum hominem salvandi & reparandi. Pro cuius pleniori intelligentia notandum est, duplex in Deo decretum, unum generale hominem reparandi, aliud particulare hominem per certa media infallibiliter liberandi sive prædestinandi, quod decretum ab alio diversum est, cum unum sit generale, & totum genus humanum respiciat: Aliud sit particulare, & aliquos solummodo respiciat, scilicet prædestinatos. Decretum ergo illud generale, hominem reparandi, fuit prius, prædestinatione Christi, quia ex eo decrevit incarnationem. Fuit tamen

tamen posterius decretum prædestinationis humanæ, prædestinatione Christi, quæ fuit exemplar & causa meritoria prædestinationis humanæ. Hinc in Deo tale decretum considerare possumus, quod ita statuerit: Nolo genu humanum in Adamo lapsum perire, sed volo reparare & rediinere, & ideo volo mittere filium meum in mundum, ob cujus merita quæ prævideo hos vel illos prædestino.

Dicendum 4. Errare Judæos, arbitrantes Messiam futurum solummodo corporum redemp:orem, non autem animarum, ut etiam temporalium bonorum tantum authorem, non item spiritualium. Errarunt quoque pelagi docentes Christum venisse solummodo, ut nobis præberet exempla Sanctitatis, unde dicebant finem Christi esse, *Tollere peccata morum, non seminum*, ubi tamen Danielis 9. de eo dicitur: quod venturus sit, *Ut finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna.*

*Messias
est author
& redemp-
tor quoad
bona ani-
ma.*

SECTIO IV.

An si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

DUPLEX est hic sententia. Una docet, Christum venturum fuisse, etiamsi homo non peccasset, idque ob perfectiones & convenientias, quas secum adferat ipsa incarnatio, adeoque prædestinationem Christi à Deo factam, ante prævisionem peccati, quod tamen Augustino aperte repugnat.

Dicendum ergo primò: Quod si homo non peccasset, incarnatio facta non fuisset. Probatur 1. ex innumeris Scripturæ locis, quæ causam incarnationis refundunt in salutem generis humani. Idem constanter assertur SS. Patres, ut Augustinus serm. 8. de *set.* verb. Apos. ubi ait: *Si homo non perisset, Filius hominis non venisset.* Et S. Leo serm. 3. de Pentec. *Quod si homo in natura sue honore manisset, creator creature*

*Christus
non ve-
nisset, &
Adams
non pecca-*

8 DE INCARNATIONE.

non fieret. Adeò ut apertè dicat S. Aug. Serm. 9. de verb. Ap. *Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores salvos facere.* Adde quòd hoc solum pro dicta sententia sufficiat, quòd contrarium nullibi in Scriptura, aut SS. Patribus sit fundatum, uti probabitur. Denique illud satis innuunt Patres Concilii Niceni, dum in Symbolo addunt, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est, &c.* Idem innuit Ecclesia, dum in benedictione Cerei Paschalis ita canit: *O vere necessarium Adæ peccatum, quòd talem ac tantum meruit habere redemptorem.*

Objiciunt alii. Quidem Christus non venisset in carne passibili, si homo non peccasset: venisset equidem in carne impassibili, & hoc tantum innuunt SS. Patres prædicti & aliorum testimonia. Ad quod resp. quòd sicut talis Christi incarnatione sine fundamento adstruitur, ut alia multa Theologicæ Doctrinæ non parum perniciosa, ita facile per se refellitur & rejicitur. Deinde nullibi SS. Patres meminerunt ejusmodi incarnationis, sed absolute docent, incarnationem factam non fuisse, si homo non peccasset; solam causam veniendi Christo fuisse, peccatores salvos facere, &c.

Generatio Divini Objicies 2. prov. 8. dicitur de sapientia æterna five Christo: *Dominus possebit me in initio viarum Verbi fuit suarum, antequam quidquam ficeret a principio: ab æternab aeterno no ordinata sum, &c.* Ad quod Resp. uti ad alia similia, hic propriè agi de generatione divina, quæ facta est ab æterno, etiam ante prævisionem lapsus, alia autem generatio temporalis, five incarnatione a Deo decreta fuit post prævisionem lapsus Adami. Deinde et si ibidem Sapientia æterna vocet Deum Dominum, nihil obstat, cum tantum vocet Dominum univerorum, quæ facta & creata sunt.

Quismodo Adam in statu innocentia Objicies 3. Adæ in statu innocentiae revelatum est mysterium Incarnationis, ut ordinabatur ad consummationem gloriæ, ut ait D. Th. adeoque creditit quòd

quòd gloria hominis beati consummanda esset per credideris
merita Christi , unde & debuit prævidere suum la-
psum , quod non admittitur , aut gratia & gloria non
esset ex meritis. Resp. in primis potuit hoc credidisse
de Christo ut objecto , ex cuius aspectu homines
essent beatificandi , et si non tamquam causa merito-
ria & per modum liberatoris. Deinde et si scierit
Adam adventum Christi , potuit tamen ignorasse ad-
ventus causam.

Objicies 4. et si Adam non peccasset , fuisse equi-
dem Ecclesia , cuius Caput est Christus. Resp. eo
casu Ecclesiam habituram fuisse Caput invisibile ,
puta ipsum Deum.

Objicies 5. Matrimonium in statu innocentiae fuit
signum conjunctionis Christi cum Ecclesia , quod
tale signum permanisset , et si Adam non peccasset.
Resp. eo casu fuisse quidem tale signum , sed aliter
quam Christus conjunctus esset Ecclesiae per unionem
hypostaticam , puta per fidem , per influxum gratiæ
&c.

Quæres an ergo incarnatio sit ex culpa. Resp. quod Quomodo
sic , scilicet ut ex causa occasionali , occasione cuius incarnatione
facta sit incarnatio. Nec ideo de illa culpa gaudere ^{tio sit ex}
licet , uti nec licet de malo aliquo. Neque etiam hæc
ratione debebat Christus gratias agere Adæ , occa-
sione cuius foret productus , non magis quam Petrus
succurrens Paulo à prædonibus invaso , gratias agere
tenetur prædonibus , quòd Paulo succurrere possit.

Quæres ultimò , an Incarnatio facta sit principalius Ob quod
ob peccatum originale , quam actuale. Resp. qua- Peccatum
tenus peccatum originale est extensivè majus , id est pri- sit principi-
totam humani generis progeniem inficiens , sic prin- ^{ca} incar-
cipalius illi mederi venit Salvator. Ex quo tamen non natio.
sequitur deletionem peccati actualis esse tantum
finem secundarium incarnationis , tum quia San-
guis Christi emundat nos ab omni peccato , & ut ait D. Leo
serm. 2. de nat. : Venit (Christus) ut omnem lan-
guorem corruptionis , & universa vulnera fordanium
cura-

curaret animarum. Deinde notandum, peccatum actualē, etiam commune esse toti naturae per peccatum corruptae secundum propensionem ejusdem, adeòque etiam directe venerit Christus ad illud auferendum. Principalius tamen venit, ut maius malum, scilicet originale, excluderet, id est cum majori complacentiā venit, illud auferendi. Ex quibus infero, quod et si peccatum originale non fuisset, sed sola actualia, in præsenti statu Deum equidem in carne fuisse venturum.

SECTIO V.

De Unione Hypostatica.

*Quid sit
Unio Hy-
postatica.*

DICENDUM primò, unio Hypostatica non fuit necessaria ad reparationem hominis lapsi. Probatur: quia unio hypostatica nihil est aliud, quam substantialis conjunctio, quam humanitas Christi unita est personæ verbi. Aliquando tamen sumitur pro actione, quæ pro suo objecto & termino habet talem unionem. Quod autem unio illa non fuerit necessaria ad reparandum genus humanum, clarum est ex eo, quod aliis modis potuerit Deus homini subvenire, quam assuinendo naturam humanam, puta liberaliter culpam condonando &c.

Dicendum 2. fuisse unionem illam omnino necessariam stante decreto, quo voluit hominem redimere, per condignam satisfactionem. Probatur ex antedictis sectione 1.

*Non est
realiter
distincta
ab extre-
mis.* Dicendum 3. unio illa non debet dici esse realiter distincta ab extremis, sed sufficit, ut dicatur esse ipsa unionis extrema certo modo sibi unita, connotando simul voluntatem Dei, ut natura humana sit conjuncta verbo, & fiat illi propria. Etsi enim verbum possit existere sine natura humana sibi unita, ex quo deducere volunt alii unionem ab extremis esse realiter diversa.

diversam ; inde tantum sequitur , quod unio illa periret secundum denominationem extrinsecam jam dictam , non autem secundum suam entitatem. Deinde nihil novi Deus produxit rigorosam actionem , quando produxit unionem , quasi produxisset novam ali quam entitatem , sed tantum produxit aliquid generaliter , faciendo scilicet , ut extrema de novo posserentur in aliquibus circumstantiis , in quibus ante non erant.

Dicendum 4. unio predicta verbi non est facta in natura , hoc sensu quod natura divina per se & gratiam sui unita sit naturae humanae , adeo ut si per impossibile supponeretur , naturam divinam non co-^{Quare}
^{tione nno}
^{illa facta}
^{fit su na-}
^{tura,}
nicari tribus personis , natura humana non uniretur divinæ naturæ. Hinc in Conc. Tolet. 6. in confel. fidei dicitur : *Solus Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ , non in unitate naturæ , in eo quod proprium est Filio , non quod commune est trinitati.*

Dicendum 5. neque unio facta est in natura , quasi natura divina conversa sit in humanam aut econtra ; aut etiam in se invicem commixta & confusa , vel quod ex illis duabus sibi unitis exsurgat aliqua tertia natura. Probatur , quia ut ait S. Leo epist. 11 , decret : *Nec verbum igitur in carnem nec in verbum caro mutata est , sed utrumque in uno manet , & unus in utroque est , non diversitate divisus , non permixtione confusus.* Ratio autem illorum est , quia facta unione mansit Christus verus Deus & verus Homo , unde illæ 2. naturæ non constituunt naturam diversam tertiam , sed unam personam ; *Sicut enim anima rationalis & caro unus est homo , ita Deus & Homo , unus est Christus* ; ait Ath. in symb.

Dicendum 6. facta unione Hypostatica , una tantum in Christo fuit persona. Aperte illud definitum est in Conc. Ephes. contra Nestorium. Idem docet Ath. in symb. dum ait : *Unus omnino , non confusione substantie , sed unitate personæ.* Unde recte S. Prosper I. de prov. Dei. *Sic Homo , sic Deus es , ut non sis alter ,*
[&]
<sup>Una in
Christo
persona.</sup>

& alter (id est alia persona.) notandum tamen;
sæpè Patres dicere verbum assumpsisse hominem ,
quo sensu intelligunt assumpsisse humanitatem , seu
*naturam humanam : unde S. Aug. Enchrid. 13. *Homo,**
ait , natura est.

Creando Dicendum 7. unâ & eâdem actione (idest voluntate Dei) voluit Deus creare animam Christi & eamdem unire verbo. Hinc rectè S. Leo Epist. 21. *Natura p̄iis homi- ra, ait , nostra non sic assumpta est , ut prius creata , post nem.* *assumereetur : sed ut ipsa assumptione crearetur.* Quod autem voluntate & imperio divino unio illa facta sit , declarat S. August. serm. 6. de tempore , dum ita ait. *Deus non generatione , sed iussioni & benedictione con- ceptus est.* Si verò agatur de prioritate naturæ , potest dici prius verbum assumpsisse animam , quam corpus.

S E C T I O VI.

Quanam verbum assumpserit.

Quid per- fons. Dicendum primò , Verbum non assumpsit personam hominis. Persona autem sive suppositum vel hypostasis , nihil est aliud quàm suppositum rationis capax ; si enim aliquid ratione careat , non dicitur persona seu suppositum , sed suppositum purum. Rationem dictæ conclusionis dat D. Thom. eo quod antequam verbum uniretur humanitati , non debeat præintelligi persona hominis , quam assumpsisset verbum , cùm illa persona vel suislet corrupta per assumptionem , vel non : si non , essent in Christo duæ personæ , quod est erroneum : si verò esset corrupta , frustra suislet assumpta : dicitur tamen persona hominis , gratiâ humanitatis , quam assumpsit.

Potuisse Dicendum 2. Nihil implicare , quo minus dicatur verbum personam divinam posse assumere naturam irrationalē. Innuit illud S. P. Augustinus l. de vera Relig. c. 16. dum ait : *Non solum visibiliter (nam id poterat in alio-*

aliquo corpore atberet, ad nostrorum aspectum tolerans temperato, sed etiam hominibus in vero homine apparuit: ipsa enim natura suscipienda erat, que liberanda. Deinde tract. 99. in Joan. confutans illorum dogma, qui dicunt filium apparentem in specie columbae, assumptissime columbae naturam, non refutat eos argumento petitum à repugnantibus, sed quod talis apparitio non nisi *Ad horam facta sit*. Denique verbum in triduo mortis mansit unitum cadaveri. Nec inde se- *Non posset*
quitur, quod propter naturam assumptam irrationali- *ideo dicti*
lem v. g. columbae, posset dici absolute columba; eo *verbum*
quod columba sit rationis expers, adeoque id verbo *esse irra-*
convenire non possit. Poterit tamen secundum quid, *tionalis.*
dici columba, secundum naturam columbinam as-
sumptam, uti etiam verbum potest dici cadaver, se-
condum quid.

Dicendum 3. Solam formam substancialem sine materia posse à verbo assumiri, uti patuit in triduo mor-
tis, quo tempore verbum corpus dimittere potuit
retentā animā. Item juxta communiorē senten-
tiam, quae docet materiam esse posse sine forma, po-
tuit & verbum assumere materiam sine forma.

Dicendum 4. Cūm Christus fuerit verus homo, as-
sumpsit animam & corpus. Unde August. serm. 19. *fuit verus*
Christus
de tempore, *Verbum*, ait, *cero factum est.... & quid homo.*
cero nisi homo? non tamen sine anima in Christo hominis
cero: unde ait, tristis est anima mea usque ad mortem.

Dicendum 5. Verbum in triduo mortis non di-
mississe corpus & animam, cūm juxta Damascenum: *Quod semel verbum assumpsu, numquam dinnisit.* De quo
plura in sequentibus.

Dicendum 6. Verbum assumptissime immediatè om-
nes hominis partes anima rationali informatas, qua-
les sunt, capilli, ungues, &c in illa sententia, quae *Partes*
dōcet eadē vivere anima rationali. Imò, etsi non *hominis à*
informentur aliquæ partes anima rationali, si tantum *verbo as-*
sumptas esse, omnino est admittendum. Nam uti di-
citur

14 QUID CHRISTUS ASSUMPSERIT.

citur in synodo constant. act. 4. Christus, *Animam rationalem, carnemque cum suis proprietatibus assumpsit.*

Dicendum 7. Verbum inmediate assumpsisse sanguinem. Probatur, quia sanguis est pars Corporis humani, ut patet ex Conc. Trid. sess. 13. Can. 30. ubi sumpsus, dicitur sanguinem Christi esse sub speciebus panis, ex vi illius coniunctionis, quā partes Christi inter se copulantur.

Deinde, et si aliorum sententiā, non informetur anima rationali, est tamen talis pars hominis, ut sine ea, homo subsistere nequeat. Denique veriorem judicamus sententiam affirmantem sanguinem informatum esse anima rationali, de quo disputatione Philosophi.

Objicies primò, Si sanguis sit pars corporis, aut anima informatus, ergo debet poni sub speciebus panis vi verborum, sub quibus illorum vi ponitur totum corpus. Resp. sub specie panis vi verborum ponuntur omnes partes Corporis, quae dantur per modum cibi idest partes solidæ, non itidem fluidæ: quā ratione & sensu intelligendi sunt illi, qui aliquando docent, sanguinem non esse partem corporis, idest partem solidam.

Objicies 2. Sanguis in Christi morte effusus, non fuit assumptus à verbo, ergo nec ante mortem: cum quod semel verbum assumpsit, numquam dimiserit. Resp. et si aliqui putent, sanguinem illum à divinitate non fuisse dimissum, sed in resurrectione resumptum: tamen verosimilis apparet, verbum in morte Christi aliquas guttas sanguinis dimisiisse, nec totum sanguinem in resurrectione resumpsisse, ut patet ex variis locis, ubi sanguis Christi aservatur, & teste Nicéphoro l. 2. c. 3. S. Virgo & S. Joannes notabilem partem sanguinis Christi collegerunt: quod et si, incertum sit, certum tamen videtur, Christum vi naturalis caloris alias particulas sanguinis dimisiisse.

Objicies 3. Quomodo ergo verum est, quod ante ait Damascenus, scilicet, illud, quod semel à verbo assum-

assumptum est, nunquam esse dimisum. Resp. Damascenum illud intelligere de paribus principalibus corporis, puta anima, corpore, &c. & etiam de sanguine, non quod quamlibet individuam guttam, sed in specie & indeterminata, quem etiam numquam verbum dimisit.

Dicendum 4. Probabiliter verbum assumpsisse tres alios humores corporis humani, scilicet choleram, pituitam & atram bilem: tum quia verosimilius informantur anima; tum quia ita ad perfectionem humani corporis spectant, ut juxta S. Aug. 12, de civ. 19. post resurrectionem futuri sint in corporibus beatotorum.

SECTIO VII.

An verbum assumperit defectus naturae humanae?

NO TANDUM primò, defectus naturæ nostræ, Quos de-
alios esse communes, quæ toti naturæ obveniunt, sellus cor-
ut famæ, si:is, lassitudo, &c. Alios esse particulares, poris af-
qui ex causis particularibus oriuntur, puta vel ex sumpsis- verbo.
ignorantia particulari vel complexione indebita, &c.
v. g. lepra, sebris, &c.

Hicce positis, dicendum est primò, verbum assumpsisse defectus corporales communes. Hinc Matth. 4. dicitur Christum esuriisse: Joan. 19. sitiuisse: c. 4. fuisse fatigatum, &c. Deinde hac ratione Isaiae 53. dicitur, VERE languores nostros ipse portavit. Contra illos qui putant verbum, non assumpsisse verum & passibile corpus, nec simul veris pœnis obnoxium. Hac ratione rectè ab August. dictum est serm. 1. in Epiph. Deus hominem cum infirmitatibus induit.

Dicendum 2. Verbum non assumpsisse defectus corporis particulares, v. g. morbos, &c. Verosimilius tamen illos assumere potuit, qui nullam habent indecentiam specialem. Quod autem illos non assumpsit

rit, probari potest ex eo, quod morbi proveniant vel ex culpa, vel mala complexione, vel à causa extrinseca v. g. injuria aëris. In Christo autem culpa non *Christo non habet locum*, nec mala complexio, cùm haberit *assumpis.* corpus ab ipso Spiritu Sancto efformatum, nec denique aliquod extrinsecum obfuit, quod non posset facilimè declinare & impedire, quo minus corpori suo noceret: porrò, et si corpus à verbo assumptum esset mortale, nihil tamen inde sequitur repugnans dicitis, cùm mori potuisse sine morbis præviis, merè defectu caloris naturalis.

Defectus anima à v. g. timorem & tristitiam. Hinc Marci 14. dicitur *Cœpit Jesus pavere. & Matth. 26. Cœpit contristari, & mortuus esse.* Qui timor non tantum intelligitur fuisse ex parte appetitus sensitivi, sed etiam rationalis, cùm ex illa Christi tristitia variis SS. Patres colligant & deducant duas in Christo fuisse voluntates.

Objicies, timor est de iis, quæ nobis invitis obveniunt: Unde ait D. Hieronym. in c. 26. *Matth. erubescant, qui putant salvatorem timuisse mortem, & passionis pavorem dixisse, pater si fieri potest, transeat à me calix iste:*

Quomodo Christus timuerit. Resp. dum legitur alibi Christum contristatum, vel ob prodictionem Judæ, vel cæcitatem Judæorum, vel mortem imminentem, certum est eadem tunc Christo displicuisse, saltem secundum appetitum sensitivum, aut inefficaciter secundum voluntatem rationalem, nempe conditionatè: Hinc D. Hieronymus intelligendus est de timore efficaci & secundum appetitum rationalem, quia si efficaciter ita illa timuisset, ea efficaciter noluisset, adeòque non evenissent, cùm omnis Dei voluntas uti & Christi efficax adimpleatur.

Quomodo in Christo nemus: iram quidem, dum Zelo Dei ductus ejecit ementes & vendentes de templo. Iean. 2. Zelus autem est species iræ. Deinde aperi illud testatur scriptura Marci 30., ubi dicitur, quod cum ira circumspexerit Judæos,

Judæos, qui venerant, ut observarent eum. De admiratione autem dicitur Matth. 8. *Audiens Iesus miratus est.* Ira autem illa non erat rectæ rationi repugnans, nec admiratio ex ignorantia orta, quod volunt SS. Patres, dum negant in Christo fuisse iram vel admirationem.

Dicendum 5. Non fuisse in Christo concupiscentiam ^{Nulla in} actualem nec habitualem. Probatur primum, quia ^{Christo} ^{concupi-} ^{centia,} actualis illa concupiscentia fuisset Christo voluntaria, cùm facile illam reprimere potuisset, adeoque hoc ipso peccasset. Probatur secundum, quia illa habitualis concupiscentia, de se inclinat ad malum, & ad objecta rectæ rationi repugnantia: Deinde cùm in Christo non fuerit peccatum, etiam non fuit fomes peccati, idest concupiscentia: Unde Aug. tract. 3. in Joan. *Oportebat ut nasceretur alius homo, qui nullam traxit concupiscentiam.* Quatuor ergo in Christo admittendus sit appetitus sensitivus, & passiones aliquæ ejusdem, ut vidimus, numquam tamen rectæ rationi repugnarunt, aut repugnare potuerunt.

SECTIO VIII.

Quænam persona potuerit incarnari.

DICENDUM primò, Solam personam Filii in *Sola persona Filii* divinis assumptissæ naturam humanam, seu esse *fuit in- carnata.* incarnatam. Intellige hoc sensu, quod sola persona verbi unita sit humanitati. Alias, si unio hypostatica sumatur pro actione talis conjunctionis, sic communis est toti Trinitati; prout omnia opera ad extra, quale est illa unio, ut est actio. Quod autem sola persona filii unita sit humanitati, probatur Joan. 1. ubi dicitur: *Verbum caro factum est.* Quod ubique de solo Filio intelligunt Scripturæ & SS. Patres, numquam de incarnatione Patris aut Spiritus Sancti.

Dicendum 2. Potuit tamen tam Pater quam Spiritus Tom. III.

Potuit in- ritus Sanctus incarnari , cùm quod potest Filius ad carnari extra , possit & Pater & Spiritus Sanctus. Quinimò tam Pater quam Spī possunt omnes tres simul incarnari assumendo vel eamdem numero naturam , vel diversam. Proba illus.

tus , quia potest velle Pater & Spiritus Sanctus , ut natura quæ dependet à Filio , ab ipsis quoque dependent. Deinde , sicut potuit Filius assumere naturam quam non assumpsit Pater & Spiritus Sanctus ; ita illi vicissim potuerunt assumere naturas , quas non assumpsit Filius.

Dices , si una natura ab omnibus personis dependet , darentur plures causæ totales ejusdem effectus. Resp. hoc posse fieri , si singulæ causæ se solis sint sufficietes ad talem effectum , quo sensu accipitur aliquando causa totalis , id est sufficiens.

Convenit solum Fi- lium in- carnari.

Dicendum 3. Et si aliæ personæ incarnari potuerint ut probatum est , conveniens tamen fuit solam personam Filii incarnari : Tum ut hoc facto singulæ personæ in divinis , sua retinerent nomina , nec alias esser Filius in divinis , & alius in humanis , tum ut qui primogenitus est natura , multos gigneret Filios adoptione & gratiâ.

Quare autem Filius potius quam Pater incarnatus sit , inquirit Innocent. III. Serim. 1. de adventu Domini , ita scribens : Sed cùm tres sint , qui testimonium dant in Calo , Pater Verbum & Spiritus Sanctus ; Cur Pater ipse non venit , aut Spiritum Sanctum non misit ? Cur potius Filium destinavit ? O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei , quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus , & investigabiles viæ ejus ? Quis enim cognovit sensum Domini , aut quis consiliarius ejus fuit ? Disposuit tamen altitudo Cœlestis Consilii , ut Deus qui in sapientia sua mundum creaverat , secundum illud , omnia in sapientia fecit Deus ipse mundum in eadem sapientia recrearet.

Filius vero est Verbum est sapientia Patris , hinc per Filium voluit mundum recreare.



CAPUT SECUNDUM

De Communicatione Idiomatum in Christo.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Idiomatum communicatio, & quomodo fiat.

DIENDUM primò ; communicatio idiomatum, idem est, quòd communicatio in proprietatibus sive attributis. *Idioma diem a-*
five attributum. Hinc sit, ut naturæ tam divina quam
humana; de persona verbi in concreto possint præ-
dicari. Deinde ut omnia attributa utriusque naturæ
in concreto quoque eidem personæ possint attribui.
Unde rectè dicitur, Persona Filii est Deus : item Per-
sona Filii est Homo. Insuper rectè dicitur : Filius Dei
est impassibilis, aeternus, &c. Et etiam, Filius Dei est
passibilis, &c. Dixi utroque, quòd debeant præ-
dicari in concreto, quia si prædicentur in abstracto
pleræque tales erunt falsæ : Falsum enim est, quòd
Filius Dei sit homo in abstracto, idest humanitas,
& sic de cæteris.

Dicendum 2. Hæc communicatio idiomatum fun-datur in eo, quòd sit idem suppositum naturæ humanæ & divinæ. *Origō* *communi-*
Vocet illud S. Aug. contra Serm. arrianorum c. 8. ubi ait. Hanc unitatem per-nicationis
personæ Christi Jesu, D. N. sic ex natura utraque constantem
divina scilicet atque humana, ut quilibet earum vocabu-lum etiam alteri impertiat, & divina humana, & hu-mana divinæ, beatus ostendit Apostolus. Et S. Leo Epist.
10. c. 5. Propter hanc, ait, unitatem personæ in utraque
natura intelligendam, & Filius Hominis legitur descen-
B 2 *diſſe*

20 DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

diffe de Cœlo. & rursus Filius Dei crucifixus diciatur ac sepultus.

*Modi
commu-
nicandi
idiomata.*

Dicendum 3. Nomihi illi, quod personam Christi significat, possunt vi hujus communicationis attribui omnia attributa in concreto, quæ attribui possunt naturæ divinæ vel humanæ. Limo tamen hanc regulam, excipiendo attributa naturæ humanæ, quæ imperfectionem important. Ratio dictæ conclusio- nis est hæc, quod nomina in concreto significant id quod habet formam talis concreti: Sed persona Christi habet formales proprietates utriusque naturæ, juxta jam dicta, ergo.

Dicendum 4. Nulla proprietas naturæ humanæ, etiam sumpta in concreto, potest prædicari de persona Christi, cum reduplicatione divinitatis, aut è contra, nulla proprietas naturæ divinæ potest prædicari de eadem persona cum reduplicatione humanitatis. Hinc non potest dici, *Christus quatenus Deus est passibilis;* aut è contra, *Christus quatenus homo est impassibilis.* Ratio ejus est, quod aliás sequeretur naturas illas inter se confusas, quod est hæreticum.

Dicendum 5. Nulla proprietas naturæ divinæ vel humanæ tribui potest personæ Christi, cum particula restringente ad alteram naturam, aut alteram exclu- dente. Hinc non potent dici, *Christus est purus homo:* aut *Christus est Deus tantum.*

Propositio-
nec varia. Absolutè vera debet agnosci hæc propositio, *Christus est homo.* Aliás enim Maria non esset Ma- ter Christi, si Christus non esset homo. Deinde credimus in Symbolo, natum esse Christum de Maria Virgi- ne, & factum esse hominem. Hinc S. Leo Epist. 10. de- cret. c. 5. agens de Confessione Petri dicentis Christo, *tu es Christus Filius Dei vivi,* ait: *equalis erat periculi, Dominum IESUM Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse.*

Hinc periculo subjecit se Schola, quæ docet in rigo- re Philosophico hanc non esse veram, *Christus est homo,* quam aliquando non sine offensione omnium audivi
pro-

propugnari. Nonne idem sentit Lutherus , qui ut tradit Bellarm. l. 3. de Sacram. c. 29. docet eam esse falsam , secundum regulas Aristotelis ? Nonne sic veritatem omnium aliarum similium eludent propositionum , eo quod individuum aliquod non sit species , quae de tali individuo in concreto praedicatur ? Nonne etsi Christo , Petro , &c. Non conveniat natura humana in genere , non erit ideo homo , quod humanitas ipsis non competit ? ex quo patet , quod ducat aliquando Philosophia intemperantiis usurpata.

Dicendum ultimò. Hæc propositiones sunt veræ *Christus est creatura*, cum sit talis, eo ipso quo sit homo. *Christus est homo divinus*, intelligendo tales personam, cui divinitas essentialiter competit , non item accidentaliter. Item hæc est vera : *Christus factus est homo*, ut dicitur in Symbolo : non item hæc ; *Homo factus est Deus*, eo quod sensus sit, quod suppositum humanum incepit esse Deus , quod falso est. Sitamen sit sensus , quod duo termini *homo* & *Dens* incepint de se mutuo praedicari , sic admitti debet ut vera , quo sensu aliquando dicunt SS. Patres , Deum factum hominem , & hominem Deum. Hæc autem juxta D. Thom. non est admittenda tamquam vera , *Christus est homo Dominicus*, eo quod sit *Dominus*, & capropter hanc propositionem retractavit S. Aug. l. 1. retract. c. 19. etsi aliquando ab aliis usurpetur , quo pacto ut vera sit , intelligi debet hoc sensu , ut Christus secundum naturam humanam , sit aliquid pertinens ad Dominum. Idem dic de eâ : *Christus est homo deifer* : eo quod illa de se importet suppositum , quod non verè , sed solum moraliter esset Deus , alias si importet suppositum , cui substantialiter competit divinitas , admitti poterit ut vera.

SECTIO II.

De Gratia Christi.

CUM gratia nihil sit aliud, quam aliquid quod reddit aliquem justum ac Deo gratum, dicendum est primò cum S. Aug. tract. 108. in Joan. *Filius hominis sanctificatus est ab initio creationis sue*, quando *Verbum factum est caro*, quia una persona facta est, *Verbum est caro*. Ratio ergo quare Christi anima fuerit Sancta aut sanctificata sit, quia una persona facta est Verbum & caro.

*Per quid
anima
Christi
facta sit
sancta.*

Dicendum 2. Facta est Sancta Christi anima per gratiam sanctificantem creatam, & etiam per ipsam divinitatem. Probatur prius, quia, et si absque dono gratiae, ipsum verbum per se, animam Christi potuisse sanctificare, tamen hoc maximè congruebat, tum quia cum anima Christi non esset sancta per essentiam, requirebatur, ut esset per participationem, quod fit per gratiam; tum etiam quia requiritur principium intrinsecum ad actiones supernaturales in Christo, nec sufficit quod exterius adjuvetur, hoc autem principium est gratia.

Probatur posteriorius, ex eo quod Divinitas sit ipsa Sanctitas, & origo omnis sanctitatis, unde nihil obest, quo minus dicatur humanitatem cui unita erat sanctificasse per se & ratione sui: Hinc dicit August. quod sanctificaverit se in se, hoc est se hominem, in se, verbo. Quomodo autem possit quis dici sanctus, per receptionem ipsius Spiritus Sancti aut sanctitatis, vide in materia de justificatione.

*Virtutes
in Christo.* Dicendum 2. Cum in Christo fuerit plenitudo gratiae, consequitur in Christo fuisse omnes virtutes statui comprehensoris non repugnantes, insulas quidem supernaturales, sed naturales habuit acquisitas ab initio conceptionis.

Fides ergo juxta aliquos & spes in illo non fuit, eo quod quandam imperfectionem importent, & statui beatorum repugnat, cum fides de se sit obscura notitia non apparentium, beatis autem apparent, quae fide credimus. Spes autem est desiderium beatitudinis nondum adeptar. Verum juxta dicta §. 702. de fide in 2. 2. non est ratio quare beatis negetur inesse fides respectu illius, quod non comprehendunt in Deo. Idem est de spe respectu corporis glorificationis, quam proinde etiam Christus competere tali respectu, dictum fuit §. 4. desubjecto spei, cum corporis Christi beatitudo, haberet omnes conditiones ad objectum spei requisitas, quam proinde vero actu spei Christus sperare poterat, ut ibidem est dictum, quod se lector referat.

Dicendum 3. Fuit in Christo virtus poenitentiae, prout importat virtutem, quæ detestatur peccata, à quocumque sint commissa, & pro iisdem satisfacere desiderat, cum ita Christus pro nostris offendis satisfecerit, easque sit detestatus. Si verò importet virtutem, cujus actus proprius est lugere & detestari peccata à se commissa, sic nullatenus in Deo poenitentiae virtus est admittenda.

Dicendum 4. Fuerunt in Christo dona Spiritus Sancti. Cùm enim dona illa sint spiritualia quædam animæ ornementa, quibus anima redditur facilè mobilis ad ductum & motionem Spiritus Sancti secundum, sequitur illa in anima Christi esse admittenda, cùm ad illud anima ejus fuerit promptissima. Hinc Isaiae 11. de Christo dicitur: *Et requiesces super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientie & intellectus, &c.*

Dicendum 5. Fuisse in Christo gratias gratis datas, id est actus supra naturam, factos operatione divinâ ad fidei confirmationem aut propagationem, quales actus in Christo plenissimè fuisse clarè constat ex miraculis, Prophetiis, gratia sanitatum, &c.

Dicendum 6. Gratiam Christi, cùm fuerit quid creatum, fuisse finitam: dicitur tamen aliquando in-

*Quomo-
do gratia
Christi sit
finita &
infinita.*

finita, ratione effectus infiniti, cum opera Christi, tali gratia facta, fuerint infiniti valoris: dicitur quoque aliquando gratiam Christi non fuisse datam ad mensuram, sed quod in Christo fuerit plenitudo gratiae, ex qua omnes eam accepturi erant, ut ex primo fonte. Ex quo sequitur, quod Christi gratia non potuerit augeri, eò quod ab initio perfectissima fuerit & plenissima, & si quando dicit Scriptura quod *Christus proficiebat sapientiam, etate, & gratiam apud Deum &c.* Lucæ 2. intelligendum est, de manifestatione gratiae, quæ sensim hominibus decursu vita Christi manifestabatur.

SECTIO III.

De Scientia Christi.

*Scientia
Christi sit
perfectissi-
ma.*

CUM intellectus sit proprietas naturæ rationalis, sequitur eum in Christo fuisse perfectissimum. Dico tamen 1. anima Christi non intellexit, nec intelligere potuit scientiam increata. Probatur primò ex eo, quod intelligere sit actio vitalis, unde est actio naturæ intelligentis, atqui intellectio increata non potest esse actio vitalis naturæ creatæ, ergo. Deinde intellectus & actio intelligendi non distinguuntur; adeò ut hanc ratione dicant SS. PP. ut Amb. & Damasc. quod non possit esse una operatio, ubi diversa est substantia: cum ergo anima Christi & intellectus divinus fuerint diverse substantiae, sequitur quod illorum non potuerit esse eadem intelligendi operatio.

*Scientia
beatorum.*

Dico 2. habuit & Christus scientiam beatificam, idque ab initio conceptionis suæ. Patuit hoc juxta SS. PP. in transfiguratione, in qua gloria ejus beatifica apparuit. Deinde præter hanc scientiam beatificam habuit & iufusam, immo & acquisitam. Probatur primùm, quia cum Christus esset doctor universorum

forum, quem decebat scientia perfectissima, decebat quoque eum habere scientiam rerum naturalium & supernaturalium non tantum in verbo, quam habebat vi beatitudinis suæ, sed etiam in se ipsis. Probatur secundum, quia decursu temporis habuit scientiam experimentalem; deinde nihil perfectionis humanæ defuit humanitati Christi, habere autem scientiam acquisitam, in naturalibus non modica est perfectio.

Dicendum 3. verò similiè videri , Christi animam *Quanam*
omnia prorsus cognovisse , quæ à Deo cognoscuntur. *cognoverit*
Probatur ex S. August. l. qq. 83. q. 65. ubi ait : *Illi* ^{anima} *Christi.*
(Christi) *Linetamina* & *sudarium* , qui peccatum non
fecit , Et *NIHIL IGNORAVIT* , in monumento
inventa sunt. *Ipse solus in carne non tantum in monumento*
non est oppressus , ut aliquod peccatum in eo inveniretur :
sed nec *linetis implicatus* , ut *ALIQUID EUM LATERET*.

Dices: ergo Christus Deum comprehendit, quod *An Christus Deum*
tamen Christo & beatis denegant SS. PP. Resp. comprehendit Christus illa hoc sensu, ut in objecto comprehendens
prehensionis nihil sit, quod illum latuerit. Non ta-
men comprehendit propriè, id est intellexit cogni-
tione adæquante objectum, sive quæ tanta sit, quan-
ta est objecti cognoscibilitas: de posteriori autem
comprehensione intelligendi sunt SS. Patres, dum
negant Christo comprehensionem rerum divinarum.
Longè enim cognoscibilitas Dei, excedit cognitionem
Christi, uti clare patet ex cognitione Dei respectu sui
ipsius, quæ longè est perfectior, cognitione animæ
Christi.

Objicies, Christus fatetur Marci 13. se nescire diem *Quomo-
do Christus
aliqua
nesciat,*
Judicii. Resp. nescivit Christus diem judicii ordinariâ cognitione , id est absque speciali revelatione , & in quantum homo , ut aliqui dicunt. Vel etiam quod non ita sciret , ut declarare deberet Apostolis. Sicut enim legatus si rogetur de rebus commissionem & legationem excedentibus , recte dicit , se eadem nescire , puta ut legatus.

Dicendum 4. Christum per scientiam infusam cognovisse

gnovisse omnia tam supernaturalia, quam naturalia; quæ ab homine, vel ab Angelo sciri possunt: talis enim scientia decebat Christum, qui esset caput & magister hominum & Angelorum, & omnia venerat restituere. Denique decebat illum talis scientia, in quo erant omnes Thesauri sapientiae absconditi, à quo proinde omnes discere deberent, non ipse ab aliis: et si quando alios rogasse Christum scriptura dicat, tamen non rogavit ut disceret, sed ut doceret & instrueret.

SECTIO IV.

De Potentia animæ Christi.

Anima Christi non fuit omnipotens. Dicendum primò, Animam Christi verbo unitam mansisse creaturam, & consequenter non fuisse omnipotentem. Omnipotentia enim duo involvit: unum quod se extenderet possit ad omne factibile, quod animæ Christi non competit, cùm se extenderet nequeat ad se ipsam. Alterum quod à concursu causæ superioris sit independens, quod neque illi competit. Hinc Cyrill ad Monach. Ægypt. pag. 18. *Omnia*, ait, *condere, solus Dei est*. Quando igitur SS. Patres aliquando humanitatem Christi omnipotentem vocant, intelligendi sunt vel secundum communicationem idiomatum: vel quod humanitas Christi propter conjunctionem cum verbo esset maximæ efficaciam, quod omnia posset à verbo impetrare.

Potestas animæ Christi. Dicendum 2. Cùm anima Christi fuerit perfectissima, quoad vires naturales, sequitur eamdem habuisse potentiam ad omnes naturales effectus: & cùm insuper fuerit plena gratia sequitur eam habuisse potentiam ad omnes effectus supernaturales, quæ animæ humanæ quoquo modo possent competere. Deinde habuit anima Christi ut instrumentum verbi, vim immutandi res miraculosè, maximè eas quæ ad finem

Nem incarnationis possent conducere: quæ quidem vis permanenter erat in Christo, quæ in aliis SS. solummodo erat transunter, dum à divina virtute aliquando juvabantur.

Dicendum 3. Verius videri, humanitatem Christi non solum moraliter & per modum gratiæ impetratoriae sed Physicæ concurrisse ad miracula, unde dum S. Aug. tract. 8. in Joan. ait: *Miraculum quod facturus erat in cana Galilææ, secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem.* Et Damascen. l. 3. fid. orth. c. 15. *Miraculorum vis, ait, divinitatis ipsius actio erat.... humanæ porro actionis opus id fuit, quod pueræ manum arripuerit, ac pertraxerit, divina autem, quod eam ad vitam revocarit.* Intelligi debet divinitatem esse causam principalem miraculorum. Hinc virtus quæ à Christo exivisse dicitur aliquando in Evangelio; vel fuit Spiritus Sanctus ut voluit S. Aug. tract. 99. in Joan. adeòque illa Physicè operata fuit miracula: vel fuerunt ipsa opera miraculosa, quæ dicuntur aliquando virtus, ut Marc. 6. dicitur quod non potuerit ibi (in suâ patriâ) facere ullam virtutem, idest, miraculum.

Dicendum 4. Quæcumque absolutâ voluntate voluntate vo- luit Christi anima, facere potuit. Probatur breviter, *Quod v-*
luit Christi anima, facere potuit. Probatur breviter, fuit, hoc
quia summam sapientiam dedecret yelle aliquid fa-
cere, quod sciret esse impossibile.

S E C T I O V.

De voluntate & libertate Christi.

DICENDUM primum, duplex in Christo admittenda est voluntas, una divina, alia humana. De divina constat. Quod etiam humana admittenda sit, patet ex eo, quod Christus fuerit verus homo, fuerit obediens, meruerit, &c. Quæ omnia voluntatem humanam Christi satis declarant.

Dicendum 2. voluntas animæ Christi efficax, semper

*Duplex
in Christo
voluntas.*

Cenfor- per fuit conformis voluntati Patris. Declarat illud
mitas vo- Scriptura variis locis, ubi dicit cibum Christi, esse,
luntatu- facere voluntatem Patris, ut Joan. 4. quæ placita sunt
Christi cum divi. Patri semper à Christo facta esse, ut c. 8. &c. Deinde
cum divi- cùm anima Christi perfectè sciret voluntatem Patris,
na. imprudenter egisset volendo eidem contraire.

Quomodo Dicendum tertio: potuit tamen voluntas sensualis
poruerit & rationalis Christi ut est inclinatio naturalis, aliud
esse differ- velle quām Deus: sic Matth. 26. dicit Christus: *Non*
m u. *quod ego volo, sed quod tu.* Ad quod S. August. l. 3.
 contra Maximi. c. 20. *In hoc ait, quod Christus dicit,*
non quod ego volo, sed quod tu, aliud ostendit se voluisse
quām Pater, quod nisi humano corde non potest, cūm in-
firmitatem nostram in suum, non divinum, sed humanum
transfiguraret affectum. Ratio est, quod sensualis ap-
 petitus & naturalis voluntatis inclinatio refugiat do-
 lores, & mortem, quam præceperat voluntas di-
 vina.

Nec inde in Christo ullatenus consequitur volun-
 tatum repugnantia, cùm equidem nihil volebant illæ
 voluntates, à voluntate Dei alienum: volebat enim
 voluntas divina, ut voluntas sensitiva & ipsius vo-
 luntatis inclinatio mortem aversaretur, timeret &c.
 ut ostenderet se verum hominem in carne passibili.

Libertas Dicendum 4. fuisse in Christo liberum arbitrium:
Christi. *Oblatus enim est, quia ipse voluit.* Isaïæ. 53. deinde
Joan 7. dicitur de Christo. Ambulabat Jesus in Galileam, non enim volebat in Iudeam ambulare. Deinde
 Christus meruit, satisfecit &c. quæ omnia exigunt
 libertatem.

Dicendum 5. fuit illud arbitrium Christi impecca-
 bile. Probatur: quia tenebatur verbum impedire, ne
 peccatum flueret in humanitatem, quæ sibi jam erat
 propria: quod si non impedisset, peccasset verbum,
 quod erat impossibile. Deinde probatur ex eo, quod
 Christus non solum viator fuit, sed etiam compre-
 hensor, beatos autem esse impeccabiles dicam in se-
 quentibus.

SECTIO VI.

Quomodo consistat libertas Christi, cum ejus impeccabilitate, visione beatificâ, & prædefinitione divinâ.

SUPPOSITO quod Christo datum sit verum à *Quomodo
Patre moriendi præceptum, uti postea probabi-
mus, dicendum primò, Christum in executione ta-
lis præcepti fuisse liberum, etiam non obstante ejus quendam
impeccabilitate. Probant hoc aliqui ex eo, quod equi-
dem stante tali præcepto Patris, & impeccabilitate
Christi, non erat Christo determinata mors, quod ad
tempus, modum, motiva quare moreretur, & alias
circumstantias ad quas proinde remansit in Christo
libertas. Verum nihil respondet hæc sententia in casu
præcepti; quod ad omnes circumstantias determinati,
an talis præcepti adimplectione fuerit liber. Unde
Resp. etiam in illo casu liberum fuisse Christi arbitrium. Pro cuius intelligentia prænotandum est, quod
non omnis suppositio ad actum voluntatis prævia,
quæ posita infallibiliter actum infert, auferat liberta-
tem voluntatis (alias enim prædefinitione divina nostris
actibus illam auferret, cum eâ positâ infallibiliter se-
quatur actio) sed ulterius requiritur, ut illa supposi-
tio talis sit, ut efficaci & physico modo voluntatem
afficiendo ejus libertatem auferat. Cum ergo præcep-
tum illud à Patre datum, sit Christi voluntati ex-
trinsecum, & non tam ex parte potentiae, quam ex
parte objecti voluntatem moveat, neque aliquid ob-
jecto addat, quo voluntas ad actum necessitatetur, se-
quitur voluntatem Christi in adimplectione præcepti,
etiam quod ad omnes circumstantias determinati, fuisse
intrinsecè liberam. Confirmat illud S. Th. in 3. d. 18.
q. 1. a. 2. ubi ait. *Etiam si liberum Christi arbitrium esset
determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum,
quod non facere non potest, tamen non ex hoc amittit liber-
tatem, aut rationem laudis, sicut meriti, quia in illud
non**

non coactè, sed spontè tendit, & ita est actus sui Dominus.

Cum ergo, ut ante dictum est, voluntas Christi fuerit impeccabilis, ex eo quod voluntas ejus esset voluntas verbi, adeo ut si voluntas Christi defecisset, defectus ille voluntati verbi fuisset adscribendus, quod defectum non impediret; nullò modo autem sic impeccabilis ex intrinseca determinatione & necessitatione voluntatis ad hic & nunc operandum: sequitur voluntatem Christi ex intrinseca sua ratione & dispositione, potuisse non adimplere illud à patre acceptum præceptum, etsi facta unione hypostaticā & stante obligatione verbi custodiendi humanitatem à peccato, absolutè non potuerit peccare.

Quomo-
do libertas
Christi
consistat
cum visi-
tans, adeoque
one beatifi-
ca. Dicendum 2. Eodem modo libertas Christi consistit cum ejus visione beatifica, cum voluntas nihil habeat intrinsecum sese ad actum amoris Dei necessitatem, adeoque tota determinatio necessitans oritur ex parte objecti, quod ut summè amandum proponitur, hoc autem nihil libertati officit, cum si per impossibile supponeretur, dari aliquid melius objecto proposito, nihil obesset, quo minus voluntas in illud posset ferri.

Prædefi-
nitis non
obstat li-
berrati
Christi. Dicendum 3. Non magis officit libertati Christi prædefinitio divina prius à Deo facta, quam actus à voluntate Christi essent voliti; non magis inquam, quam illa officiat libertati humanae. Prædefinitio enim habet se omnino extrinsecè ad voluntatem, eamdem intrinsecè relinquens in sua naturali dispositione, & eidem sese attemperans, dum actus prædefinitur; etsi illa positâ, actus infallibiliter consequatur.

Dicendum ultimò. Non obstante impeccabilitate, visione beatifica, & prædefinitione dictâ, Christi voluntatem mansisse essentialiter liberam, eo ipso quo sese ad actum obedientiæ, amoris &c. determinavit, idque prævio perfectissimo rationis judicio, in quo essentialis libertatis ratio consistit, de quo plura dixi in 1. 2. de libertate-

SECTIO VII.

De Merito Christi.

DI CENDUM primò, de fide esse, Christum nobis meruisse. Probatur ex variis scripturæ locis, quæ dicunt Christum suo sanguine nos redemisse, uti etiam ex Conc. Trid. ses. 6. c. 7. ubi ait, Christum esse causam meritoriam nostræ justificationis; Denique ex eo, quod habuerit omnes conditiones ad meritum requisitas. Meritus autem est, ab initio suæ conceptionis, usque ad mortem, idque sine ulla interruptione intermediâ.

Dicendum 2. In instanti mortis, cum vita Christi finitum fuit ejus meritum. Hinc per apertione latet, per resurrectionem, ad inferos descensionem, &c: Christus non meruit, nec satisfecit, cum status merendi & satisfaciendi jam transferat: quatenus tamen Christus vivens prævidit, & liberè acceptavit, & pro nobis obtulit vulnera etiam post mortem inficta, quæ prævidebat, eatenus meruit nobis eâ lateris apertione pro nobis oblatâ, uti & aliis post mortem vulneribus.

Dicendum 3. Christus in statu meriti non profecit, sed quodlibet Christi opus fuit meritorum infiniti valoris: Probatur, quia valor meriti, uti etiam satisfactionis, crescit ex dignitate personæ, atqui Christus fuit persona dignitatis infinitæ. Etsi enim omnis Christi actio, fuerit finitæ entitatis, non tamen finiti valoris, cum valor operis ab ejus entitate diversus sit, & pendens à morali estimatione actus, quam habet ex ordine ad personam Christi agentis.

Dicendum 4. etsi omnis Christi actio fuerit infiniti valoris, non tamen qualibet fuit sufficiens ad merendum præmium, Christo à patre præstitutum, sed aliter ex divina ordinatione factum est, ut per rationē pecunias omniscarorum,

omnes Christi actiones deleretur Chirographum, & per mortem ejus finiretur incarnationis æconomia; & redemptionis negotium consummaretur, unde moriens exclamavit: *Consummaum est.* Quâ oblatione sui, consummavit in æternum sanctificatos; **Christus** ut ait Apost. ad Hæb. 9. & 10. Ipsâ tamen morte *moriendo* etiam meritus est Christus, idest, ut mors erat in *meruit*. fieri, non item ut in factō esse, ait D. Thom.

Dicendum 5. etsi Christus principaliter incarnatus sit nostræ redēptionis causâ, sibi tamen aliquid meruisse tenendum est. Hinc dicit Script. ad Philip:

Non meruit in carnationis prædestinationem. 2. *Humiliavit semetipsum..... propter quod exaltavit illum, &c;* Non tamen meruit prædestinationem incarnationis, aut ejus executionem. Probatur prius, quia meritum debet præcedere præmium, vel in se, vel ut est in mente præmiantis: Sed meritum Christi talem prædestinationem præcedere nequit, quæ fuit ab æterno. Probatur quoque posterius, quia prius debet cogitari suppositum, idest Christus qui meretur, adeoque prius debet concipi ipsa incarnatione. Eodem modo Christus non meruit sibi visionem beatificam, neque gratiam, quia inde sequeretur quod illis aliquando caruisset, quod falsum est.

Oueram Dicendum 6: Christum sibi meruisse gloriam corporis, ejusque immortalitatem, sui nominis exaltationem & alia his similia. Etsi enim illa Christo deberentur, titulo unionis hypostaticæ, novo tamen titulo eadem mereri poterat, uti fecit, & patet ex Epist. ad Philip. 2. dictâ.

Dicendum 7. Meruit Christus remissionem peccatorum, gratiam primam, gratiæ augmentum, prædestinationem nostram, satisfactiones nostras, justificationis media, omnia denique opera nostra meritaria. Probatur: quia imprimis, *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* 1. Joan. 1. Deinde generaliter dicit Apost. ad Ephes. 1. *Deus benedixit nos in OMNI benedictione in cœlestibus in Christo.* Rursus Conc. Trid: ses. 6:

ses. 6. c. 5. declarat, *justificationis exordium in adultis à Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse*, h. cest, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. Iterum idem concilium ses. 14. c. 8. dicit *Omnem nostram sufficientiam ad satisfaciendum esse à Christo*; nos in illo satisfacere, facientes fructus dignos pænitentie, qui ex illo vim habeant. insuper ses. 6. c. 16. dicit. *Christum Jesum tamquam caput in membra, & tamquam vitem in palmies, in ipsos justificatos, jupiter virtutem influere, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur & subsequitur.* Denique aperte dicit scriptura ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti & Immaculati, &c.* Et rursum eodem cap. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.*

Dicendum 8. Christum meruisse SS. Patribus V. *Hominis*. T. gratiam & gloriam, eo sensu, quod Deus intuitus omnibus meritorum Christi quæ prævidebat, illis dederit *bis meruit Christus*. gratiam & gloriam; quod meritum potest dici *meritus gratitum latè dictum*, ut volunt aliqui, cum hoc negent *iam &* de merito strictè dicto; maximè cum S. August. *di. gloriam.* cat l. de moribus Eccl. c. 25. Nec *præmium* potest *præcedere merita*, nec prius homini dari quam dignus sit. Et rursum tract. 40. in Joan. *Quæris mercedem? Opus præcedat.* Ad quod responderi potest, ut ante insinuavimus, sufficere quod meritum *præexistat præmio*, vel in se vel ut est in mente præmiantis, qualiter etiam præexistebat Christi meritum in mente divina.

Dicendum 9. S. Augustino conformius docent, *Non Ann* qui negant Christum esse meritum Angelis gratiam, *geliū.* gloriā & perseverantiam. Probatur primò ex Apost. ad Heb. 2. ubi ait, quod illi qui à Christo sanctificantur sint ex uno omnes, idest ex uno Adamo. Unde addit, quod Christus non confundatur ideo, eosdem vocare fratres. Atqui Angeli nec ab Adamo descendunt, nec possunt dici Fratres Christi, ergo ii à Christo non sanctificantur, *juxta Apostolum.* Tom. III. C. lum.

lum. Deinde gratia & gloria Angelorum fuit omnino independens à peccato Adæ, & consequenter à morte Christi, quæ supponit Adæ peccatum, & si ille non peccasset, filius hominis non venisset, ut ait S. Aug.


Dices, quomodo ergo Christus dicit Joan. 14. *Nemo venit ad Patrem nisi per me?* Deinde quomodo ad Eph. 1. dicitur Christus instaurare, & ad Colos. 1. pacificare per sanguinem ejus omnia, quæ sunt in cœlo, sive in terra. Denique quomodo Apocalyp. 12. dicitur Michaël vicisse prælium in sanguine agni. Resp. ad primum, *to nemo referri* debet ad solos homines, ad quos dirigitur Christi sermo. ad 2. Resp. Deum per Christum instaurare, ea quæ in cœlis sunt, quatenus per illum implet Angelorum ruinas. Pacificare verò dicitur per sanguinem ejus eadem, quatenus datur per Christum pax inter Angelos & homines, quibus Angeli ante, ob peccatum erant offensi. Ita etiam intelligi potest, quod ait S. Hier. in c. 1. ad Eph. ubi dicit crucem Christi purgasse ea etiam, quæ in cœlis erant: aut certè loquutus est ex sententia Origenis docentis Christum pro Angelis esse pastrum. Denique Michaël non vicit prælium proprium, id est pro propria salute initum cum dracone, sed pro salute hominum, quam draco impedire tentabat.

Objicies deinde, D. Thomas in illum locum Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, ita ait, *omnes accepimus, etiam Angelii*. Resp. dissimulatio, quod, ut observant aliqui, similia verba in commentario D.

Omnis sanctitas a sanctitate in creaturam. Thomæ inveniri non possint, rectè locum illum intellegi de plenitudine Christi secundum divinitatem, quæ est sanctitas per essentiam, à qua omnis alia sanctitas derivatur, etiam Angelorum. Vel etiam dici potest, etiam Angelos aliquid accepisse ab ipsis Christi gratia, pura concordiam cum hominibus, Consortium eorumdem, &c.

Denique quod Christus sit caput Angelorum nihil prouersus obstat, cùm ad hoc sufficiat, quod ab eo illuminentur, gloriam aliquam accidentalem accipient, &c.

CAPUT



CAPUT TERTIUM

De Satisfactione Christi.

SECTIO PRIMA.

An Christus satisfecerit condignè pro peccatis nostris.

SATISFACTIO nihil est aliud quam solutio debiti, vel redditio æquivalentis, pro commissa injuria per humiliationem, reverentiam, &c. Differt autem à merito in eo quod satisfactio supponat debitum, in eo qui satisfacit, aut saltem in eo cuiusloco alter satisfacit; Meritum autem debitum non supponit, sed potius causat.

Dicendum ergo Christum satisfecisse Deo Patri *Christus* condignā satisfactione, & secundūm rigorem justitiae divinæ. Probatur ex eo, quia condignum premium obtulit Deo Patri, idest infinitum, ratione personæ infinitæ, pro infinita offensa, dum se & totam vitam suam obtulit Deo Patri, qua oblatione plus satisfecit justitiae divinæ, quam si totum genus humanum sempiternas poenas subiret, adeoque plenissimè justitiae divinæ satisfecit.

Quaeres, quomodo ergo Apostolus ad colos. 1. dicit se adimplere ea, quæ defunt Passionibus Christi. Deinde si satisfecerit plenissimè, ergo superflua est satisfactio nostra. Resp. sensus Prioris est, quod ipse illa subeat, quæ deberent subire fideles, qui sunt membra Christi. Vel etiam Christi, idest propter Christum Passiones illas subeundo. Ad aliud resp., et si Christus plenissimè satisfecerit, tamen satisfactiones nostræ sunt conditiones necessariae, ut sa-

36 DE SATISFACTIONE CHRISTI.
tisfactiones Christi nobis possint applicari.

Dicendum secundò, Christum satisfecisse suo Patri ex rigorosa iustitia. Probatur, quia inter Deum & homines talis iustitia reperitur, ut probabitur de jure & iustitia, ergo & inter Deum & Christum. Hinc dicit Scriptura Christum soluisse debitum, emisse nos pretio sanguinis, extinxisse chirographum, &c. Quæ propriæ sunt iustitiae actiones.

Dices, debitum importat imperfectionem in Christo. Deinde iustitia debet esse inter personas distinctas, cum autem Christus sit Deus, sequitur sibi ex iustitia satisfecisse. Resp. ad primum, nullam hoc dicere imperfectionem, si debitum illud oriatur ex liberali alterius voluntate, sicut in Deo nullam dicit imperfectionem, quod aliquid debeat ex fidelitate cum totum oriatur ex liberali ejus promissione & voluntate.

Ad aliud resp. hoc quidem communiter fieri, sed posse quoque aliter, si v. g. duæ naturæ, quæ diversâ ratione habent diversa jura, in eadem persona conueniant. Sic etiam potest tutor sibi satisfacere ex bonis pupilli, quatenus subit personam pupilli. Vide plura de jure & iustitia.

S E C T I O II.

An Q̄ quomodo Christus pro omnibus fit mortuum.

DI CENDUM primò, De fide esse Christum pro omnibus esse mortuum. Probatur ex Sacra Scriptura 2. ad Cor. 5, ubi ait: *Pro omnibus mortuus est Christus.* Et 1. ad Tim. 2. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Hinc quoque S. Aug. in psalm. 95. *Judicabit orbem terrarum in æquitate,* ait, *totum iudicare debet, qui pro toto pretium dedit.*

*Christus pro omnibus mori-
tus est,* Dicendum 2. Mortuus est Christus pro omnibus quoad sufficientiam, idest quod sufficiens redemptio-

nis pretium obtulerit, sed non quoad efficaciam. Pro-^{quoad suff}
batur ex Trid. ses. 6. c. 3. ubi dicitur : *Etsi Christus sicutiam
pro omnibus mortuus est (quoad sufficientiam) non ta-
men omnes mortis ejus beneficium accipiunt , id est efficacia
Crucis Christi illis non applicatur. Cum enim Filius
suam voluntatem voluntati Patris semper conforma-
verit , sequitur pro illis tantum efficaciter obtulisse sa-
lutis remedium , quos Pater ab eterno dilexit & ad
gloriam praedestinavit.*

Dicendum 3. Cum D. Th. 3. p. q. 49. a. 1. ad 3. *Quoad
Passionem Christi salvasse causaliter , quia causam sa- causalita-
litis instituit , quā omnia mundi peccata deleri possent :*^{tem,}
*Sicut , ait , Si medicus conficiat medicinam , ex qua pos-
sum , quicumque morbi sanari , quae tamen nihil proderit ,
nisi ab agrotante sumatur : ita Passio Christi (ait ibidem
ad 4.) causa quædam universalis est remissionis peccato-
rum , quam necesse sit singulis adhiberi ad deletionem pro-
priorum peccatorum , per Baptismum , Pænitentiam , & alia
Sacramenta vim Passionis Christi nobis applicantia . Unde
sequitur efficaciam Crucis Christi üs non applicari ,
quibus salutis remedia desunt.*

Dicendum 4. *Sicut ex infinita Dei bonitate Chri-
stus vult omnes homines salvos fieri voluntate antece-
dente , et si prævisis peccatis aliquorum , velit eos
damnare voluntate consequenti & efficaci : ita etiam
Christus voluit pro omnibus mori , id est , sufficiens
offerre redemptionis remedium , sic ut prævisis ali-
quorum culpis , nolit illis hoc remedium mortis ap-
plicari . Sic parvulis aliquibus , saltem ob culpam ori-
ginalem , non vult hoc remedium applicari , cum
ut ait D. August. eos Deus suo regno adjici non vult .
In quibus etiam patet , non adesse omnibus gratiam
sufficientem ad salutem , neque hoc probari posse
ex meritis Christi . Non enim dicitur Christus mor-
mortuus pro omnibus quoad sufficientiam , quasi
propter Christi mortem omnibus actu detur sufficiens
auxilium , sed quod omnes possent ex illa obtainere
sufficiens auxilium ; si autem aliqui illud non obti-*

38 DE SUBJECTIONE CHRISTI,
neant justo Dei judicio non obtinent, quibus autem
datur, misericorditer datur.

Ex dictis collige, quomodo intelligendæ sint scri-
pturæ generales dicentes Christum pro omnibus esse
mortuum; scilicet quoad sufficientiam; item quo-
modo aliae idem in speciem negantes, ut illud à S.
Aug. Epist. 102. *Non perit unus ex illis, pro quibus
mortuus est Christus,* Item l. i. c. 15. de adult. Conjug.
ubi ait: *Omnis qui Christi sanguine redemptus est, homo
est: non tamen omnis qui homo est, etiam sanguine Chri-
sti redemptus est.* Illa enim & similia intelligenda sunt
quoad efficaciam, quod illi pro quibus efficaciter
Christus mortuus est, certò salventur.

S E C T I O III.

De Subjectione Christi.

*Christus
subjectus
fuit legi-
bus.* DICENDUM primo, Christum subjectum fuisse
legi naturali; imo & divinæ. Probatur primum
ex eo, quod Christus tenebatur, colere parentes,
non mentiri, &c. Et quamvis Deus etiam teneatur
non mentiri, non ideo tamen dici potest esse subje-
ctus legibus, cum non habeat hoc ratione alicuius
obligationis à superioritate impositæ, sed ratione
sue bonitatis, & sibi ipsi sit lex & regula.

*Agnoscen-
dum est
verum
præceptū
Christo a
Patre da-
tum,* Probatur posterius, quia verum & proprium præ-
ceptum moriendi accepit à Patre: nam ut, ait Joan.
14. *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Dein-
de, dicitur *factus obediens usque ad mortem.* Philip. 2.
Obedientia autem præceptum importat, cui obedi-
tur. Hinc dicit S. August. contra Serm. Arian. c. 6.
*Voluntate & PRÆCEPTO Patris, ad passionem & mor-
tem properavit.* Nec dici potest, fuisse solum præce-
ptum impropiè dictum, scilicet voluntatem Patris,
cui obediuit Christus, quia vera obedientia non est,
nisi ubi est verum præceptum, atqui Christus fuit
verè obediens, ergo. Neque obstat quod imminentे
jam

jam morte, rogaverit patrem, *Fiat Voluntas tua,*
quia voluntas sèpè sumitur pro mandato, uti &
ibidem & alibi sèpè.

Dicendum 2. Christus non fuit subjectus legi veteri; nec legi novae, nec legi humanæ. Probatur prius, quia illa per adventum Christi expirabat, & filius Christus servus erat legem hominis est Dominus etiam sabbathi, hoc est cærenianiarum legis. Fuit tamen illi de facto obediens, ut probaret eam sanctam, averteret occasionem Iudeis calumniandi, obedientiam commendaret, &c.

Probatur 2. Quia ipse metus erat legislator & author legis novæ. Neque refert quòd aliquando legislator teneatur propriâ lege, quia hoc tantum fit, quando materia legis æquè ipsum concernit ac subditos, v. g. in lege Ecclesiastica de jejunio. Quando autem lex concernit subditos, ut subditi sunt, tunc non obligat leglatorem superiorem, patet in lege solvendi tributum. Talis autem lex erat L. N. quæ concernebat hominem ut salvandum adventu Christi.

Dicendum 3. Christus secundum humanitatem fuit subjectus Patri. Probatur ex dictis, quia fuit eidem obediens usque ad mortem. Deinde Christus fuit creatura, ergo erat factori suo deserviens, ut omnis creatura. Imò ex scriptura constat Christum fuisse servum Dei Patris: sic Isaïæ 53. *justificabit ipse justus servus meus multos.* Quæ servitus in eo sita est, quòd sit subjectus Patri, uti servi Domino in execundis mandatis, ab ejus nutu pendeat secundum humanitatem, &c. Hinc quando Conc. aut SS. Patres negant Christum fuisse servum, intelligunt servitutem peccati, aut dejectionem quæ in servis propriè dictis contemptibilis est & abjecta.

Dicendum 4. Christus non est filius Dei adoptivus, sed est Filius Dei à natura. Probatur, quia adoptivus dicitur persona aliena, quæ assumitur in hæreditatem: Christus autem non est persona extranea à Deo, sed est persona quæ sit verus Deus & Homo,

adeoque non assumitur ut extranea ad hæreditatem; cui ipsa hæreditas tanquam naturali filio competit. Impropriè tamen secundùm humanitatem dicitur adoptivus, cùm adoptare humanitatem idem significet, quod illam assumere, quo sensu intelligendi sunt aliqui SS. PP. ita loquentes de Christo. Deinde

*Quomodo
dicit possit
Filius Dei
adoptivus*

dicitur aliquando Christus sibi meruisse adoptionis jus, hoc sensu scilicet, quod meruerit nos omnes adoptare in hæreditatem salutis. Nec denique potest Christus dici Filius Dei adoptivus ratione humanitatis, quæ Deo extranea est, & potest assumi ad hæreditatem regni, quia adoptio non tribuitur naturis, sed personis.

*Christus
ut homo
est Deus Fi-
lius na-
turalis.*

Dicendum 5. Christus Homo est Filius Dei naturalis, imò Christus in quantum homo, est talis. Prius patet, quia Christus homo est Deus, ergo Filius Dei Patris. Posterius quoque verum est hoc sensu, quod Christus quatenus est persona, cui humanitas competit, & per eamdem subsistens, sit Filius Dei naturalis, cum verbum in divinis sit tale.

S E C T I O IV.

De oratione Christi.

*Christus
vere ora-
vit.*

DICENDUM primò, Christum verè & non tantum simulatè orasse, tam pro se, quam pro nobis. Probatur 1. quia ut ait scriptura Lucae 6. *exit in montem orare: & erat per noctem in oratione.* Idem dicit alibi sæpe. Etsi autem aliquando SS. Patres dicant Christum simulatè orasse, intelligendi sunt de simulatione suæ indigentiae & necessitatis, quam orando præ se gerebat Christus quæ talis non erat, ut apparebat: vel etiam quod simulatè orabat, secundùm divinitatem.

*Quomo-
do poterit
mentis bri-
fis in Deum
ferri.*

Objicies: oratio est ascensio mentis in Deum, atque Christus de novo non poterat mente sua ferri in Deum, cum ab initio conceptionis in illum tenderet per

per visionem beatificam. Resp. et si non poterat de novo ferri in Deum visione beatifica, poterat tamen per desiderium novum aliquid à Deo impetrandi.

Dices 2. Nemo prudenter id rogat fieri, quod certò scit futurum vel non futurum, prout sciebat Christi potest stus. Resp. si quid petatur, quod etiam certò futu-
rum scitur, sed dependenter à sua oratione, aliás non rum est futurum: tunc rectè & prudenter, id posse peti & ro-gari. Sciebat autem Christus aliqua non facturum suum Patrem aut non impediturum, nisi mediante sua oratione, ergo illud prudenter rogabat fieri aut impedi.

Dicendum 2. Omnein Christi orationem fuisse exauditam à Patre, uti dicitur Joan. 11. *Scio quia semper me audis.* Hoc autem intelligendum est de oratio-ne efficaci, aliás multa petit inefficaciter, id est pro-posuit solummodo suæ voluntatis beneplacitum cir-ca aliqua, quæ tamen non sunt secuta: ut in horto Matth. 26. *Transeat à me calix iste,* &c. Ratio autem dictæ conclusionis est, quia si quid efficaciter postulasset, quod tamen non futurum sciebat, voluisset aliquid, quod pater non voluisset, adeoque voluntas ejus, voluntati Patris non fuisse conformis. Notandum tamen velle aliquos, absolutè omnem omnino Christi orationem fuisse exauditam, & docent orationem debere esse efficax alicujus rei desiderium; si autem alibi legatur, non secutum fuisse quod rogabat, docent illius rei non fuisse veram orationem, sed nudam suæ voluntatis & desiderii propositionem.

Dicendum 3. Christus etiamnum pro nobis rogat in cœlis, uti ait Apost. ad Rom. 8. *Qui est ad dexteram Christus Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Hinc dicitur, *Advoca-tus noster,* &c. quamquam autem Christus morte sua nobis meruerit, quidquid gratiæ nobis accidere po-test, non ideo tamen deneganda est vera Christo ora-tio in cœlis, cum illud nobis meruerit, dependenter ab applicatione per ipsius orationes aut nostras fa-ciendâ. Orat autem in cœlo propriè, non tantum Meta-

*Omnis
Christi ora
rio efficax
est exau-
ditæ,*

*Christus
in calu
orat.*

Metaphorice repræsentando Deo Patri sua merita, ut volunt alii : cùm in eo nihil indecentiae sit, & SS. Patres absolute dicant, Christum *rogare*; *orare* pro nobis, &c. Si verò id negent aliqui, intelligendi sunt, quod jam non amplius Christus roget, uti rogavit in terris, cum clamore valido, genuflexione, &c.

An posuit dicit Christus ora pro nobis. Objicies: ergo possemus dicere, *Christe ora pro nobis*. Resp. secluso scandalo nos posse ita orare: quia tamen Ecclesiae usus habet contrarium, & honoratiori titulo Christum veneratur, dicens: *Christe fili Deus miserere nobis*, à simili petitiōne erit abstinentendum.

Quomodo vero Christus dicatur sedere ad dexteram Patris, docet S. Aug. Sermone de ascensione, ubi ait: *Licet (dextra) dignitatis gradus non sit, ubi plenitudo est divinitatis, tamen ideo ad dextram sedet filius, non quod preferatur Patri, sed ne inferior esse credatur.* Et alibi passim dexteram patris vocat beatitudinem util. I. de Symbolo c. 4. *Sedet ad dexteram Patris id est beatitudinem: ipsius enim beatitudinis nomen est dextera Patris.* Et in Ps. 137. Ideo jam in ipsa immortalitate positus Christus, dicitur sedere ad dexteram Dei: non enim Deus habet in se ipso dexteram & sinistram, sed dextera Dei dicitur felicitas illa, qua quantum oculis ostendi non potest, tale nomen accepit.

S E C T I O V.

An Christus sit Sacerdos.

Christus sacerdos secundum humanitatem solum D ICENDUM primò, De fide esse, Christum fuisse verum Sacerdotem. Probatur ex S. Scriptura ad Heb. 5. ubi de Christo dicitur: *Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Et c. 7. *Hic (Christus) eo quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium.* Deinde ille est Sacerdos, qui ex officio offert Deo sacrificium, quod Christus fecit, offerendo se ipsum in ara Crucis Deo Patri.

Dicen-

Dicendum 2. Christum secundum humanitatem tantum, non item secundum divinitatem esse Sacerdotem. Probatur: quia Christus secundum divinitatem non habet superiorem se, cui offerri debet Sacrificium. Unde recte S. Amb. l. 3. de fide c. 5. *Sacerdos ait, idem & hostia: Sacerdotium tamen & Sacrificium humanæ conditionis officium est.* Dicitur tamen Christus esse Sacerdos in æternum, eo quod ab æterno sit ordinatus à Deo, ut in tempore futurus Sacerdos.

Dicendum 3. Christum simul esse Sacerdotem & Sacrificium. Probatur ex Ephes. 5. *Tradidit semet ipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo.* Quod intelligendum est, non tantum de cruenta oblatione in ara Crucis, sed etiam de incruenta, quando consecravit in cœna Domini. Probari hoc potest ex verbis consecrationem subsequentibus: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis, non tantum instituit Apostolos Sacerdotes, sed & ordinavit, ut alii Sacerdotes offerrent Corpus suum & Sanguinem, ut declarat Conc. Trid. ses. 22. can. 2. Ex quo consequitur, quod debuerit Christus antecedenter id obtulisse, alias malè dixisset *hoc facite id est*, hoc id est quod ego jam ante feci.

Objicies primò, Christus sese non occidit, ergo *Quemodo non sese obtulit in Sacrificium.* Resp. Non requiri-
tur ut physicè Sacerdos ad destructionem hostiæ concurrat, sed satis est quod moraliter id faciat: Christus autem moraliter concurrit ad sui occisionem & sui immutationem, liberè in eam consentiendo, eam non prohibendo, imò se illi exponendo.

Dices: ergo Martyres SS. etiam dicendi sunt Sacerdotes & hostiæ. Resp. Etsi illi se quoque, & vitam & mortem Deo offerant in protestationem supremi ejus dominii, nequeunt tamen dici Sacerdotes *Quare Martyres non sunt Sacerdotes & hostiæ,* eo quod hoc agant propria autoritate tantum, ubi tamen ad Sacrificium pertinet, ut id fiat & offeratur publica authoritate. Plura de hac re vide in tract.

*Christus
Sacerdos
& hostia.*

Christus.

*Quare
Martyres
non sunt
Sacerdos
& hostiæ.*

44 DE REGNO ET PROPHETIA CHRISTI.

tract. de Sacrificio, in materia de Sacram. Euch.
 Sacerdotium Christi permanere in
 æternum, quoad effectum, qui in æternum manet,
 ratione manet in æternum. Dicitur autem Sacerdotium Christi
 permanere in æternum, quoad consummavit sancti-
 ficos. Item etiam quoad ipsam rem; Christus enim
 manet in æternum. Dicitur autem Sacerdotium se-
 cundum ordinem Melchisedech, quia Melchisedech
 repræsentat Christum, nomen enim ejus significat,
Regem Justitiae, quod Christo competit, cum sit Deus
 fortis & justus. Dicitur quoque *Rex Salem*, id est
 Rex pacis; Christus autem est Princeps pacis: deni-
 que quia panem & vinum obtulit, sub quarum rerum
 speciebus oblationem suam & sui ipsius Christus in-
 stituit & immolavit.

S E C T I O VI.

De Christo Rege & Propheta.

Christus est Rex. DICENDUM primò, Christus ut est Deus, est Rex Regum & Dominus Dominantium: ut est homo, etiam est Rex, ut ipse Christus testatus est Pilato roganti & dicenti: *Rex es tu?* cui respondit Christus. *Tu dicas: quia Rex sum ego.* Quatenus autem est homo, est Rex Ecclesiæ, qua ratione dici-
 tur Christus caput Ecclesiæ, Pontifex, &c. Hac potestate usus est, dum Ecclesiam fundavit, Petro eiudem primatum dedit, Sacra menta instituit, leges uovi Testamenti sancivit, &c.

Christus habebat potesta- tem in so- luum or- bem. Dicendum 2. Christus ut homo, non fuit Rex temporalis. Probatur ex verbis ipsius Christi Joan. 18. ubi dicit: *Regnum meum, non est de hoc mundo.* Id est terrenum aut temporale, sed spirituale: quæ dicta intellige quoad usum; nam quoad proprietatem & radicalem potestatem, habebat Regium jus in hoc universum; non solum indirectum, quatenus ut Pontifex poterat de illo disponere in utilitatem spiritu-

spiritualem, sed etiam directum, cum ut ait Joan. c. 3. *Omnia dedit (Pater) in manus ejus.* Et ipse Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Hanc potestatem aliqualiter deduxit in actum, dum arescit ficalneam, dæmonibus imperavit ire in porcos, &c. Notandum autem, si quando SS. Patres doceant, Christum habuisse dominium paucarum rerum, fuisse pauperem, &c. Intelligendos esse, de dominio quoad usum.

Dicendum 3. Christum fuisse Prophetam. Patet ex Deut. 18. ubi de Christo dicitur: *Prophetam de gente tua, & de Fratribus Tuis, suscitabit tibi Dominus.* Patet etiam ex eo, quod futura prædixerit, quod Prophetis est proprium, secreta cordium cognoverit, & eadem noscens Pharisæos reprehenderit, &c.

Dicendum 4. Christum fuisse legislatorem, & Iudicem futurum. Probatur prius, quia est legislator novæ legis; hinc toties in Scriptura dicit: *Mandata MEA servate: hoc est Preceptum MEUM, &c.* Quod autem sit futurus Iudex, qui antea fuit Salvator, probatur clare ex act. c. 10. ubi de Christo dicitur: *Ipse est, qui constitutus est a Deo Iudex vivorum & mortuorum.* & iterum Joan. 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius Hominis est.* Porro judiciaria illa potestas, non solum pertinet ad iudicium futurum generale, sed & ad particulare in morte cuiusque faciendum, uti constat ex Joan. 5. ubi dicitur: *Pater non iudicat quemquam: sed OMNE JUDICIUM dedit Filio, ut omnes honorificent Filium.*

SECTIO VII.

De Prædestinatione Christi.

DI CENDUM primò etsi non competit Christo prædestinatione propriè dicta, quâ liberantur certissimè, quicumque liberantur, competit tamen ipsi Christus prædestinatus ut sit Filius Dei p̄œ-

prædestinatio, prout est divina prædestinatio eorum, quæ quis per gratiam in tempore facturus est. Pater enim in divinis ab æterno præordinavit & decrevit existentiam Christi: ejus merita, gloriam resurrectionis, &c.

Dicendum 2. Certo sensu dici posse, Christus homo est ab æterno prædestinatus ut esset Filius Dei: si sensus scilicet sit, quod verbum seu Persona divina, quæ simul erat homo, ad hoc sit prædestinata. Et sicut ad Rom. 1. ab Apostolo dicitur: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, &c.* Si vero sensus sit, quod Christushomo seu quatenus homo, ad hoc sit prædestinatus, ut sit Filius Dei, sic est falsa prædicta propositio. Quamvis autem Christus ab æterno fuerit Dei Filius, adeoque videri posset quod non posset prædestinari ut esset Filius Dei, inde tamen hoc non sequitur, loquendo de Christo prout habet sibi humanitatem substantialiter conjunctam, et si hoc recte sequatur de Christo, ut est verbum Patris.

Dicendum 3. Christus secundum humanitatem prædestinatus est ad gratiam & gloriam, cum illa Christo ab æterno Deus præparavit, prædestinatio autem nihil aliud est S. Augustino, quam gratiæ præparatio.

Dicendum 4. Prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis meritoria, finalis & exemplaris. Patet ex haec tenus dictis de prædest. de fine incarnationis & merito Christi. Quod autem sit meritoria, patet ex finalitate: eo, quod omnis gratia nostra & gloria ex meritis nostris Christi profluat. Finalis vero est, quod ipse sit prædestinatus, ut omnis nostra gratia & gloria referretur in Christum, ejusque gloriam tamquam finem. Quod vero sit exemplaris patet ex eo, quod sicut Christus gratis est prædestinatus sine ullo intuitu ad ipsius merita, ita & nos: Deinde sicut Christus prædestinatus est ad filiationem naturalem, ita nos ad adoptivam.



CAPUT QUARTUM

De adoratione Christi & Sanctorum.

SECTIO PRIMA.

De Adoratione Christi.

DICENDUM primò, rectè impendimus Chri- Quid laus honor, & adoratio.
sto Domino, laudes, honorem & adora-
tionem. Distinguitur autem laus & honor
& adoratio, in eo quod laus propriè sita sit
in verbis alterius excellentiam efferentibus, honor
autem in factis ad idem ordinatis. Adoratio verò ultra
dictam testificationem excellentiae alterius, requirit
submissionem in adorante, respectu ejus quod ado-
ratur, in quo differt à laude & honore, cum etiam
honoremus & laudemus æquales, imò & inferiores.

In adoratione autem tres actus præcipui notandi Actus adoratio.
sunt: 1. actus est intellectus, quo excellentiam alterius adoratio.
apprehendimus. 2. Actus est voluntatis, quo alteri nra.
inclinamur, volentes aliquid ei exhibere, quo nostram
submissionem, ejusque excellentiam protestemur:
3. Denique est actus exterior, quo velut signo inte-
riorem animi submissionem declaremus.

Dicendum 2. Duplex potissimum est excellentia Cultus latræ, dñs, hyperdulia.
increata, & creata, quibus diversus respectivè cultus latræ, dñs, hyperdulia.
debet adhiberi. Increatam excellentiam colimus cul-
tu, qui dicitur latria, idest cultus, qui soli Deo est
debitus, in signum supremi dominii, quod in omnia
creata obtinet. Ab hac loquendi methodo, vocati sunt
in scriptura & alibi *idololatæ*, qui idolis divinum hunc
honorem exhibebant. ut act. 17. 1. Cor. 10. crea-
tam verò excellentiam colimus diverso cultu, ut ma-
gis

gistratum cultu politico; item servi Dominos, &c. cultu honorario & abjecto, sanctos autem ob eorum virtutes & sanctitatem colimus cultu pio & Religioso, & communiter vocatur hic cultus *dulia*. Porro inter actus exteriores adorationis aliqui sunt communes Deo & creaturis, alii Deo sunt proprii. Proprii sunt, ut actus sacrificii, erectio templorum & altarium: communes sunt alii, ut genuflexio, capitum inclinatio, &c. Hinc etiam eisdem vocabulis cultus Dei & creaturæ subinde significatur, nunc eosdem vocando adorationem, nunc servitutem, nunc honorem, gloriam, &c.

Humanitas Christi adoratur, non tam secundum la. Dicendum 3. Christi humanitas eadem latrâ adoratur, quâ adoratur verbum. Probatur ex Conc. Ephes. Can. 8. ubi dicitur, quod Christus homo Deus, unâ adoratione sit adorandus. Ratio est, quia illa' adoratione adoratur verbum incarnatum, sive habens carnem: unde sicut honorando regem purpurâ induitum, honoramus simul & concomitanter purpuram: ita adorando verbum incarnatum, adoramushumanitatem verbi. Etsi autem latrâ non possit principaliiter impendi creaturæ, sed tantum creatori, potest tamen secundariò & propter creatorem.

Dicendum 4. Humanitas secundum se præcisè sumpta, cùm sit eatenus creatura & se sola consideretur, non potest adorari cultu latrâ, sed duliae tantum, et si ut ait D. Th. *Non cuiuscumque, sed cuiusdam excellentioris, quam hyperduliam* vocant.

Notant tamen rectè aliqui has abstractiones in praxi non tolerandas, sed simpliciter Christum adorandum esse ut Deum cultu latrâ, nec in rebus tantum momenti conceptibus nostris esse ludendum, ne in re tanta detur scandali & erroris occasio.

SECTIO II.

Quid & quomodo Sancti à nobis invocari possint.

DICENDUM 1. Cùm Sancti quoque habeant pro-^{Inveratio-}
priam excellentiam supernaturalem, que aliam ^{Sancto-}
creatam naturalem v. g. politicam longè antecellit :
Sequitur quòd iudem adorari possint & invocari. Pro-
batuī hoc ex perpetuo Ecclesiæ usū, de quo ita Iustinus
Apolog. 2. *Deum, honorumque Angelorum exercitum &*
spiritum Propheeticum colimus, atque adoramus, verboque &
re veneramus. Patetidem ex eo quòd Hæretici & Iudæi,
ab initio nascentis Ecclesiæ hanc Catholicorum pra-
xim accusaverint idolatrix, quòd homines mortuos
pro diis colerent, dum eosdem invocarent; quibus om-
nes cum Theodoreto l. 8. curat: Græc. aff. iis reposue-
runt & dixerunt: *Nos Martyribus nec hostias, nec liba-*
mmina ulla deserimus, sed ut Sanctos homines, Deique ami- ·
cissimos honoramus. Hinc etiam in principio, Abra-
ham adoravit Angelum, Loth Balaām, Abdias He-
liam, Nabuchodonosor Daniēlem, &c. Quod nul-
libi scripturā reprehendit.

Denique ipse Deus Sanctos honorat, imò nimis
ipſi honorificati sunt amici ejus, ergo pari causâ ho-
mines, eosdem licetē venerantur & adorant.

. Dicendum 2. Etiam Sancti recte invocantur. Pa-
tet ex facto Jacob Genes. 48. dum invocavit Ange-
lum. Job. 5. etiam monet dicens. *Ad aliquem Sancto- ·*
rum convertere. Deinde si à vivis preces rogarint Apo-
stoli ut Paulus fecit ad Romanos 15. recte quoque
idem fit à Beatis. Non enim minus de vivorum Fra-
trum salute solliciti sunt, quam Dīves Epulo Lucæ 16.
pro suis anxiis fuit in inferno, neque illorum Cha-
ritas in patria extincta est, sed potius adaucta: Un-
de etiam gaudere eos Scriptura docet, de conversio-
ne Peccatorum Mauth. 14. Probatur insuper ex facto
Tom. III. D SS.

SS. Patrum V. T. qui merita Patrum in Patrocinium assumperunt: sic Exodi 32. dicit Moyses: *Recordare Domine Abraham, Isaac & Israël Servorum tuorum.*

Quare pp. V. T. intro- Et Psalm. 131. *Memento Domine David, &c.* Ubi hoc quoque notandum numquam in L. V. Patres invoca-
caisi me- caros esse, & dictura v. g. S. Abraham ora pro nobis,
moriens eo quod S. Patres ante adventum Christi, à visiono
ecorum fo- Dei fuerint exclusi, adèòque preces nostras illos non
tum reno- vando. potuisse cognoscere in verbo, sed solummodo Deo
eorum merita allegabantur: Jam verò in Cœlis cum
Christo regnantes, & Deo frumentis invocantur, ut
pro nobis orent, cùm preces nostras probè noscant
uti patet ex perpetuo Ecclesiæ usu & sensu.

Sancti co- Dicendum tertio Sanctos cognoscere preces no-
gnoscunt stras, aliás risu dignum foret, exorare aliquem qui
preces no- non audit, nec preces agnoscit, ut dixit Elias 3. Reg.
stras.

18. Prophetis Baäl invocantibus. Probatur autem conclusio ex eo quod Sancti in Deo cognoscant omnia quae ad se pertinent, ad quæ spectat quoque co-
gnoscere ea quae à se rogantur, cùm sit infirmitatis honorantes se non agnoscere, nec eis posse subvenire. Deinde cùm Sancti, puta Prophetæ, & alii hic in mundo neverint secreta cordis, cur in patria id illis denegamus? Unde Prudentius hymno de S. Cas-
siano ita canit. *Audit, crede, preces martyr prosperi-
mus omnes.* Et S. Greg. l. 2. mor. c. 14. *Quid, ait,
de his, quæ scienda sunt nesciunt (Sancti) qui scient
omnia sciunt?* Hoc tamen rectè notat Illustrissimus D. Castoriensis l. de cultu D. Virginis & SS. etiam Sanctos posse ritè invocari, et si preces nostras non cognoscerent: Eo quod Deus intuitu Sanctorum si-
bi amicorum, preces nostras statuerit exaudire, quas certè ipse Deus audit & cognoscit.

*Particula-
ria bona* Dicendum 4. Particularia bona à particularibus Sanctis rectè exposci. Etsi enim Deus sine alicujus particula-
res Sancti Sancti intui. u quævis bona dare nobis possit, tamen obtinente aliquia non dare constituit, nisi hujus vel illius San-
cti interventu. Sic Job 42. dixit. *Ite ad servum meum*
Job,

Job: Job servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam. Sic ad solius Heliæ preces, pluyiam dare constituit 3. Reg. 17. &c. Hinc videmus per unum in hoc genere auxilium miraculosum, per alium vix ullum: Prout cuique dona sua Deus dividic sicuti vult.

Objicies ad ante-dicta: Invocatio & adoratio specialiter interdicitur, hoc præcepto, *Ipsi soli servies, soli Deo dominum tuum adorabis*, &c. Deinde honor ille & adoratio, diminuit honorem Deo debitum. Denique Deus de se est paratissimus ad nobis succurrendum ergo frustranea est Sanctorum invocatio. Resp. ad 1. illo præcepto solummodo interdici cultum Latræ qui solo Deo impendi potest: Sancti autem non honorantur latriâ, sed cultu inferiori, scilicet duliâ. Ad aliud resp. cultum SS. non diminuere cultum Deo debitum, sed è contra eum augere, quia ut ait D. Hieron. in Epist. ad Riparium: *Honoramus Sanctos, ut honor servorum redundet in Dominum.* Et Amb. Serm. 6. *Qui honorat Martyres, honorat & Christum, qui spernit Sanctos, spernit & Dominum.* Et S. Aug. Epist. 42. *In Petro, rogat, quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis?* Ad ultimum resp. qmamvis Christus dicat, *Petite & dabitur vobis*, tamen aliquando interuentum Sancti alicujus exposcit & necessarium constituit, ut quæ petimus, efficaciter consequamur.

Dicendum 5. Cum animæ in Purgatorio sint Deo gratæ & amicæ, rectè quoque possunt invocari. *in Purga-* Hinc 2. Machab. 15. dicitur, quod Onias summus *orio relè* Sacerdos, & Jeremias in limbo existentes oraverint *invocan-* pro populo, eisque victoriæ impetraverint. Deinde Greg. l. 4. Dialog. c. 40. & 41. refert quemdam Paschasiū in Purgatorio existentem miraculosè alium à dæmone liberasse. Denique eo pacto major erit Communio Sanctorum se mutuo juvando precibus & aliis auxiliis.

Dices cum D. Th. 2. 2. q. 83. a 4. & 9. ad 3: animæ illæ sunt nobis inferiores quoad pænam, ergo

*Inferior
potest in-
vocari.*

invocari nequeunt : deinde defectu visionis beatifice nostras preces non cognoscunt. Resp. ob has rationes probabiliter sentit D. Thomas Contrarium : ad que tamen Resp. illos quorum preces Paulus exposcit in vita , etiam Paulo fuisse inferiores. Deinde etsi sint inferiores quoad pñnam , sunt tamen superiores quo ad statum amicitiae cum Deo. Denique possunt illæ animæ preces nostras cognoscere per Angelos Custodes , vel etiam generaliter rogare pro iis , a quibus invocantur.

SECTIO III.

De Cultu imaginum & Reliquiarum.

Cultus Imaginum est licitus. DICENDUM primò , cultus Imaginum & Reliquiarum est licitus & bonus. Probatur primò ex variis definitionibus Ecclesiæ , & Trid. Ses. 25. Dec. 2. Probatur 2. ex assiduo Ecclesiæ usu & praxi. Denique Deus ipse Sanctorum Corpora honoravit , quando Moysis Corpus per Angelos sepeliri voluit , dum Ossa Helizæ mortui mortuum suscittarent , dum Petri Umbra , Pauli Semicinctia , Christi Fimbria morbos curarent , &c. Unde Basilius in Psalm. 115. ad illud : *Prestiosa in Conspictu Domini mors SS. ejus* , ita ait : *Qui nunc Ossa Martyris attingit , quamdam Sanctificationis Societatem assumit*. Ossa enim illorum , illorum merita , virtutes & victoriam ob oculos regerunt , ut imitari eos non pigeat , quos celebrare & invocare delectat. Patet quoque Deo gratum fuisse cultum Reliquiarum , dum Reliquias occultatas revelavit , ut Ambrosio Corpus Gervasii & Protasii , Stephani , &c. S. Norberto Corpus Geronis & aliorum. Denique constantem Reliquiarum cultum declarant luminaria & lampades , quibus ab initio Ecclesiæ Reliquias honorare consuevit populus Christianus , lumen enim signum est honoris &

*Ad quid
serviant
in Templo
Luminaria.*

glo-

gloriæ. Unde in natali S. Felicis ita canit paulinus.

Clara coronantur densis Altaria lychnis.

Notandum autem cum D. Hieron. Epist. ad Riparium, *Martyres non egere lumine cereorum, nec illuminari, quasi sint in tenebris, sed gratam esse mentis devotionem, placere fidem, honoris officia.*

Objicies 1. Christus reprehendit Judæos Matth. 23. quod sepulchra Prophetarum ædificarent, eo quod consenserent hoc pacto neci ipsorum. Deinde Deus abscondit corpus Moysi, ne posset honorari. Resp. ad 1. Cristum eos redarguere, quod hoc hypocriticè facerent, ostendentes sese velle accusare patres, qui Prophetas occidissent, & interim ipsi Prophetas & Christum persequerentur. Deinde, sepulchra illa exornabant, revera consentientes neci Prophetarum, hoc facientes ut patrum suorum fortitudinem sic extollerent. Ad aliud Resp. id à Deo factum esse, ne populus idolatriæ deditus, Moysen latrâ aut quasi latrâ coleret & veneraretur.

Objicies 2. In Conc. Elibertino c. 34. vetatur ac- *Quisnam usus careo rum olim ab Ecclesia interditus.*
censio cereorum in cæmeterio. Deinde D. Hieron. I. contra Vigilantium, reprehendit usum cereorum *ab Ecclesia interditus.* Reliquiis, quem adhibebant mulierculæ, quæ cibum & potum, luminaria, &c. ad sepulchra Martyrum & defunctorum deferebant, putantes ex his, defunctis aliquid advenire solatii. Vide Hier. supra citatuin. Hinc dicit Concilium Elibertinum, tali usu potius Sanctos inquietari.

In impugnando tamen SS. Imaginum cultum, sese sufficienter manifestat Erasmus Rott. Hic enim inter alia objicit Catech. 6. quod usque ad tempora S. Hieronymi, nulla esset in templis Imago, nec pieta, nec sculpta, nec texta ne Christi quidem, idque ut pu-

tat propter antropomorphitas. Deinde l. 22. Epistolarum, scribit Catholicos cum Imaginibus fabulari acsi sensum habeant & animam. Rursum Epistolatum l. 22. docet, perfectius esse tollere sursum animos ad Christum sine Imaginibus, quam per Imagines. Iterum de modo orandi dicit, quod Imagines in Ecclesia sint tolerandæ, quas veteres Ecclesiæ proceres detestabantur odio scilicet idolatriæ. Eadem ejusdem farinæ habet hinc inde idem author, ex heretico genio profecta. Quod enim ad primum attinet, aperte est falsum, cum omnino contrarium constet ex S. Basilio, Chrysostomo & aliis Conciliis S. Hieronymo anterioribus, qui Imaginum etiamque cultus meminerunt. Audi vel solum Gregorium l. 9. Reg. c. 9. id attestantem: *In locis, ait, Venerabilibus Sanctorum, depingi historias, non sine ratione vetustas admisit.* Imo usus Imaginis Christi, etiam eo vivente fuit, prout ex Spondani epitome ad annum 31. constat, ubi narratur ex Eusebio, mulierem illam à fluxu Sanguinis à Christo curatam Matth. 9. in beneficii hujus memoriam, statuam Christo erexit, eamque ultra 300. annos integrum permansisse, puto usque ad tempora Juliani.

Alterum verò quod sequitur, est planè ridiculum: non enim Catholici Imaginibus fabulantur, uti nigratur Erasmus, sed cum Sanctis, quos representant.

Subsequens quoque est aperte falsum & contra omnem experientiam, quæ docet homines magis sursum ferri adminiculo externorum, v. g. Imaginum, &c. quam sine illis. Juvant enim hominem ut vivacius apprehendat & attendat illi, quod agit, representando homini Sanctum tamquam praesentem, & fortius exorantis animum detinent, ab alienis distractionibus coercendo & avertendo.

Quod ad ultimum spectat, falsum est ullibi apud veteres Ecclesiæ proceres legi, Imagines in Ecclesiis toleratas, sed bene plurimum fuisse commendatas. Neque ullam plausibilem scripturæ vel SS. PP. sententiam

tentiam pro se adferre umquam potuerunt Iconomachi, nisi loca quædam malè intellecta aut sinistriè ad suum errorem contorta, utiegit & ipse Erasmus. Adde, quod Gentilium & Eiñnicorum Imagines sacerdotis sunt detestati, Christianas nunquam. Alia hanc materiam concernentia ab eodem auctore alibi adducta, ejusdem sunt ponderis & momenti, ex quo ejusdem spiritus luculenter innotescit.

Dicendum 2. Crux Christi & alia passionis instrumenta, tamquam instrumenta redemptionis nostræ, *adoratio*, & res ex contactu Christi sanctificatae, rectè à nobis possunt adorari. Patet illud etiam ex miraculis quæ in inventione Crucis facta sunt, & praxi totius Ecclesiæ primitivæ, quæ particulas Crucis summo honore habuerunt.

Dices, ergo licebit adorare pullum asinæ, labia judæ & alia his similia, quæ Christum tetigerunt. Resp. secluso scandalio hujus respectu licebit quoque honore pullum asinæ, non tamen labia judæ, &c. Quia Christus ipse hæc fuit execratus, ut partes hominum impiorum, adeoque illam moralem sanctitatem ex contactu Christi non habuerunt, nec eis intuitu sunt honoranda.

Dicendum 3. Licitè quoque coluntur Imagines *Altarum* Sanctorum, ut rursus ex definitione Ecclesiæ, *Imaginum*, ejusdem praxi, miraculis in earum veneratione factis, satis constat. Imaginibus enim nobis representantur illi, quorum sunt Imagines, illorum virtus nobis proponitur in exemplum, charitas erga Deum & pia erga sanctos nobis ingeritur veneratio. Habent hoc enim Imagines, ut suo aspectu ad rem excitent videntium animos, quam representant: sic lascivæ ad venetrem excitant, &c. Deinde eisdem memoriam Sanctorum assiduâ cogitatione recolimus, tamquam eorum, qui de fide nostra bene sunt meriti, uti statuæ eriguntur personis de republica bene meritis.

Objiciunt, hoc facto repugnari 1. Decalogi Præcepto. *Quis col-*

*tus im- cepto, Non facies tibi sculptile, ut adores illud. Dein-
graum o de Concil. Elibertinum can. 36. Ita habet : Placuit
lim in Ic. ecclesia pro- in Ecclesie figuram esse non debere. Deinde in Conc. Fran-
hibitas. coford. rejecta est doctrina Synod. 1. de Imagini-
bus. Idem fecerunt 2. Concilia Constantin: Resp.
ad hæc & similia à Sanctis quoque Patribus quando-
que allata, tantum prohiberi & proscribi cultum la-
triæ, Imaginibus delatum, vel etiam delatum Ima-
ginibus propter se, sic ut in ipsis Imaginibus quod-
dam divinum esse judicaretur, ratione cuius in ipsis
Imaginibus fiduciam suam ponebant aliqui. Adde,
primum Conc. tantum esse provinciale, quod pro-
inde generali Ecclesiæ constitutioni & definitioni de-
rogare nequit. Conc. verò Francofordi: quoad hanc
partem ab Adriano I. receptum non fuit. Unde ipse
met impugnatores Imaginum suo scripto impugna-
vit. Alia autem 2. Concilia, non fuerunt legiūmè
congregata, nec quoad hoc approbata, prout ex
definitione generalis Ecclesiæ satis superque constat.*

*Imaginū
cultus ab-
futus.* Dicendum 4. Possunt Imagines adorari in seipsis,
non tantum ut in illis adoratur Prototypon, idque
non latriâ, sed honorariâ quâdam adoratione ab-
illâ diversâ : aliâs enim imagines absolutè honore non
essent dignæ. Unde quando imagines honorarius cul-
tu superiori, v. g. dulia aut latriâ, tunc simul cum
Imaginibus adoratur Prototypon, et si non eodem
cultu, sic nempe, ut latria feratur in prototypon,
aut dulia, alias autem cultus honorarius in ipsam
imagine. Hinc quando genuflectimus ante imaginem
crucis Christi, vel caput detegimus ante ima-
ginem Mariæ, colimus cultu latriæ Christum, vel
hyperduliae D. Virginem, non crucem aut imaginem
Mariæ. Ex quibus patet diversimode loquendum esse
de cultu imaginum, si simul cum imaginibus cen-
seatur venerari prototypon, & si imago seorsum a
prototypo. Hinc quoque patet, posse imaginem
dici Sanctam, tuin propter significationem, tum
propter Ecclesiæ consecrationem in qua sita est ;
et si

etsi omnis ejus excellentia ordinem aliquem dicat ad rem sacram, qua ratione omnis ejus cultus abso-
lutè debeat dici respectivus.

Dicendum ultimò; rectè quoque in honorem Sanctorum ædificantur sacræ aedes, obeuntur peregrinations ad diversa loca, denique rectè Sanctis vota emittuntur. Etsi enim Templa & altaria primariò in Dei cultum erigantur, adeo ut rectè docet S. Aug. l. 1. Cont. maximin. Templi erectio ad latriam pertinet: tamen in quantum Templa considerantur tamquam monumenta Sanctorum, in quibus eorum Corpora requiescunt, vel etiam quatenus Ecclesia aliqua, Sanctum aliquem pro singulari Patrono eligit, rectè in illius honorem ædificationem Templi cedere judicatur. Hinc S. Aug. l. 22. de civ. c. 10. nos inquit, *Martyribus nostris, non Templa sicut diis, sed memorias, sicut hominibus Mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus.*

De peregrinationibus idem docet Continua Ecclesiæ praxis, & Sancti Patres, de qua Beda l. 5. Hist. c. 7. ait, anglis omnibus in more fuisse peregrinari ad Apostolorum sepulchra. Ad honorem enim Sanctorum spectat, eorum sepulchra visendi gratiâ, subire laborem, sumptum, & itinerum pericula. & licet Sanctorum memoria ubivis haberipossit, commodius tamen in uno loco, quam alio: deinde in uno loco per invocationem Miracula sentimus & videmus, non in alio.

Vota denique licet Sanctis emitte, patet ex eo, quod in signum gratitudinis, eò quod pro nobis Deum orient & intercedant, licet aliqua in illorum honorem promittamus. Unde aliud est votum Sanctis emissum, aliud Deo emissum, cui votum emititur tamquam supremo omnium Domino, & omnium bonorum authori: Sanctis verò, ut Dei amicis & intercessoribus nostris. Probat dictam conclusionem, Prudentius Hymno de S. Hemiterio, dum ita canit.

*Illas cruore Sancto,
Nunc arenas incole
Conrequentant, Observantes
Voce, votis, munere.*

SECTIO IV.

*Quedam in veneratione Sanctorum & imaginum ob-
servanda.*

Cùm nullus sit omnino usus tam Sanctus, quin abusu prophanari queat, hinc in praedicto cultu varia proscribenda præcipit S. Synodus Trid : Ses. 25. decr: 2. quæ ut fortius eradicentur monet Episcopos, & Pastores, ut quæ hucusque de invocatione Sanctorum ejusque modo diximus, populum diligenter doceant & instruant, ne cultum Deo debitum, Creature impendant, & ita religio in idolatriam degeneret.

1. Ergo nionendus est populus, ne *imaginibus* cre-
datur inesse aliqua divinitas, vel virtus, propter quam
sint colende, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel
quod fiducia in *imaginibus* sit figenda, veluti olim siebat
u gentilibus, qui in *idola* spem suam collocabant.

Hinc peccant & errant illi, qui imagines aliquas,
vel propter ornatum honorabiles, vel quia in loco
ubi statuuntur Miracula experintur, uti divinum
quoddam venerantur, uti sacerdoti fit à rudi populo,
cujus cultus fertur in *imaginem* sacerdoti & usque or-
namenta, nullo facto respectu ad prototypa, quo-
rum sunt imagines.

Peccant itidem qui spem suam & fiduciam suam
in *imaginibus* ponunt, firmè sibi persuadentes se
nullo periculo obruendos, quaindiu *imaginem* ali-
quam penes se habent & gerunt.

Notandum 2. nullas falsi dogmatis *imagines* &
rudibus periculosi erroris occasionem præbentes,
posse

posse statui in Ecclesia: quod si aliquando historias & narrationes sacrae scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit; dixeri debet populus, non propriea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspicere, vel coloribus gauden-
tibus, aut figuris exprimi possit. Hinc quando Pater in di-
vinis in specie senis, Spiritus S. in specie columbæ,
Angeli in specie juvenum alatorum figurantur, mo-
nendus est populus, illis speciebus illos figurari, ad
recolendas historias, in quibus tali specie apparue-
runt, vel ad figurandas eorum proprietates, v. g.
Patris aeternitatem, Angelorum promptitudinem ad
execuenda Dei mandata, &c. qua in re sollicitè
monendus est rufus populus, qui Deum imaginatur,
ut hominem, Regem, &c. nec aliquid fermè percipit
spiritualis, sed omnia ad carnem mensurat.

Notandum 3. Omnis superstitione in Sanctorum invocacione, reliquiarum veneracione & imaginum sacro usu tollatur, & omnis turpis quæstus elimi-
netur. Peccant enim superstitione, si cultum divi-
num Sanctis adhibeant, vel modos insolitos & su-
perstitiosos in eo adhibeant. Notandum tamen varia
apparere aliquando superstitione, quæ tamen ab Ec-
clesia tacite sunt approbata, & quorum adhibitione
Deum remedium ferre experimur, sicut multa sta-
tuit præstare Deus, sed non nisi mediantibus causis
naturalibus adhibendis. Unde nihil novi & insoliti in
his facilè est introducendum, nec vanè in dictorum
cultu aliqua observanda, v. g. quod hoc vel illo modo
Sancti imaginem collocent, tali vel tali modo re-
liquiae dependeant, totiesea osculentur & non plu-
ties, & similia, quamvis aliquando sacram habeant
significationem particularem adjunctam. De qua re
plura dicta sunt de superstitione.

Omnis quoque turpis quæstus in dicto cultu elimi-
nari debet: v. g. quod ratione benedictionis, imagi-
nes, aut medalie aut alia similia pluris justo vendan-
tur, aut aliquid præcisè ratione sanctitatis aut rei san-
ctitati annexæ exigatur.

Quare
Angeli &
is quando
specie ju-
venum fi-
gurantur.

Supersti-
tio & San-
ctorum
Cultu tol-
lenda.

Turpis
quæstus.

No-

Lascivus ornatus. Notandum 4. *Omnis denique lascivia vitari debet, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur: & sanctorum celebratione ac Reliquiarum visitatione homines ad commissationes atque ebrietates non abutantur, quasi festus dies in honorem sanctorum per luxum ac lasciviam agatur.* Sollicitè hic monet Concilium lascivas imagines ex Ecclesiis tollendas, ne imagines Ecclesiasticae ad libidinem potius, quam ad sanctitatem frequentantium animos inflamment. *Enim uero si ex privatis ædibus imagines illæ sint eliminandæ, quanto magis ex loco sancto?* hac in re parum solliciti sunt, judicantes totum id in honorem festi cedere, quod sumptuosum solum aut venustate rarum, eis si de cætero lupanaribus magis, quam templis sit adaptatum. Adeò ut rectè Franciscus Horantius contra Calvinum l. 2. c. 27. *Imagines*, ait, *Christi, meminerimus compleæ honestatis ac Religionis, non perditi luxus exemplaria esse: quare onni pudore & verecundia aspersas esse, magnopere convenit. Quid commune Virgini sanctissime, pudicitiae numeris omnibus perfectæ atque expletæ, cum ornatu illo pene dixerim meretricio?* *Quid SS. Martyribus, christique confessoribus cum plusquam prophano apparatu?* In quem apparatus dure olim inventi sunt SS. PP. & maximè S. Bern. in Apologiâ ad Guilielm. Abb. S. Theodorici, ubi docet prophanum illum ornatum representare ritus Judaicos, orantium impedire affectus, &c. Unde aliquorum statuta imagines & picturas, uti & alia curiosa ex suis Ecclesiis & ædibus proscribunt, uti Carthusiani & alii. *Quare rectè Sanderus de adoratione honorariâ imaginum c. 3. Non sunt, ait, prophane historiae in Ecclesiis pingendæ, qui mos ethnicorum fuit, à Christianis repudiandus, non imitandus.* cui Concilii decreto & dictorum sententiæ certò satis contra veniunt, qui ornandis Ecclesiis, nescio quas fabulas Ovidii aut Virgilii, nundinas & alia prophana depicta exponunt, adeò ut domum Dei vertant in imaginum officinam, non ad devotionem aut piatem, sed ad luxum & vanitatem. *Quod & de suo tempore*

tempore notavit Amb. Catharinus de Cultu imaginum, ita scribens: *Quod vero omnium teterimum est, hac tempestate, in excelsis templis faciliisque offendas picturas tantæ lasciviae, ut quidquid natura oculuit turpe, nostrum ibi liceat contemplari, ad excitandam non devotionem, sed cuiusvis demortua carnis libidinem.* Viderint ergo ecclesiarum rectores, ne similis ornatūs picturas, imagines & tapetes in Ecclesiâ Dei permittendo, multorum peccatorum sint vera causa, quæ ejusmodi ornatui solent esse connexa.

Deinde sollicitè cavendum, ne reliquiarum visitatione ad commissiones & ebrietates abutantur, non enim ebrietate vitiorum omnium somite & origine coluntur sancti, sed sobriâ potius eorum intuitu refectione factâ. Quia in re peccant Confraternitates, quæ festo die congregatae in symbolum amicitiae & confederationis, subministrante potu iracundiae faces, rixis & pugnis succumbunt.

Notandum quoque ne obeantur peregrinationes, magis recreationis inhonestæ causâ, quam devotionis; in via peccata peccatis addant, uno cumulo confitenda: quo fit, ut peregrinatio sœpè magis obsit, quam prosit.

Notandum denique, *Nemini licere in ullo loco, vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo.* Ita Conc. Trid. ibid.

SECTIO V.

De Diva Virgine, ejusque Cultu.

*Honor
Maria re-
dundat in
Christum.* **D**ico 1. variæ præ reliquis sanctis in D. Virgine sunt prærogativæ, puta primò, quod nullum peccatum commiserit aut contraxerit. Prior pars patet ex communione Ecclesiae sensu, ut ait Conc. Trid. ses. 6. can. 23. Deinde sicut honor matris redundat in filium, ita è contra etiam ignominia. Hinc S. Bern. serm. 2. de assumpt. *Absit, ut proprii quidquam inqui-
namenti, hæc aliquando habuisse dicatur.*

*Immacu-
lare con-
cepta.*

Posterior pars etiam probatur, quia peccatum originale non contraxit, eris in Adam peccarit, & sic peccati debitum remotè contraxerit, & proximè contraxisset, nisi à Deo in suâ conceptione fuisset præservata. Ratio hujus est, quod potuerit D. Virgo, ita concipi, & decens fuerit, nec aliquid obstet; quin in dñi Scriptura Sacra & SS. Patres ideem satis declarant, dicentes eam esse totam pulchram, in ea non esse maculam, esse hortum conclusum, &c. Hinc S. Anselm. in cap. 1. 2. ad Corinth. *Omnis ait, mortui sunt in peccatis, sive originalibus, sive voluntate additis, ne-
mine prorsus excepto, DEMPTA MATRE DEI.* Et Pet. Damiani. Serm. de assumpt. *Caro, ait Virginis ex Adams
assumpta MACULAS ADAM NON ADMISIT.*

Idem confirmat festum Immaculatæ Conceptionis à variis Pontificibus approbatum & promotum, adeò ut Paulus V. expressè prohibuerit, contrarium assertere in actibus publicis, lectionibus, concionibus, quod & Greg. XV. ad privata colloquia & scripta extendit. Quamquam hoc non obstante, qui contrarium sustinent non sint heresis arguendi, expressè declaravit Sixtus 4. in extrav. *Grave nimis.*

De mente S. Augustini, Thomæ & Bernardi, dubitant aliqui. De mente S. Augustini tractatum edidit illius.

Illustriss. D. Florentius Conrius, illud attestans, quod et si mentem suam S. P. expressè non explicet, cùm id, contra Pelagianos agentis scopo minimè necessarium esset; ex rationibus tamen id clare doceat, dum ait de nat. & grat. c. 36. *Excepta S. Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo questionem.* Ex quo colligi liceat, propter honorem Domini à peccato originali semper fuisse immunem ne aliquando dicta fuisset, *Manci. prius diaboli, filia iræ. &c.*

De mente D. Thomæ actior est contentio: pro parte nostra adferuntur hæ sententiae ejusdem S. Doctoris. Prima, quâ ad Gal. c. 3. lect. 6. ita ait: *vix de mille unum reperi, qui esset sine omni peccato: mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omni libera esset, ad minus originali vel veniali: excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria.* Secunda ejusdem Doctoris est ex Epist. ad Rom. in fine. Ubi ait: *Maria purissima fuit: quoad omnem culpam, quia neque originale, neque mortale, neque veniale peccatum incurrit: excedit Angelos quantum ad puritatem.* Quæ et si in aliquibus S. Thomæ editionibus, haberi negentur ab aliis, citantur tamen a variis Aucthoribus, & in variis M. S. haberi dicuntur: addunt alii, & meritò, quòd quidquid sit si S. Thomas etiam nūm viveret, suam sententiam ad Pontificum placita explicaret, aut retractaret, si contrarium fortè sensisset.

De S. Bernardo, dubitant ex eo, quod Epist. 174. *S. Bern* ad Canonicos Lugdunenses eosdem carpat, quod Festum Immaculatae Conceptionis colerent in Ecclesia. Sed immeritò; carpit enim eos S. Doctor in eò, quod Festum illud sine legitima autoritate instituerent, non attenta Pontificis autoritate, ad quod, cum illi respondissent, S. Mariam esse omni laude dignissimam, reposuit Bernardus verum esse, sed honorem Reginæ judicium diligere. Velle tamē hic notari, quod habet Exim: D. Sylvius ad instruct: Past: Caroli Borromxi c. 11. ita scribens: *mirum val-*
dè

dè est, multos hodie Concionari vix posse in Die Conceptionis B. Virginis, nisi de immunitate ipsius ab originali peccato non loquantur solum, sed etiam allatis adversariis argumentis & authoritatibus disputatione, ac prout possunt eisdem respondere perstrictè subinde acriter, quam oporteat, parte quam impugnant . . . melius populum non onerarent inutilibus de Conceptione disputationibus, inanibusque concionibus: ex quibus auditores, qui in credendis, agendis, aut fugiendis instrui debuerant, sine fructu revertuntur.

Christus Redemptor Mater Dei. Hisce positis queri posset, an ergo in sententia nostra Christus non sit Redemptor D. Virginis? Resp. quod sic: quatenus Christi redemptione id factum sit, ut à peccato præservaretur, et si non a peccato liberaretur.

Maria Mater Dei. Dicendum 2. alia D. Virginis prærogativa est quòd fuerit Mater Dei. Patet ex Scriptura Ioan: 2. ubi dicitur, erat Mater Iesu ibi: neque ita dici potest de paternitate Joseph, cùm ille expressè in S. Scriptura dicatur, tantum opinione Pater Christi, dicit enim Scriptura Lucæ 3. Jesus erat quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Deinde, etsi Christus passim Matrem suam, mulierem vocet, ut etiam quod eam negare videatur esse suam Matrem, dum dicit Matth. 12. quæ est Mater mea? nihil dictis obstat: cum dicat D. Virginem mulierem, per antonomasiā, puta illam, inter quam & Daemonem positæ erant inimicitiae, ut etiam se dicit aliquando filium hominis, id est Mariæ. Quærit autem, quæ est Mater mea, non quasi eam Matrem neget, sed quòd instruat parvum curandam esse Matrem, dum prædicando verbo Dei insistimus.

Maria prærogativa. Aliæ insuper in D. Virgine enumerantur prærogatiæ, quòd fuerit gratiæ plena, quod fuerit inter mulieres benedicta, quod illi Jesus suberat, quod esset ante & post partum virgo, &c.

Cultus Mariae. Dicendum 3. Ratione harum prærogativarum, colenda est D. Virgo cultu, qui sit major cultu aliorum

rum Sanctorum, minor tamen cultu latræ, quem cultum hac ratione vocant *Hyperduliam*. Primum patet ex eo, quod sanctitate & allis excellentiis, alios Sanctos longè antecellat, adeoque cultum majorem mereretur à nobis sibi exhiberi. Posterius quoque patet, quia illis non obstantibus, vera manet creatura, cui proinde actus latræ impendi nequit. Hinc quando dicitur *spes nostra*, *advocata nostra*, solummodo importatur quod pro nobis intercedat apud Deum, ut alii Sancti, et si efficacius, in quam proinde intercessione sperare possumus: non autem ut sit advocata, ut Christus, qui propriis meritis pro nobis interpellat, à quo salutem nostram certa cum fiducia expectamus, quo sensu, *unus est mediator Dei & hominum*, homo Christus Jesus, ut ait Apost. 1. Tim. 2. ut etiam est Ostium, quo nemo ad Patrem venit, nisi per Christum id est, qui propriis meritis nos ad Patrem ducit; omnia enim merita D. Virginis, ex meritis Christi pendent, suam virtutem recipiunt, & illis innituntur.

Dicendum ultimò, cultum B. Virginis non esse notam prædestinationis, in iis etiam, qui gentiliter vivunt. Probatur, quia solus cultus ad salutem non procedit, si vita non quadret, & scelera sceleribus in vita addantur. Imò, uti impiis fit oratio in peccatum, ita & illis cultus ille cedet in ruinam & majorem condemnationem. Unde, sicut non omnes qui dicunt Domine, Domine intrabunt in Regnum Cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris: ita nec omnes qui dicunt Domina, Domina, nisi voluntatem Dei adimpleverint. Hinc rectè S. August. l. de dono persev. c. 22. *De ipsa autem cursu vestro bono rectoque condiscite, vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere.* Et iterum hom. 50. c. 5. *Salutem Deus promisit perseverantibus in charitate, non in iniuitate: Ubi autem charitas est, opera illa mala à Regno Dei separantia esse non possunt.* Unde & Ecclesia damnavit hanc ut scandalosam & inpraxi perniciosa: *Frequens confessio & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.* De quo alibi. No-

tent tamen ii, qui exteriora illa pietatis officia sine interiori animi puritate correspondente sibi sufficere arbitrantur, quod citat ex Amphilochio S. Epiphanius in septimâ Synodo dicens : *Curae nobis sit virtutes bonorum virorum eligere, & operum illorum meminisse & politiam illorum imitari. Ipsis enim tempula fabricare aut imaginem illorum in tabulis circumferri, contemendo interim illorum virtutes, haud quaquam laudabile est. Nemaenam laudaverit virum, quem videt virtutes sanctorum aversantem, & quotidie illorum imaginem circumferentem aut tempula illis edificantem, aut vase comparantem illis suis ipsius autem templum divinis virtutibus non ornantem. Multas Cruces in aedicula figurare & precepta Dei contemnere, imitationisque passionis illius oblivisci, extrema dementia est.*

SECTIO VI.

De Antichristo.

Quid & **A**NTICHRISTUS, idem est quod adversarius *qualuerit* *Antichristi* *bus.* Christi. Hinc omnes illi, qui moribus & vita Christo adversantur, dicuntur, *Antichristi*, uti Joan. 2. dicitur : *Antichristi multi facti sunt.* Dicitur tamen per Antonomasiam Antichristus, homo quidam novissimi temporibus venturus, qui vocatur in Scriptura *homo peccati, filius perditionis, &c.* Quem interficiet Dominus Jesus spiritu oris sui. His positis

Antichristus non dum advenit. Dico 1. Antichristus ille nondum advenit, ut calumniantur haeretici. Probatur 1. quia non adveniet ille, nisi eversum fuerit Romanum Imperium, ut docent SS. Patres. Unde S. Chrysost. in 2. Thes. 2. *Quando ait, è medio sublatum fuerit Romanum Imperium, tunc veniet Antichristus.* Proabant hoc unanimiter SS. Patres ex c. 2. & c. 7. Danielis, ex quibus colligunt Regnum Antichristi fore ultimum inter monarchias hujus mundi, nec oriturum nisi subverso Romano Imperio &

in decem Reges diviso. Tunc enim exsurget Rex quispiam, qui 10. Regna, in quæ Romanum Imperium divisum fuit, invadet, & sibi subjiciet, cuius potestas tantum durabit 3. annis & medio, ut patet Apoc. c.

11. 12. 13.

Dico 2. Quo loco orietur, ubi regnabit, quo mortis genere Antichristus interficietur est planè incertum, *Locus nativitatis,*
cùm non nisi obscurè de illa re loquatur Scriptura Sacra. *Regnum,*
Quidam docent, eum nasciturum ex tribu Dan, &c.,
adeoque fore Judæum nativitate, idque in Babylone,
& pro Messia recipiendum à Judæis, quod templi Jerosolymitani sit futurus studiosissimus, &c.

Dico 3. Antichristi mores & Doctrina erunt abominanda. In primis enim, ut dicitur Dan. 7. & 8. & 11. Sermones contra excelsum loquetur: cor suum magnificabit: elevabitur adversus omnem Deum: unde sibi templa & altaria curabit erigi, & fieri honoris divini officia, donec veniant Henoch & Elias eidem resistentes, qui & ab eodem occidentur, ipse tandem spiritu oris à Christo Iesu perimendus, & destruendus illustratione adventus ejus, ut ait Apost. 2. Thes. 2.







TRACTATUS VII.

De Sacramentis.

CAPUT PRIMUM.

SECTIO PRIMA.

Quid & quotplex sit Sacramentum.

DICENDUM primò, Vox *Sacramentum* ali- *Quid sit*
quando sumitur pro arcano sive mysterio *Sacramen-*
abscondito, uti & pro quaquinque cæ- *tum.*
monia, quā homo iniciatur, & generaliter
pro omni eo, quod rem sacram significat, unde S.
Aug. l. 10. civit. c. 5. *Sacramentum* definit *Sacrae rei*
signum: Et Epist. 5. *Signa* ait, *Cum ad res divinas ap-*
plicaneur, Sacraenta sunt. *Quid vero sit signum,* *Quid si-*
definit idem S. Doctor l. 2. Doct. Christ. ubi ait:
Est res, que praeter speciem, quam sensibus ingerit, alt-
quid aliud ex se facit, in cognitionem venire. Porro si-
gnum est duplex, practicum & speculativum: *Specu-*
laturum est, quod solùm significat aliud, quod iti-
dem non efficit. *Practicum est, quod efficit rem quam*
significat. Unde

Dicendum 2. *Sacraenta novae legis efficiunt rem* *Efficacia*
quam significant, et si non omne*m:* *Sacraenta ve-* *Sacraenta*
rò V. L. non efficiunt semper rem quam significant. *orum,*
Probatur prius, quia *Sacraenta.* N. L. significant
gratiam, quam usu suo non ponentibus obicem con-
ferunt & efficiunt. Non tamen efficiunt omne id, quod
significant, cum significant Christum, ejus passionem,
&c. Quæ tamen non efficiunt. Probatur posterius, quia
Sacraenta V. L. non causant semper justitiam nequ-
E 3 *dem.*

dem legalem. Est enim duplex justitia, legalis sive extera, alia interna quae gratiam adfert aut cum eadem convenit. Legalem quidem justitiam pleraque Sacra-menta V. L. conferebant, non tamen omnia, cum neque esum agni Paschalis, neque panes propositionis aliquam Sanctitatem legalem contulisse, sed eam presupposuisse sit verosimilius. Unde rursum

Dicendum 3. Diversitas Sacramenti V. L. à Sa-

Differen-
tia Sacra-
mentorum Sacra-menta V. L. juxta S. Aug. in eo sita est, quod Sacra-menta V. L. fuerint Sacra-menta non præstan-tia salutem, sed promittentia Salvatorem uti ait l.

L. 19. c. 6. cont. Faust. & c. 17. dicit, quod eadem Sacra-menta ad promittendum Christum fuerint in-stituta. Unde & Paulus ad Gal. 4. eadem vocat *Infirma* & *egena elementa*; Ad Hæb. 7. *Inutilia* & *in-sirma*: c. 9. *Justicias carnis*: c. 10. Quod Non poterant perficere, nec emundare conscientiam: Et rursum ad Rom. 3. Ex operibus legis non justificabitur *omnis caro coram illo*. Denique 1. Cor 7. *Circumcisio*, ait, *nihil est*, de qua postea. Sacra-menta autem N. L. non solùm justitiam internam per Christum dandam pro-mittunt aut figurant, sed ut ait S. Aug. in Psalm. 73. *Illa promittebant Salvatorem, hæc præstant.*

Conveniunt ergo Sacra-menta V. L. & N. L. in eo quod significant rem eamdem scilicet Christum in carne venturum aut natum, sed diverso modo signi-ficandi discordant, cum Sacra-menta V. L. signifi-cant Christum venturum, Sacra-menta N. L. eum-dem jam advenisse.

Quid S. A. Dicendum 4. Sacra-mentum N. L. est *invicibilis gra-*
cramen-
tiae signum visibile ad nostram Sanctificationem divini-
tum N. L. *tus institutum, eamque causans.* Communis Theolo-gorum sensus subintelligit signum stabile & univer-sale, ex quo deducunt non fuisse Sacra-mentum, dum Christus dixit Magdalene, *Remittuntur tibi pec-cata tua*, & alia his similia. Sequitur deinde, quod Cruces, Imagines, Manna, &c. non sint Sacra-me-
tum, eo quod ne quidem gratiam sanctificantem
signi-

significant, uti & Sacramentalia, exorcismi, aqua benedicta, &c. quæ gratiam præsupponunt, vel viam ad gratiam sternunt, non itidem gratiam suo usu conferunt.

Requiritur quoque, ut signum illud sit *sensibile*. Hinc S. Aug. l. 19. contra Faust. c. 16. &c de Catechis. rud. c. 26. vocat *Sacramento ministeria corporalia, signacula visibilia &c*. Deinde, ut rectè infert D. Thomas: æquum est homini, ut per res sensibiles deducatur in cognitionem Spiritualium.

Requiritur insuper ad Sacra menta, *materia & forma*. *Materia* aliquando est proxima, quæ potissimum in *& forma* actione & adhibitione materiæ remotæ consistit: *Sacramen* *terum*. forma verò sunt verba, aut alia signa verbis æquivalentia, quod addo, eò quòd probabiliter in Sacramento matrimonii sufficient signa talia, quæ æquè ac verba consensum mutuum exprimunt, uti suo loco ostendam. Hinc ait S. Aug: tract. 80. in Joan: accedit verbum ad elementum, & fit Sacrementum: & Concil. Florent. quod expresse ait, *Sacramento N. L. tribus perfici, scilicet rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, & personâ Ministri*.

SECTIO II.

An Sacra menta N. L. sint immediatè à Christo instituta.

DICENDUM Primo, de Fide est Sacra menta N. L. à Christo esse instituta. Probatur ex Trid. quod *Sacra men* ses 7. can. 1. ita definit: *si quis dixerit Sacra menta novæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo D. N. instituta* *ta à Christo instituta ta*. *Anathema sit*, ratio est, quòd solius divinæ potestatis sit signa gratiæ practica instituere, quæ sola gratiam potest conferre principaliter. Ex hoc allato Concilii Trid: Canone deducunt aliqui esse de Fide, omnia N. L. Sacra menta esse immediatè à Christo instituta: verum, contrarium nobis probant Judocus

à Raverstyn & Ruardus Tapperus D. D. Lovan : qui Tridentino adfuerunt, & bene de eodem Con-

Non defi- cilio sunt promeriti : quorum prior in Apologia pro
nit Conc. Tridentino contra Kemnitium conscripta, inter alia
Trid quod Hæretico illi imponit, quod textum Concilii falsi-
immedia- ficasset, dum ait : *si quis dixerit, non omnia ista 7.*
té a Chri- *Sacramenta à Christo ipso*, &c. addiderat Kemnitius
sto sint in- *ipso*, ad quod a Ravestyn opponit, mentem Con-
stituta. ciliū non fuisse definire, an omnia N. L. Sacra-
 fuerint immediate, an mediatè à Christo instituta,
 puta à Christo per Apostolos Spiritu S. Edoctos. idem
 expressè docet alter scilicet Ruardus propugnans Art.
 1. confess. Cath. Acad. Lov. iussu Caroli V. editæ,
 qui est hic : *credendum est esse 7. Ecclesie Sacramenta,*
à Christo instituta, quæ sunt Baptismus &c. ad quod inter
 alia ita ait Tapperus : *an in Ecclesia manserit potestas*
instituendi Sacramenta, inquire potest : sed nil horum re-
quirit Articulus, sed solum habet, quod omnia Sacra-
menta sunt à Christo instituta, non autem quodd ab eo sunt
instituta IMMEDIATE. Addit a Ravestyn : nec solum ea
 verissimè dicuntur instituta, quæ Christus ipse im-
 mediata & perse ipsum instituit, sed etiam ea, quæ
 dictante spiritu ejus, & ejus autoritate per Apo-
 stolos instituta sunt, & in Ecclesia ordinata. Adde,
 quod etsi Christus dicatur instituisse Sacra-
 menta per Apostolos, adhuc non consequatur eadem esse in-
 instituta mediatè à Christo, cum pereosdem potuerit
 eadem instituere & immediata tamen, uti potest
 Deus per alios, etsi quoque immediata, Miracula
 facere, consecrare, &c.

Determi- Dicendum 2. *Etsi Christus in institutione Sacra-
natio ad men-
indivi- torum determinaverit ad speciem materias & formas,
duum Ec- non tamen ita determinavit ad individuum : potest
clesia à enim Sacerdos validè consecrare hostiam, quam
Christo est voluerit : deinde alia est materia valida ordinationis
relata. Sacerdotalis apud Latinos, alia apud Græcos. La-
 tini assignant traditionem Calicis, &c. Græci do-
 cent sufficere solam manuum impositionem, cum*

tamen constet Græcos ita valide posse consecrari & ordinari. Unde & Clemens VIII. 1593. 31. Aug. Edidit constitut, ordine 34. quā statuit, ut Romæ es-
set Episcopus Græcus Catholicus, qui Græcos Sa-
cerdotes ordinaret ritu Græco.

Quæret quispiam, quomodo ergo Conc. Flor. assignat & determiuat materiam Ord. Sacerdotalis traditionem Calicis, &c. Resp. Florentinum non *necessaria*, assignasse materias Sacramentorum, sed solum Armenos instruxisse ea, quæ ignorabant, vel de quo dubitabant, ut notat ad Baronii supplementum Spondanus ad Annum 1439. n. 17. adeoque assignasse materiam Ecclesiæ praxi obseruatam, et si non necessariam. Hoc interim notandum, Christum determinasse materias & formas Sacramentorum materialiter, et si non formaliter: sive instituit Sacra-
menta, simul determinando, ut materia & forma eorum significaret collationem gratiæ talis vel talis Sacra-
menti, et si in individuo tale signum tamquam necessarium non determinaret, sed determinationem accidentalem Ecclesiæ relinquendo, quæ tamen à formalí significatione materiæ & formæ Sacramen-
torum, ullatenus potest recedere. Unde scribit Morinus l. 8. de Sacram. Pœnit. c. 18., Quod sit de fide certum, Sacramentum administratum juxta ritum in Pontificali Rom. præscriptum esse legitimum: sed non esse necessariò de fide, quod scholasti-
ci disputant, in quibus verbis ritualis, forma aut materia continetur, nisi hoc expressè dictaverit Ec-
clesia aut publica praxis. Ex quo facile patet, quid & quantum possit Ecclesia circa determinationem materiæ & formæ Sacramentorum.

Dicendum 3. Immutatio materiæ aut formæ Sa-
cramentorum, alia est *accidentalis*, alia est essen-
tialis: *essentialis* est, quando variatur *essentia* formæ
aut materiæ, adeo ut neque ex vi verborum, nec
usu hominum forma aut materia immutata, reti-
neat eamdem significationem cum forma aut mate-
ria.

ria usitata. Hæc indubie vitiat Sacramentum, dum vitiat illud, quod essentialiter ad Sacramentum est requisitum. Accidentalis verò mutatio est, quando solum accidentaliter forma aut materia mutatur, sic ut retineant eamdem significationem essentialiem, quæ cum essentiam Sacramenti, aut partium ejus non vitiet, non invalidat Sacramentum. Fit autem potissimum formæ mutatio translatione verborum in aliud idioma vel synonima: quæ non officit validitati Sacramenti. 2. Corruptione, 3. Additione, 4. Detractione, 5. Transpositione, 6. Disjunctione, &c. Pro quibus hoc generaliter notandum est, quod restè videri possit an sit in ejusmodi mutatione essentialis, an accidentalis, si tali mutatione vel usu hominum vel vi verborum maneat idem sensus formæ, aut materia eadem essentialiter, an non, non obstante tali mutatione. Unde inferunt

1. Quod balbutiens pronuntians corruptè formam, validè conficiat Sacra menta, cum ex usu hominum idem significet forma à balbo prolata, quod aliae prolatae à non balbo.

2. Quod qui partim Latinè, partim Græcè aut Gallicè pronuntiaret formam, validè conficeret Sacra menta, cum usus obtinuit, ut salvâ essentiâ liceat ita verba alterius idiomatici conjungere, uti habet forma Baptisimi, *Ego te Baptizo in nomine Patris, &c.* Ubi to Baptiso est Græcum, cetera Latina.

3. Si Parochus ignarus Linguæ Latinæ ita formam Baptisimi proferat: *Ego te Baptizo in nomine Patris & Filias, &c.* Valebit Sacramentum, uti expressè definivit Zacharias Pont. cap. *retulerunt de consecratione* dist. 4. Ratio hujus est, quod hæc verba spe-ctatis circumstantiis & accommodatione usûs, idem significant, quod forma ordinaria. Alia dabo agen-

Ritus Sacramentorum omnia sunt adibens.

Porro, etsi accidentaria mutatio essentiam Sacra menti non immutet, tamen sollicitè Sacramento rum Ministro cayendum est, ne sine justa necessitate vel

vel accidentaliter formam corrumpat; idem est, de cæremoniis in Sacraimentorum administratione adhiberi solitis, quæ et si integritatem vel essentiam Sacramenti non vitient, si omittantur, tamen illas sine justa necessitate præterire, vetat Ecclesia. Sunt enim maximè utiles ad reverentiam Sacramenti promovendam, fidem & charitatem fovendam, devotionem augendam, &c. Unde profuerit catholicis cæremoniarum Sacramenti explicationem sæpius proponere & exponere. Si verò propter justam causam contingat cæremonias omitti, sedulò ex præcepto Ecclesiæ postmodum sunt superaddendæ, uti patet in Baptismo non solemni.

SECTIO III.

De Ministris Sacraimentorum intentione

DIENDUM primò, Sicut veterum Sacra-
mentorum Ministri à Deo vocabantur, sicut Aäron:
ita & in Novo Testamento, eliguntur aliqui, & bet depu-
assumuntur ex hominibus in his, quæ sunt ad Deum. Minister
Sacra-
mentorum de-
bet depu-
tari.
Falsum verò est illud Lutheri dogma, omnibus ho-
minibus omnium Sacraimentorum administrationem
competere, cùm non omnibus sua dona & ministe-
ria committat Deus, in ædificationem corporis sui,
id est, Ecclesiæ. Quis verò sit cujuscumque Sacra-
menti Minister dicetur suo loco.

Dicendum 2. Præcipuum Ministri officium con-
sistit in adhibitione materiæ & formæ Sacra-
menta-
lis, cuius officio Deus operatur intus Sacraimento-
rum effectus, cùm principalis omnium Sacra-
mentorum Minister sit Deus, nam neque qui plantat est
aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum
dat Deus. Nec Ministri sunt, qui loquuntur, sed
spiritus patris, qui loquitur in illis. Unde sæpè effe-
ctus Sacramenti adscribitur soli Deo, ut pœnitentia,

Minister
principa-
lis est Deus
ipse.

tæ, dum dicitur Marci 2. *Nemo potest peccata remittere, nisi solus Deus*: quo loquendi modo & similibus innuitur, Deum principaliter ex plenitudine suæ potestatis effectum Sacramentii efficere, cæteros vero duim taxat ministerialiter, & ut instrumenta: unde S. Aug. tract. 5. in Joan. *Potestas*, ait, *in Christo est, ministerium autem transit in multos.*

*Quotuplex
sit intentio.*

Quia sufficiat.

Dicendum 3. in Ministro requiritur debita intentionis, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, ut ait Concil. Trid. ses. 7. can. 11. est autem intentio triplex, actualis, virtualis & habitualis: actualis est, quando quis actualiter intendit aliquid efficere: virtualis est actualis virtute & moraliter perseverans: habitualis est, inclinatio quedam ad aliquid, orta ex habitu acquisito vel infuso. Actualis etsi indubie sufficiat, non tamen necessariò requiritur: habitualis nequam sufficit, cum nihil influat in actionem Sacramentalem nec per se, nec virtute in eam influendo. virtualis sufficit, uti in ceteris actibus humanis, ut homo humano modo dici possit operari: hæc aliquando dicitur remissa actualis, cum virtute actualis operetur, sed ut sit, saltem usu loquendi virtualem indigitabimus. Pro quo notandum est, D. Thomam saepè habitualem intentionem sumpsisse pro virtuali, & maximè in hac ipsa materia. Cum ergo actualis vel virtualis influat in actionem, & faciat ut actio fiat humano modo, requiritur hic altera, cum per intentionem Ministri debeat Materia Sacramenti ad certum effectum determinari. Neque ulla tenus dici potest, materiam ad hoc determinari intentione Ministri principalis, puta Christi, quia ut ait D. Thom. 3. p. q. 64. a. 8. ad 1. *Instrumentum animalium (sic ut est Minister) non solum moveatur, sed etiam quodammodo moveat se ipsum, in quantum sua voluntate moveat membra ad operandum: & ideo requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti.*

*Quid sit
intento fa-
ctus id,*

Dicendum 4. Variant authores in explicando phrasim Concilii Trid. quod Minister facere debeat intendere.

dere, quod facit Ecclesia. Aliqui docent illud esse, in-^{quod facit}
tendere esse Sacramenti: verum infundatè, cùm ^{Ecclesia}
possit Baptismus v. g. conferri ab Atheo, nil de es-
sentia Sacramenti cogitante. Alii docent, quòd de-
beat ponere actionem illam, quæ estimatur actio
Christi: verum hoc de Atheo prædictum, rursum
hic urget. Alii rectius docent, illud idem esse, quòd
debéat Minister seriò velle ponere signa externa,
quibus in Ecclesia solet Sacramentum conferri,
etsi in corde, nec Ecclesiam, nec Christum agnos-
cat. Hinc S. Antonin: p. 3. tit. 14. cap. 13. part.
10. Docet sufficere in Baptismo solam verborum
expressionem, & cit: Concedunt isti, de Baptismo,
quod requiratur intentio in Ministro proferendi verba,
applicandi materiam, sicut facit Ecclesia; sed
non requiritur intentio aliquid operandi: unde si bap-
tisans intendat ludere vel deludere vult tamen dicere &
facere exterius, quod facit & dicit Ecclesia, scilicet im-
mergendo, & verba formæ dicendo, & facit ac si in-
tendat baptisare: Baptismum petens, vel petens pro par-
vulo, est verè Baptisatus, quia Ecclesia, quæ eum po-
suit ministrum, non intendebat decipere: et si ipse dice-
bat, quod intendebat ludere, non baptisare, non esset ei
credendum ad rebaptisandum: imò nec ipsem, qui est
certus de sua intentione debet rebaptisare. Quod etsi ve-
rum sit speculativè loquendo, practicè tamen sub
conditione deberet rebaptisari, cùm hic nimia cau-
tio nequeat adhiberi. Prædictis favet S. Thom. in 4.
dist. 6. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1. ad 2. Dum docet alterutrum esse admittendum, vel quod Christus sup-
pleat defectum intentionis in Baptisante, casu quo
Baptisans ex malitia debitam intentionem non habe-
ret; vel certè quòd sufficiat, ad valorem Baptisini,
ut Minister exteriùs seriò adhibeat omnia externa sig-
na, quibus Baptismus perficitur. Idem ferè docet
3. p. q. 64. a. 8. ad 2. Hinc patet, quòd Sacra-
mentum Joco interno conferatur, modo externè seriò
ponat signa, quibus Sacramentum perficitur; item

si conferatur ab eo seriò adhibente ejusmodi signa ,
sic tamen ut nihil de Ecclesia Romana , aut Christo ,
aut effectu Sacramenti cogitet , valere Sacramen-
tum : quod declarat iterum D. Thom. loco citato a.
9. ad 1. ubi ait. Non obstante infidelitate potest (Minis-
ter) intendere facere id , quod facit Ecclesia , licet æsti-
met id nihil esse , & talis intentio sufficit ad Sacra-
mentum , quia sicut dictum est , Minister Sacramenti agit in
persona totius Ecclesie , ex cuius fide suppletur id , quod
deest fidei Ministri .

Nec his obstat definitio Concilii Trid. quod ses. 14.
c. 5. negat absolutionem datam joco , valere : item
illud à Leone X. damnatum : *Si per impossible confessus non esset contritus , aut Sacerdos non seriò sed joco ab-
solveret , si tamen credat , se absolutum , verissime est
absolutus.* Tam enim Trid. quam decretum Leonis
nihil vult , nisi Lutherum perstringere , qui volebat
solam fidem pænitentis sufficere ad effectum Sacra-
menti , adeoque mulierem tantum posse circa Sacra-
mentum Pænitentia , quam Sacerdotem. Unde
rectè & appositiè S. Bonav. in 4. dist. 6. dub. 4. do-
cet , non omnem jocum excludere intentionem ali-
quid seriò operandi : exemplum ejus habes in Atha-
nasio , qui etsi joco Baptisaret pueros , ab Alexandri-
na Ecclesia pro verè Baptisatis sunt habitu pueri ab
Athanasio Baptizati. Neque illud obstat , quod dic-
tatur actiones Sacramentales debere determinari ad
unum per intentionem ministri , cum hoc solùm ha-
beat locum , quando actiones illæ ex circumstantiis
non sunt satis determinatae ad esse Sacramentale ,
adeo ut circumstantiæ actiones illas tam determi-
nent , quam intentione .

Dicendum 5. Intentiò in Ministro requisita debet
intentionis
qualis esse
debet, esse absoluta , aut talis conditionata , quæ absolutæ
æquivaleat : sola enim absoluta est efficax intentio ,
qualis hic requiritur. Censetur autem conditionata
æquivalebit absolutæ aut in eam transire , quando con-
ditio est de præsenti aut præterito : si enim subsistat ,

jam tenet sacramentum, si verò non subsistat, erit nullum defectu intentionis ministri, quæ ab hac conditione dependet. Hinc non valet Sacramentum collatum sub conditione de futuro, cùm nec statim valeat, cùm necdum posita sit conditio: nec postea conditione positâ valeat, cùm tunc desierit materia & forma. Excipe tamen matrimonii Sacramentum, quod contractus rationem obtinet, qui pendere potest à conditione futura, cùm consensus tam diu perseverare censeatur, donec conditio adimpleatur, quâ positâ transit in absolutum.

Hoc tamen notandum est, peccare mortaliter illos, qui sine iusta causa conditionatè Sacra-
menta cœ-
teria administrant, quod tamen aliquando aliquibus est
satis familiare: cùm enim sacramenti valor pendeat
ex intentione ministri, sequitur, quod si conditio non
subsit, sacramentum sine causa exponatur periculo
nullitatis: aliud est, si adsit debita ratio, ut in du-
bio, an quis pœnitens v. g. puer sit absolutionis ca-
pax, an quis sit verè baptisatus, &c. Dubium verò
illud debet esse fundatum, & rationes pro & contra
bene perpensæ, antequam conditio apponatur. De
hac re vide plura de absolutione sub conditione.

*Non licet
sine causa
Sacra-
menta conser-
re sub con-
ditione.*

SECTIO IV.

De fide & probitate Ministri.

DIENDUM primò, Error est Donatistarum & aliorum quod valor sacramenti dependeat à fide & probitate ministri. Contra hunc errorem ita definit Conc. Trid. s. 7. can. 12. & can. 4. de Bap̄tismo: *Si quis dixerit ministrium in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, que ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non confiscere aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Item: *Si quis dixerit Baptismum, qui datur ab hereticis in Nomine Patris & Filii & Spiritus*

*Valer Sati-
na
con-
ramen-
det a pro-
bitate M-
nistris,*

Spiritus

Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema suum. Ratio huius est, quod minister principalis Sacramenti sit Christus, cuius virtute agunt alii ministri, adeoque Sacramentorum vis non dependet à probitate ministri, sed à solo Deo, cùm hic sit qui Baptifat, & qui dat incrementum. Unde sicut æqualiter effigies Regis imprimitur sigillo ferreo, ac aureo, sicut solis radii non fœdantur, dum pertransiunt loca fœtida, sicut aqua æquè transit per canalem ligneum ac aureum ad areolas, ita Sacramentorum vis æqualiter transit per bonos & malos ministros.

*Probitas
Ministri
requisita.*

Dicendum 2. Etsi ministri probitas ad Sacramenti constitutionem non sit necessaria, tamen tum aliis tum ministro ipsi plurimum est necessaria: Sancta enim sanctæ tractanda sunt, unde in peccato mortali sine necessitate Sacramentum administrans, peccat mortaliter, rem sacram indignè tractando. Unde Isaiae 2. Idicit Scriptura: *Mundi estote, qui fertis vas a Domino: & Levit. 22. Omnis qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Deinde suscipiens Sacra menta à ministro probo, habet ab eo, quem imitetur; item à probo licitum est semper petere Sacra menta, non item ab improbo: Denique cum ministro probo concurrit tota Ecclesia ad effectum Sacramenti, non item cum improbo: tunc etenim gratia tantum confertur quasi ex utero alieno & solum ex benevolentia Christi, uti docet S. Aug. 1. 1. de Baptis. c. 17. quibus hoc adde, quod ex operante operantis devotione aliquos pios motus v. g. possit conferre, aliud est de effectu Sacramentis proprio, qui est ex opere operato, de quo postea, qui nullo modo dependet à probitate ministri.

*An licet
petere Sa-
cra men-
ta ab impro-
bo Minis-
tro,*

Dicendum 3. Tempore necessitatis licet Sacramenta petere à Sacerdote improbo, etsi noscas eum in peccato mortali Sacramentum administraturum. Ratio est, quod ille justa necessitate petat, id quod alter debite potest præstare: quod si indebet præstet, ejus malitia

malitiæ culpa est adscribenda, & alter ejus malitiæ non coöperatur, sed eam justa de causa permittit.

Hoc denique circa prædicta notandum est, satis *Quemodo*
familiare esse SS. Patribus, dicere Sacra-*Sacramen*
ta ab hæ-*ta ab hære*
reticis collata esse nulla, quo dicto hoc solum innuunt, *ticū colla-*
quòd hæretici plerumque non adhibeant debitam ma-*ta, dicantur non ef-*
teriam aut formam: Deinde quòd ex parte suscipien-*se valida,*
tium plerumque ponatur obex, eo quòd cum mini-
stris hæreticis in hæresi communi-*se valida,*
cotent, si tamen debi-
tam materiam & formam hæretici adhibeant, tenet
Sacramentum: Neque hic opponi potest varia consti-
tutio Canonum aut Constitutionum Apostolicarum;
quarum canon. 46. & 67. negant Sacra-*menta ab*
hæreticis suscep-*ta, esse valida:* maximè cùm Constitu-
tiones illæ non ita magna-*sint auhoritatis, & mul-*
ta contineant ab hæreticis inserta, imò multa, quæ
hæresim sapiunt.

S E C T I O V.

*De suscipientibus Sacra-*menta.**

DIENDUM 1. verius videri, quòd in suscipi-
ente Sacramentum requiratur intentio aliqua
illud accipiendo, saltem interpretativa; adeo ut,
si quis dormiens Baptisaretur, v. g., & numquam
antea habuisset intentionem illud suscipiendo, non
censeretur verè Baptisatus. Colligitur hoc ex capt
majores; de Bapt: ubi Innocentius 3. rogatus an Bap-
tisma dormientibus & amentibus datum characterem
imprimeret, respondebat imprimere quando obicem contra-
riæ voluntatis non invenit obfistentem: quod communiter
exponunt negativè, adeo ut sensus sit; quòd Baptisma
non imprimat characterem; nisi aliquam intentionem
suscipiendi Sacramentum inveniat. Rationem dat
Pontifex, quia aliàs ad Fidem deberet compelli invitum:
vnde patet, quòd solùm dicta conclusio intelligenda

Tom. III.

F

sit,

fit, de Baptismo, nam quoad alia non requiritur consensus illud suscipiendi, v. g. quoad ordinem & probabilitatem Baptismum, et si quoad Sacramentum Eucharistiae, extremae unctionis, confirmationis & matrimonii verius dicant requiri aliquem consensum seu intentionem: de quibus suo loco agemus.

*Confessio
requisita
ante Sa-
cramen-
tum.*

Dicendum 2. Ut quis suscipiat fructuosè Sacramentum vivorum, requiritur regulariter confessio, si quis sit reus peccati mortalis: Ratio est, quod cum valde incertum sit, an quis habeat contritionem per se justificantem, & Sacraenta vivorum debeant suscipi in statu gratiae, debet recurrir ad confessionem, ut aliqualem certitudinem de justificatione nostra habeamus. Imò, quod valde verosimile sit, quod quando adeat copia confessarii, contritio sine Sacramento non justificet, uti habetur Trid. ses. 14. c. 4. justificat enim contritio ratione voti Sacramenti, quando autem quis habet copiam Sacramenti, non potest dici habere votum serium suscipiendi Sacramentum, si illud non suscipiat, dum potest. Ita tenent Doctores varii, & Catechismus, Rom. p. 2. c. 5. num. 39. si vero quis opponat, quod Conc. Trid. ses. 24. c. 1. de reform. matrimonii solum hortetur conjuges, ut ante consummationem peccata sua confiteantur: uti etiam quod ses. 13. c. 11. solum hoc doceat de Eucharistia, quod ante ejus susceptionem debeat accedere ad confessionem, adeoque in susceptione reliquorum Sacramentorum, sit alicui liberum confiteri: ad haec resp. in priori casu matrimonii solum agere concilium de iis, qui non sunt conscië peccati mortalis. In secundo casu determinavit id, quod erat certum, nec se miscere voluit controversiis scholasticorum, quibus omnibus erat manifestum, ante Eucharistiae sumptuonem requiri confessionem: quoad alia Sacraenta, discordabant. Unde, ut ait Pallavicinus l. 12. c. 1. solum definit Concilium contra Hæreticos, statuentes Eucharistiam delere mortalia, & solam fidem esse dispositionem sufficientem ad susceptionem Sacramenti.

*Contrito-
non justi-
ficat sine
Sacramen-
to, quan-
do adeat
copia con-
fessarii.*

Dicen-

Dicendum 3. Non licet conferre, vel recipere Sacramentum secundum opinionem probabilem Sacramenti, relictâ tutoire, et si id non vetet lex, conventionio, aut periculum gravis damni incurrendi. Unde quoad prius damnata est hæc subsequens sententia à S. Sede: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutoire, nisi id vetet lex, convenio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis. Quasi vero illud idem non foret illicitum in collatione aliorum Sacramentorum, quod sine justa causa periculo nullitatis quis exponat Sacramentum, qualiter agit, qui ductus opinione probabili relictâ tutoire illud exigit aut administrat.*

Dicendum 4. Non licet alicui simulare administrationem Sacramentorum, quod ultra indignam rei sacræ pertrectationem, involvit & mendacium: Unde Sacramenta & hæc nuperrimè est condemnata: *Urgens metus gratiæ vis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

S E C T I O VI.

De efficacia Sacramentorum.

DI CENDUM primum, De fide est, Sacraenta N. L. majoris esse efficaciam quam Sacraenta V. L. nec solùm ab iis differre, quia ritus alios continent. Declarat hoc Concil. Trid. ses. 7. can. 2. dum ait: *Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremonia sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.* Definit hoc Concilium contra Hæreticos Neotericos, qui docent, omnia Sacraenta solùm esse mera signa gratiae iustificantis, sed non efficientia eamdem, cùm sola fides, quæ à Sacramentis excicatur & sovetur, sit sufficiens ad iustificationem dispositio. Unde Concilium

subdit Can. 6. *Si quis dixerit Sacra menta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa, tantum externa sint, acceptae per fidem gratiae vel iustitiae & no-tæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.*

*Causant
gratiam
ex opere
operato.*

Dicendum 2. Sacra menta N. L. causant gratiam, quam significant ex opere operato. Phrasim hanc ut exoticam rejiciunt sectarii, verum, ut quondam S. Aug. in Psalm 138. melius esse dicimus, *ut nos reprehendant grammatici, quam ut nos non intelligent populi.* Hac phrasim usus est Innocentius III. libro de mysterio Missie, Conc. Trid. ita definiens iterum sel. 7. can. 8. *Si quis dixerit per ipsa novae legis Sacra menta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Censetur vero Sacra mentum conferre gratiam ex opere operato, eò quod usu ipsius Sacra menti, independenter à meritis ministri aut suscipientis effectum conferunt: Hinc agunt ut agens naturale, non item ut morale aut meritorium: Si vero opus bonum requiratur ex parte ministri aut suscipientis, solum illud requiritur ut dispositio ad Sacra menti usum necessaria, prout requiritur contritio in pœnitentiæ Sacra mento, &c. Et si illis, ut operibus bonis sua quoque gratia correspondeat: Unde S. Aug. l. 4: Cont. crescon. c. 16. ita ait: *Ipsum per se ipsum Sacra mentum multum valeat.*

*Causant
gratiam
physice.*

Dicendum 3. Verius videtur Sacra menta causare ex opere operato gratiam non solum moraliter, sed etiam Physicè. Ratio est, quod causa moralis, solum impropriè sit causa, ubi tamen vera efficientia Sacra mentis competit. Præbet enim causa moralis solum occasionem, quâ causa instrumentalis agit; ut iubens, consulens, &c. Unde qui ex consilio aut mandato alium occidit, non ita dicitur alium occidere per causam consulentem, quam è contra consulens per agens Physicum. Hinc SS. PP. docent vim Sacra mentorum esse mirabilissimam & efficacissimam; quâ ratio-

ne etiam optimè intelligitur, quomodo Sacraenta justificant, abluant, sanctitatem efficiant, &c. Deinde sic Sacraenta ultrà rationem signi ad veram efficientiam gratiæ assurgunt, & à Sacramentis V. L. discernuntur: idem innuit, Concil. Trid. dum ses. 6. c. 7. Passioni Christi assignat, esse meritoriam, idest moralem causam nostræ justificationis, sed Baptismum esse causam instrumentalem; quare sicut humanitas Christi erat causa efficiens instrumentalis miraculorum, & sicut dicitur Deus per humanitatem Christi gratiam dedisse, miracula patrasse, nos redemisse in sanguine Christi, &c. Ita etiam Christus per ministros gratiam Sacramentalem confert, cum hic sit, qui Baptifat, hic sit, qui peccata remittit. Nec quidquam huic obest, quo minus Deus rem corporream elevet ad productionem rei spiritualis, uti & potestate divinâ ignis corporeus, agit in spiritus.

Urget tamen quod hic opponunt aliqui, quod Sacraenta dum gratiam conferunt, non amplius existant, quod magis clarè patet, quando Baptismus v. g. reviviscit: jam autem illud quod non existit, non potest efficienter causare gratiam. Resp. ad prius, et si Sacraenta sint actiones successivæ, tamen aliquando verum est dicere, jam Sacramentum est, et si aliqua ejus pars solum existat, & alia præteriit; pars enim illa remanens in vim præcedentium, quæ moraliter perseverant, confert Physicè gratiam, et si illa pars efficiens gratiam sola existat; sic dicitur aliquando exercitus urbem superare, et si aliquæ cohortes nihil conferant. Ad aliud verò resp. quod quando Sacramentum reviviscit, tum non possit propriè dici Sacramentum causare gratiam, quod nullum fuit, sed Deus dicitur conferre gratiam, non propriè per Sacramentum, sed propter Sacramentum, quod mansit in acceptatione Dei, adeo ut Sacraenti absentiam Deus hoc casu suppleat: adeoque dicimus, quod Sacraenta causent Physicè gratiam ordinariè, & quantum est de se, non item in omni casu particuliari.

SECTIO VII.

De effectibus Sacramentorum.

*Omnia
Sacra-
menta cau-
sant gra-
tiam.*

DI CENDUM primò, Ex dictis sectione præcedenti patet, effectum præcipuum Sacramentorum N. L. esse gratiam sanctificantem. Hoc sigillatim de quolibet Sacramento demonstrat Scriptura Sacra. Ut de Baptismo Joan. 3. ubi regeneratio tribuitur Baptismo. De confirmatione act. 8. & 19. per impositionem manus datur Spiritus Sanctus. De Eucharistia dicitur Joan. 6. quod per eam detur jus ad vitam æternam. De Pœnitentia Joan. 20. assignatur illi remissio peccatorum. De extrema unctione Jacobi 5. idem fit. De ordine 2. Timot. 1. assignatur ordinationi gratia. De Matrimonio denique vide suo loco.

*Qua con-
ferant pri-
mam gra-
tiam.*

Dicendum 2. Baptismus & Pœnitentia ex sua institutione conferunt primam gratiam & tollunt peccatum mortale, unde & dicuntur Sacra menta mortuorum, eo quod de mortuis secundum animam, vivos faciant per gratiam, quæ est vita animæ.

*Alia gra-
tiam se-
cundam.*

Deinde, etsi reliqua Sacra menta de sua institutione non conferant primam gratiam, sed eam potius supponant, & ideo dicuntur Sacra menta vivorum; tamen subinde per accidens primam gratiam conferre posse, est manifestum. Hinc si quis bona fide existimat se esse in statu gratiae recipiat Eucharistiam, extream unctionem, &c. & tamen revera sit in statu peccati, confert Eucharistia & extrema unctione primam gratiam: sic etiam Sacra menta mortuorum possunt conferre gratiam secundam, sive ulteriorem, ab eo suscipiantur, qui est in statu gratiae.

*Effectus
Sacra-
menti
gratia
talu-*

Dicendum 3. Quod etsi gratia justificans non distinguatur juxta dicta de gratia & alibi, à justificazione, tamen ab ea differt, ut est effectus Sacramenti, cum ut talis comprehendat ultra dona & virtutes, quas

quas confert, auxilium quoddam, opportunum ad finem cujusque Sacramenti consequendum, idque pro tempore debito. V.g. Baptisma confert gratiam regenerativam, & jus ad auxilium, quo vitæ novitatem possit conservare. &c. Prout diversa Sacramenta ordinantur ad diversos fines. Porrò auxilia ejusmodi dantur in actu primo dum Sacramentum confertur, quatenus datur jus ad illud suo tempore obtinendum: quando autem finem Sacramenti promovet aut conservat, dicitur dari in actu secundo.

Dicendum 4. Effectus Sacramentorum N. L. secundarius est character, sive nota quædam spiritualis ^{chara-}cter, & indelebilis quæ per Sacramentum animæ imprimitur, quæque est à gratia distincta. Juxta Conc. Trid. ses. 7. can. 9. *Si quis dixerit in 3. Sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, id est signum spirituale & indeleibile, unde ea reiterari non possint, anathema sit.* Unde & in Scriptura dicitur nos Deus ungere & signare Spiritu S. 2. Cor. 1. Ephes. 4. de quo & ait S. Aug. l. 6. c. 1. de Baptismo, quod multi lupi characterem multis lupis imprimant. Quid porro conferat character in quoquo Sacramento, suo loco demonstrabo.

Dicendum 5. Etsi Sacra menta pro omnibus sint instituta, non omnes tamen Sacramentorum frumentum recipiunt, sed si dumtaxat, quibus debitè adhibentur. Unde Sacra menta debent suscipi saltem in voto, si nequeant in re ipsa, & quidem debitè, id est non ponendo obicem effectui Sacramentali. Hinc quia peccatum mortale ex diametro repugnat gratiæ, si Sacramentum in tali statu voluntariè sumatur, effectu suo frustratur, dum invenit obicem effectui resistenti.

Aliud est de peccato veniali, quod effectum Sacramenti totaliter non impedit, etsi uia minuit gratiæ fervorem, catenus impedit ferventes Sacramentorum effectus, uti in Eucharistia usuvenit. Aliud esset si peccatum veniale transiret in mortale, quo

casu loquendum h̄ic esset , prout in casu priori.

An conferant grātiā a. tām a. quālem. Dicendum 6. Omnia Sacra menta ejusdem speciei conferunt æqualem gratiam æqualiter dispositis : ratio est , quòd Sacra menta operentur ex opere operato tamquam causæ naturales , quæ æqualem effectum producunt in subiecto æqualiter disposito. Si vero subiecta sint inæqualiter disposita , inæqualem quoque conferunt gratiam. Declarat hoc Con cil. Trid. ses. 6. c. 7. quod docet de justificatione per Baptisma , quòd unusquisque recipiat gratiam secundūm mensuram , quam Spiritus S. partitur prout vult & secundūm propriam cujusque dispositionem. Id que convenit suavi & justæ Dei providentiæ , et si pro sua omnipotentia aliter quandoque facere posset , si absolutè vellet.

Si verò sint Sacra menta diversæ speciei , videtur quòd inæqualem gratiam de se conferant. Hinc quia Baptisma datur tamquam generatio , quâ tota substantia simul confertur ; & Eucharistia , Confirmatio tamquam alimentum & roboratio ; sequitur quòd Baptisma majorem gratiam conferat quam aliud quodvis. Imò Confirmatio majorem , quam Eucharistia , quæ repeti potest illa repeti non potest , et si sit quoque minus digna.

S E C T I O VIII.

De reviviscentiâ Sacramentorum.

Baptisma sublato obice re- viviscit. D ICENDUM primò. Baptismus sublato obice , quocum erat susceptum , reviviscit , & confert suos effectus. Ratio est , quòd hoc Sacramentum in re vel in voto sit omnibus ad salutem necessarium , cùm tamen hoc non esset verum , nisi reviviseret : alias enim qui ficit , & cum obice illud suscepisset , sine Baptismo in re vel voto suscepto , posset salvari , puta per pœnitentiam , aut contritionem.

Dicen-

Dicendum 2. Sacramentum Confirmationis & Or. *Ordo & Confirma-*
*dinis probabiliter quoque possunt dici reviviscere : ratio est, quod juxta S. Aug. reviviscentia adscriben-*¹¹⁸
*da veniat characteri, & permanentiae Sacramenti, uti docet l. de Bapt. unde cum dicta Sacra-
menta cha-
racterem imprimant, adeoque reiterari nequeant,
sequitur eadem sublato obice reviviscere, ne alias
semper effectu suo frustrata forent. De Ordine id
docet expressè S. Aug. l. 2. cont. Crescon. c. 10. ubi
ait *Christiana fides in vobis Sacra-
menta cognosco: apud
vos quidem aliena sunt, sed cum cor vestrum corrigitur,
sunt ea salubriter vestra, que perniciosa habebatis aliena.*
Agit autem ibidem S. Praeful de Sacerdotibus in hæ-
resi ordinatis, & resipiscentibus.*

Dicendum 3. An poenitentia reviviscat, res est *Poenitentia-*
*satis incerta: & pendet ex eo, an detur Sacra-¹¹⁹
mentum Poenitentiae inforne, id est, quod quidem de
se est validum, sed ob indispositionem poenitentis
non confert suum effectum. Melius docent, non da-
ritale: quia vel poenitens est verè contritus, vel non *An poenit.
est; si non sit, Sacramentum est nullum, juxta tentia p[ro]p[ter]i-
Trid. ses. 14. c. 4. defectu contritionis debitæ: si ve-¹²⁰
rò sit verè contritus, non erit informe, sed opera-^{formis.}
bitur suum effectum.**

Dicendum 4. Eucharistia non videtur reviviscere: *Eucharistia.*
Ratio est, quod possit iterari, adeoque jacturam ¹²¹
spiritualem in Eucharistiâ fidei susceptâ, perpetuam,
novâ communione possit compensare. Excipe ca-
sum, quo quis peccati mortalis conscius, ante spe-
cierum consumptionem, de eo contereretur.

Dicendum 5. De Matrimonio & ext. unctione *Matrimo-*
*verius dicitur, quod reviviscant, saltem quoad ali-¹²²
nium &
*quas gratias Sacramentales: videtur enim durum de Ext. Vol.
contrahente Matrimonium, maximè, cum, viven-¹²³
te com parte, non liceat iterari, semper debere fru-
strari effectu Matrimonii. Hoc tamen generaliter hic
notandum est, rem hanc esse satis incertam, cum
tota pendeat à Christi voluntate.**

Dicen-

Requisita ad reviviscentiam. Dicendum 6. Ad reviviscentiam requiritur aliqua Dei propter se dilectio. Declarat hoc multis locis contra Donatistas agens S. Aug. dum docet, quod Sacra menta revivificant, quando ex corde se ad Deum convertunt, quae conversio dilectionem Dei propter se includit. Non tamen exigitur dilectio Dei per se justificans, aliter justificatio deberet adscribi dilectioni, non item Sacramento reviviscenti.

S E C T I O IX.

De Numero Sacramentorum N. L.

*Sunt 7. N.
L. Sacra-
menta.*

DI CENDUM primò, de fide est, esse 7. novæ legis Sacra menta: definit hoc Conc. Trid. ses. 7. can. 1. ubi dicit: *Si quis dixerit, Sacra menta novæ legis..... esse plura vel pauciora, quam 7. videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem, non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.* Est contra hæreticos, qui nunc duo, nunc 3. nunc 4. pro suo libitu fingunt Sacra menta. Et quamquam non ita expressè illa Sacra menta Scriptura enuntiet, tamen satis ex illâ colligitur hic numerus, sicut aliorum numerus binarius, ternarius, &c. Pro quorum confusione juvat hoc argumentum ipsis proponere: juxta illorum dogma, nihil credendum, quod Scriptura non continet: atqui, quod Scriptura dicit de Sacramento Confirmationis act. 8. & 19. de Pœnitentia Joan. 20. &c. Ipsorum cerebro ab esse Sacramentorum ejicitur, non à Scripturâ, ergo, quod doceant illa non esse Sacra menta, non est illis credendum. Sufficit nobis ergo, quod Ecclesia, quæ est columna veritatis, nos doceat Sacramentorum numerum in S. Eloquio, et si non ita expressè contentum: Neque quidquam efficiunt objiciendo illud D. Aug. Epist. 118. ad Januarium, *Sacramentis nu-*
mero

mero paucissimis, observatione facilimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligari, sicut est Baptismus & communicatio Corporis & Sanguinis Domini. Cùm subdolè illud subjecere soleant, quod eosdem enervat, scilicet illud, quod subdit: *Et si quid aliud in Scriptura Canonica commendatur.* Unde & l. 5. de Baptismo c. 20. exprefse plura profitetur, dum ait: *Quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur?* Patebit id uberius agendo de quolibet Sacramento in particula-ri. Æquè frivolum est, quod objiciunt ex Apoc. 17. quod Sacraenta N. L. sint bestia, habens 7. cornua. Per illam enim bestiam intelligitur Roma gentili-*s*, quæ à 7. montibus dicitur *sepicollis*: vel intelli-guntur 7. immanes, quos habuit, Imperatores, unde dicitur quod super 7. cornua sint 7. diademata.

Æquè absonum est illud sophisma, quo rem Theo-logicam Philosophi obscurant & divexant: vel sunt 6. Sacraenta vel plura, vel sunt 6. & non plura: si sunt 6. & plura, erunt 8. si sex & non plura, erunt solum 6. item illud: omne Sacramentum vel est Baptismus, vel Confirmatio vel Eucharistia, &c. Sed neque Bap-tismus, nec confirmatio, &c. Dividitur in 7. Sacra-menta, ergo Sacramentum non dividitur in 7. Sacra-menta. Ad prius enim Resp. Transiit ibi à particula negativa sumpta infinitanter, ad eamdem neganter sumptam, quod æquivocationem inducit. Ad poste-rius Resp. Transiri ab acceptance personali ad simpli-cem in voce Sacramentum, quod æquivocationem inducit & consequentiam vitiat, de quo disputerent Phi-losophi pleniùs.

SECTIO X.

An in omni statu fuerint Sacra menta necessaria.

*De statu
innocen-
tia.*

DIENDUM primò, in statu innocentiae non fuisset indecens à rebus sensibili bus sanctitatem expectare, sed maximè expediens, si pro suo com modo & salute iis mediis potuissent uti. Quod verum est, et si Christus Adamo non peccante, non venisset; et si enim Sacra menta vim suam habere dicantur ex passione & meritis Christi, item quòd sint medicinæ quibus à peccatis sanamur, in illo casu verò, neque Christus venisset, neque peccatis esset medendum, quæ nulla fuissent: tamen potuisset Deus ex sua omnipotētia independenter à meritis Christi, Sacra mentis inde re vim sanctificandi: deinde, et si illa Sacra menta à peccatis non liberassent, tamen potuissent contra eadē hominem præservasse, gratiam augere, &c. His adde, quòd pro eo etiam statu hoc militaret, quòd homini conveniret, per sensibilia signa devenire in cognitionem spiritualium & per ejusmodi signa in unam Religionem coadunari, quod Sacra mentis est proprium.

*Statu le-
gi na-
tu-
rae.*

Dicendum 2. In statu legis naturæ, id est à peccato Adæ usque ad legem Moysis, fuit quoque remedium aliquod contra peccatum originale. Docet id aperte S. August. l. 5. cont. Jul. c. 11. ubi ait: *Nec ideo credendum est, & ante datam circumcisio nem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliquid necessariâ causâ, Scriptura late re voluerit.* Si vero SS. Patres ut S. Greg. & Bern. docent, solâ fide parentum parvulis suis eos subvenisse, illud sola fide, non excludit externum signum fidei, sed solùm determinatam Ceremoniam. Ad quod docet S. Thom. 3. q. 70. a. 4. ad 2. quòd paren tes.

tes suis parvulis adhibuerint aliquas preces, ut adhibebant adulti: & q. 61. a. 3. comparat Sacra menta legis scriptæ, cum Sacramentis ante illam, ut determinatum ad indeterminatum; unde nota, quod ante legem scriptam Sacra menta admittat, et si indeterminata.

Dicendum 3. De fide est, in lege scripta fuisse Sacra menta. Docet hoc Florent. Conc. dum differen-^{In lego}
tiam adferit inter Sacra menta V. & N. L. Inter haec
præcipuum fuit circumcisio. Unde sit ^{scripta.}

SECTIO XI.

Ad quid sit principaliter Circumcisio instituta.

DI CENDUM primò. Circumcisio primariò est ^{Fixis cir-}
instituta, ut esset signum foederis inter Deum & ^{circumcisio-}
semen Abrahæ, ut populus Hebreus hoc ritu ab ["]
aliis esset segregatus ac Deo peculiariter dedicatus.
Secundariò tamen assumpta est ad remittendum ori-
ginale peccatum, nam uti docet Scriptura Gen. 17.
Masculus cuius præputii caro circumcisæ non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pælum meum irritum fecit. S. Aug. legit, *Masculus cuius caro octavo die, &c.* Uti & 70., Prosper & Fulg. quod et si in Hebreis de-
sit, tamen octavo die legendum esse docet. S. Amb.
l. 9. Epist. 77. Etsi in hebreo non contineatur, *Quia,*
ait, *non in aquila omnis auctoritas, qui quasi Iudeus in littera præterit, nec posuit octavum diem.*

Hoc tamen notandum quod Apostolus & SS. PP.
aliquando vituperent & extenuerint Sacra menta V. L.
uti videre est scđt. 1. & negent aliquid salutis con-
tulisse: quod ut verum sit, intelligendum est de Sacra-
mentis V. L. quæ talibus, cùm circumcisio, ut erat
assumpta pro Sacramento legis naturæ, quæ uti di-
ctum est, duravit usque ad legem gratis, remitte-
bat peccatum originale: alias ut erat cære monia L. V.
hoc præstabat circumcisio, quod per eam populus
Judaï.

Judaicus feligeretur ac Deo dedicaretur, ad quod primariò erat instituta, adeoque ex prima sua institutione non conferebat gratiam. Deinde vilipenditur circumcisio post legem gratiæ, quando veritati umbras cesserant.

Circumcisio non conferebat gratiam ex operis opere operato, sed illud Sacramentis N.L. est proprium, & in quo Sacramenta novæ legis à Sacramentis V.L. juxta Trid. &c Florent. differunt. Et quamquam in lege naturæ admittamus indeterminatum Sacramentum pro originali peccato, quod in lege scripta negatur: non ideo tamen legis naturæ status perfectior erat statu legis scriptæ, cum lex scripta legem naturæ sub se cotinebat & includebat. Unde, et si seorsim lex naturæ erat perfectior lege scriptâ, nontamen prout lex scripta legem naturæ includebat.

Bene 14. Dicendum 3. Adultis in circumcisione non fuit collata gratia nisi ex opere operantis, scilicet ex filiis de illorum per dilectionem operante & aliis dispositionibus ad hoc requisitis, adeo ut attriti non conquerentur peccatorum remissionem: quare Circumcisio hic erat tamquam conditio sine qua non, in intuitu fidei, quam parvuli elicere non poterant. Adulti verò propriis actibus ad justificationem se disponebant, quo pacto non erant illi pejoris conditionis quam parvuli, cum independenter ab aliorum actibus voluntate propriâ sese ad justificationem preparabant. Idem accidit modo in adultis & parvulis Baptisandis.

Quia de causa per 40. annos in deserto omissa. Dicendum 4. Circumcisio, et si aliquatenus necessaria, dispensatione divinâ, omissa fuit per 40. annos, ob iter continuum per desertum, nescientibus iudeis quando movenda erant castra, et si alii, inter quos S. August. quest. 6. super Josue, doceat, Judæos in eo fuisse culpabiles. Alii verò docent, nullum non circumcisum in deserto mortuum esse, ante-

antequam Josue jussit omnes circumcidisse: sententia tamen S. Augustini probabilius apparuit, maximè cum scriptura Josue c. 5. omissionem illam non excusat, sed solum causam omissionis insinuat.

Hoc denique notandum est, quod si puer ante diem octavum periclitaretur, quod ante liceret adhibere remedium legis naturae, quod diximus indeterminatum; si vero puer supervixisset, debuissest adhiberi circumcisio, tamquam cæremonia, ut fit in Baptismo non solemni, quando etiam, uti octavo die nomen pueris imponebant, quod & observarunt Romani, quando pueros suis diis consecabant.

Dicendum denique, Sacerdotium Melchisedech Sacerdotum Melchisedech fuisse verum Sacramentum, cum fuerit *Sacerdos Dei* trium Melchissimi; Imò Philo l. 2. allegor. ait: *Melchisedech* Regem Salem Sacerdotem sibi constituit Deus, cui constitutioni adveniens populi consensus, erat verus Sacerdos & verum Sacramentum, Eucharistiam præfigurans, offerebat. Quando vero dicitur Sacerdotium incepisse ab Aärone a Deo vocato & ordinato, indicatur a Deo tum primitus determinatum fuisse, quid, quando, quo loco, deberet Deo offerre, ubi antea aliqua pro libitu assuebant pro Sacrificio, modo ad illud idoneum, illi qui vel hereditariâ successione, vel consensu populi, vel constitutione Dei erant Sacerdotes.



CAPUT SECUNDUM.

De Sacramentis in particulari.

SECTIO PRIMA.

De Sacramento Baptismi.

Quid Baptisma. **D**ICENDUM primò. Sacramentum Baptismi sive ablutionis, Est Sacramentum regenerationis in verbo vite. Dicitur Janua Sacramentorum, eò quòd portum pandat, ad cætera Sacra menta suscipienda: ita innuit Concilium posuit Florent. Quod quamvis verum sit, quòd nemo possit sacramentum suscipere aliquod Sacramentum ante Baptisma; tamen casus contingere posset, quod quis bona fide prius ante Baptisma putans se Baptisatum, sumeret Eucharistiam; quo casu, si de cætero dignè accedat, ex opere operato conferet Eucharistia gratiam: nee verum est, quod fingit quispiam, ejusmodi sumptionem tantum proficere, quantum si asinus sumeret species Eucharisticas. Rem nostram probat Euseb. l. 7. c. 8. hist. ubi refert Dyonis. Alex. ad Sextum scripsisse de quodam Antidoto, qui invalidè suscep erat Baptisma, & interim aliquoties sumperferat Eucharistiam, quem solebat Poniifex Baptisari sed dicebat eum virtute Sacramentorum esse purgatum: Item capt. Proveniens de Presbytero non baptisato; ubi Pontifex declarat, quòd Eucharistia à non baptisatis possit recipi. Melius proinde dicitur, quòd Baptisma sit primum Sacramentorum, non quòd nullum Sacramentum ante illud suscipi possit; sed uti ait Concilium Flor. Primum omnium Sacramentorum locum tenet Sacramentum Baptismi, quod vita spiritualis Janua est; per ipsum enim membrum Christi, ac de

de corpore efficiunt Ecclesie. Indubie vero, vita spiritualis haberi potest, sine susceptione Baptismi, puta per votum ejusdem. Adde, quod ordinariè fit alio sensu Janua Sacramentorum, uti & tonsura ordinum subsequentium, sic ut ordinatio subsequens teneat, et si non praecedat tonsura. Quod autem de Eucharistia diximus, idem locum habet in matrimonio juxta Adriatum in 4. q. 1. & valde probabiliter in extrema unctione, uti & in ordine: in poenitentia autem est aliud, ubi requiritur jurisdictio in poenitentem, qualem non habet in eum, qui nondum est membrum Christi. Totum interim pendet à voluntate Christi, de qua cum non ita certo constat, observanda erit Ecclesiæ constitutio.

Dicendum 2. Communisten tenet opinio, quod baptisma sit institutum in Jordane, quando Christus à Joanne Baptisaretur, dum designavit aquam, ut materialm, & tota Trinitas apparuit, Filius qui baptisatur, vox Patris, & Spiritus S. ut columba descendens. Quidquid sit, verius apparet, in Jordane non fuisse Baptisma institutum, sed postea tempore opportuno. Ratio est, quod in Jordane Christus solum suscepit Baptisma, eoque suscepto confessim de aqua adscendit; cum tamen instituere sit actus jurisdictoris, ubi tamen subibat personam poenitentis & subditi. Hoc tamen verum est, Baptisma à Christo institutum esse ante suam mortem, cum legatur, quod Christus per Apostolos Baptisarit, cuius causâ indignatio Joannis Discipulorum est exorta.

Dicendum 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest intrare in Regnum Dei.* Joan. 3. Huic consonat Conc. Trid. ses. 7. Can. 5. Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, Anathema sit. Necesitas hæc est necesitas mediæ, ut sine Baptismo aut ejus voto non sit speranda æterna beatitudo. Falsa vero & indigna justitiae divinæ est opinio, quæ docet parvulos in utero materno morientes, precibus parentum posse salvare. Unde Pius V. sententiam

tiam illam cuiusdam, jussit in 2. editione expungi. Parvulus igitur necessarius est Baptismus realiter suscepitus, excepto casu martyrii, sive Baptismi sanguinis, de quo postea. Adultis verò sufficere potest Baptisma in voto, uti est, quando in casu conclusionis 2. bonâ fide & cum debita dispositione suscipit aliud Sacramentum, conteritur de peccatis, &c. Idem factum est in casu, quo narratur à Nicephoro l. 3. c. 37. Quemdam Iudeum morti proximum & Baptisatum enixè experientem, cum deesset aqua, arenâ esse Baptisatum, adde in voto. Cœpit autem Baptisma tantâ necessitate esse necessarium, quando lex nova satis fuit promulgata, de quo vide sect. ultimam de legibus.

S E C T I O II.

De materia & formâ Baptismi.

Materia Baptismi. ICENDUM primò, materia Baptisini alia est proxima, alia est remota. Proxima est ablutio. Remota est aqua elementaris aut naturalis. Hinc nulla alteratio aquæ officit validitati materiæ Baptisini, quamdiu manet vera aqua naturalis: per inde ergo est, sive sit aqua calida, sive sit frigida, sive sit marina sive fontana, sive ex nixe sive ex glacie resoluta, sive turbida, sive limpida. De aliis verò dubium est, ut primò de aqua adhærente in hieme marmori: verum verius dicitur eam esse materiam sufficientem, cum sit aqua forinsecus adhærens marmori, ob idoneam materiæ marmoreæ capacitatem ad eam.

Varij li- 2. Est de aqua resoluta ex sale: ad quod Resp. quæs. Valde dubiam fore materiam, cum dubium sit, an in confectione salis, aqua salsa substantialiter non mutetur. Unde hoc liquore Baptisatus, esset rebaptisandus. 3. Est de lixivio, aqua sulphurea & juscule carneo. Ad quæ Resp. Lixivium & aquam illam retinere naturam aquæ. Jusculum vero vel elicitum est, vel factum

factum ex diurniori coctione carnis in aqua, vel modicā : si modica coctio fuerit, & caro durior, quæ non ita facile resolvitur, videtur retinere naturam aquæ, aliæ minimè, sed juscum erit substantia naturaliter ab aqua diversa.

De aliis, v. g. Cerevisia, vino, lacrymis, lacte, sudore, oleo, urina, phlegmate, &c. Non teneret Baptisma in iis collatum, cum non sint aqua naturalis. Ex quo patet falsum esse Lutheri dogma, quo tenet id totum esse materiam Baptismi sufficientem, quod ad balneum est idoneum, quale quid est vinum, oleum, aqua rosacea, de qua postea. Hoc quoque ex S. Hieronymo in Isaiae c. 55. notari hic potest, lac & vinum in occidentali Ecclesia Baptisatis dari solitum, juxta illud S. Petri 1. c. 2. *Sicut modo geniti infantes, lac rationale concupiscite.*

Dicendum 2. Materia proxima Baptismi est ablutio. Olim in usu fuit tria immersio : imino videtur aliquando adhibitam esse adspersionem, v. g. quando una die 3000. sunt Baptisati. Usu tamen Ecclesiae adhibenda est ablutio aquæ ad corpus Baptisandi, adeo ut taliter verè possit dici esse ablutus. Hinc sufficient modicæ gurgulæ, & si pars hominis saltem principalis sit aspersa. Sufficit quoque ablutio occisiva, v. g. quâ puer in puteum projicitur & simul abluitur, quem casum factum esse refert panorm. in capt. *Ut non apponeres de Bapt.* talis enim puer erit verè Baptisatus & ablutus, uti etiam si aquâ ferventi imò vehementissimè frigidâ ablueretur, quamvis ex tali ablutione moreretur. Hoc tamen pro praxi notatum velim, quod pueros sauis crinitos minister debeat sollicitè abluere, ne aquâ solùm crines tangat, non itidem & caput, cum vel crines non sint pars hominis, vel saltem de eo sit fundatum dubium. Si tamen sit extrema necessitas, extremitatenda sunt ; materia dubia & forma dubia adhiberi debet, dum deest certior.

Dicendum 3. Forma Baptismi est hæc: *Ego te Baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Aut alia *Baptismi.*

illi per omnia æquivalens : talis est forma Chaldeorum, *Baptizatus est in Nomine Patris, &c.* Pro cuius pleniori sensu, notandum est, sensum formæ Baptismalis esse, quod in ea debeat exprimi persona baptisantis seu ministri, ille qui baptisatur, & Trinitas ac Unitas in divinis. Deinde, non debent illa expressè exprimi, sed satis est, quod ex communi sensu circumstantiæ id manifestent & exprimant, ut fit in prædicta forma Chaldaeorum. Et si in variis formis sit dubium & incertum, v. g. quæ implicitè Trinitatem Personarum aut alia manifestant, an in illis formis Sacramentum valeat. Unde retinenda est sedulò Ecclesiæ praxis, quæ similium, quæ ex Dei voluntate pendent, est optima interpres.

Apostoli non baptis- farunt in nomine solius Christi. Declarat illud S. Aug. l. 3. cont. Maximum c. 17. ubi ait : *Sæcunda Cksi. quia non est nominatus Spiritus S. quod etiam per ipsum facta est creatura, quando de Filio dictum est, omnia per ipsum facta sunt, id est putas Dei spiritum non esse creatorem? procul dubio nec in nomine ejus poteris baptisatos dicere, quibus ait Petrus, agite paenitentiam & baptisetur unusquisque vestrum in nomine D. N. Iesu Christi, quia non ait & Spiritus S. nec in Patris nomine, quia nec ipse est ibi nominatus?* Supponit ergo ibi S. Doctor debere fieri expressam invocationem Trinitatis. Si vero alibi legatur, Apostolos baptisasse in nomine solius Christi, intelligendum est, eos baptisasse in authoritate, potestate & virtute Christi tamquam ministri principalis. Hanc sententiam plerique sustinent.

Quanam pars de- beat ablui Dicendum 4. Pars quæ ablui debet, ex constitutio- nione Ecclesiæ est caput, ut primaria hominis pars, in quo quasi omnes sensus Baptismate sanctificantur. Capitis tamen ablutio non est necessaria ad valorem Sacramenti, quia si peccatus, aut alia pars corporis principalis perfundatur, tenebit Baptisma. De perfusione pedis, manus, digitii ea res est incerta, unde saltem rebaptisari debent sub conditione. Pro generali

tali regula erit , eam partem sufficere , quâ ablutus homo verè possit dici baptisatus , id est ablutus.

SECTIO III.

De Baptismo Parvolorum.

DICENDUM primò , de fide est , parvulos esse ^{Parvuli} baptisandos : tales enim quoque comprehendit ^{funt bap-} illud Joan 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Deinde ^{tisandis.} circa parvulos ita definit Con. Trid. sess. 7. can. 13. & 14. *Si quis dixerit parvulos , et quod actu credendi non habent , suscepto Baptismo , inter fideles computandos non esse , ac propriea , cum ad annos discretionis pervenerint , esse rebaptisandos , aut praestare omitti eorum Baptisma , quam eos non actu proprio credentes baptisari , in sola fide Ecclesie , Anathema sit. Et rursum : Si quis dixerit ejusmodi parvulos baptisatos , cum adoleverint , interrogandos esse , an ratum habere velint quod patrini eorum nomine , dum baptisarentur polliciti sunt , & ubi se nolle , responderint , suo esse arbitrio relinquendos , nec aliâ interim pœnâ ad Christianam fidem cogendos , nisi ut ab Eucharistia , aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur , donec resplicant , Anathema sit.* Ubi feriuntur diversi errores materiam hanc concernentes , ac imprimis Anabaptistæ , quibus satis accessit Erasmus in præfatione paraphrasis , qui volebat parvulos , ubi adoleverint , rogandos esse , an ratum habeant , quod in Baptisma promiserunt : & si nolint , eos liberos esse remittendos. Prædictis accedit & ratio , quod parvuli quoque ligentur peccato originali . ergo remedii contra illud debent admitti capaces. Quandò autem Scriptura ante Baptisma exigit fidem & alias dispositiones , agit de Baptismo adultorum , de quo postea : adde , quod infantes fiunt fideles , non ab actu fidei , quem habere non possunt , sed ab habitu fidei , qui illis per Baptisma infunditur , item à fide Ecclesiæ , ut sicut alterius sci-

licet Adæ infidelitas illis obfuit : ita aliorum fides illis proficit.

Baptisma parvulo-rum infidelium. Dicendum 2.. Parvuli infidelium , attento jure naturæ , possunt invitis etiam parentibus baptisari . Ratio hujus est , quod periculo perversionis , quod timori posse prætenditur , satis possit obviari & illud compensari . Obviari quidem auctoritate superioris , qui parentes privare possunt jure educationis , quo abutuntur . Compensari vero , per probabilem spem , quod puer ante subversionis periculum , sit moriturus , eò quod juxta aliquos tertia pars hominum ante 10. annum moriatur . Imò ad hoc cogendos esse parentes Hæreticos sèpè statuit Hispaniæ & Galliæ praxis & leges : & quainvis nemo invitus sit ad fidem cogen-
dus , tamen parvuli non sunt inviti , nec parentes rationabiliter inviti ; addé , quod oporteat Deo magis obedire , quam hominibus . De pueris hæreticorum agam postea .

S E C T I O I I I I .

De Baptismo Adultorum.

*Consensus Baptisan-
sis.* D ICENDUM primò , Cum novæ vitæ susceptio per Baptisma debeat esse libera , requiritur in ad ultò baptisando consensus aliquis , uti patet ex capt. *majores* , de quo sect. 5. cap. 1. alias insuper dispositio-nes hic exigit Trid. sess. 6. c. 6. ac in primis motum fidei , sine qua impossibile est placere Deo : deindè motu spei , quo in Deum baptisandus erigitur , fi-
Fides. dens Deum sibi propter Christum propitium fore :
Spes. denique actum dilectionis , ut Deum tanquam omnis ju-
Charitas. stitiae fontem diligere incipient , ac propterea moventur ad-
versus peccata , per odium aliquod & detestationem , hoc est per eam paenitentiam , quam ante Baptisma agi oportet . Ubi aliqua notari velim : primò odium peccati ac de-
testationem oriri ex amore justitiae : secundò , quod
ultimè

ultima dispositio non solum sit conveniens, sed esse
opporteat, id est, sit necessaria: uti necessaria intelligi
tur fides, dum dicitur: *Accidentem ad Deum oportet credere.* Ultimò non sufficere actum amoris concu
piscentiae, aut ex timore servili orta poenitentia, quia
ut ait Pallavic. l. 8. c. 13. *Visum hic est, cum fide & spe
jungere aliquem dilectionis altum, quia si paenitentia tota
esset ex timore sine amore justitiae, & dolor esset propter
parnam tantum & non propter Dei offendam, esset in
fructuosa.* Si verò contingat Baptismum cum obice
sive fidè esse susceptum, postmodum debitâ dispositio
ne reviviscit, uti supra diximus: debita autem
dispositio hæc est juxta S. Aug. l. 1. de Bapt. c. 2.
quando sincerè cor peccatoris se ad Deum convertit.
*Tunc, ait, valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa
fictio veraci confessione recesserit, quâ corde in malitia vel
sacrilegio perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat
fieri.* Undè exigitur hic iterum actus amoris Dei, cum
illud non dicatur veraci & sincero corde provenire,
quod ex amore Dei non provenit, ut idem S. Pater
alibi docet. Vide dicenda de contritione. De cere
moniis in adulti Baptismo adhibendis dicam scđt. 6.

Dicendum 2. Caveant omnes quibus animarum cu- *Baptisma*
ra commissa est, ne aliquos vagabundos, & pauperes *vagabun
di.*
facili negotio ad baptismum recipiant, ut nondum
baptisatos. Sæpè enim ejusmodi, sacrilegia non re
formidant, ut nummos & eleemosynas extorqueant:
hinc, ut in casu matrimonii, vagabundos ad ordina
rium mittet, ut de causa plenius informetur & judicet.
Si verò eumdein ad Baptisma disponat, motivum con
versionis diligenter inquiret, fidei rudimenta propo
net, & ad seriam vitæ emendationem disponet.

Dicendum 3. Adulti satis instructi & dispositi *Instructio
primâ datâ occasione sunt baptizandi, alias fructuan
di variis gratiæ auxiliis, quæ baptisma confert; etsi
ali quando recte ab Ecclesia, & prudenti directore
differatur baptisma, usque ad festum solemne instans,
uti Romæ baptisma Catechumenorum usque ad fe*

stum Pentecostes , ut majori cum devotione Sacra-
mentum illud suscipiant , vel aliud alia urgens causa
expostulet.

SECTIO V.

De Baptismo Hæretorum:

An Baptisma ab Hæretico collatum sit validum,

DI CENDUM primò Anno 258. tempore Cypriani acris commota est quæstio ratione cataphrygum & Novatianorum Hæretorum , an baptisma ab iis datum esset validum : quæ quæstio dudum agitata , decisa est , & conclusum omnino validum esse , si cætera essentialia adessent ; rationem dat D. Thomas , eò quod Sacraenta operentur in virtute Christi , & minister merè instrumentaliter. Errorem S. Cypriani & aliorum diluebant , objectâ solâ traditione : unde S. Aug. l. 2. cont. donatist. c. 9. & 7. Con-suetudinis , ait , robore tenebatur orbis terrarum : hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem. Idem habet Vincentius Lyr. in commentario. Verum licet extra Ecclesiam non sit salus , & Hæretici sint extra Ecclesiam , tamen qui baptismina suscipit , salutem accipit in Ecclesia , et si per aliquem , qui est extra Ecclesiam.

Intantio Hæretici.

Dicendum 2. Possunt habere Hæretici intentionem faciendi , quod facit Ecclesia , et si Romanam Ecclesiam non agnoscant. Probatio videri potest ex seft. 3. cap. 1. & quia , ut ait synodus 2. Mechliniensis tit. 3. de bapt. c. 6. Anno 1608. Frequens experientia docet , modernos Hæreticos , sèpè contra receptionem Ecclesiæ consuetudinem & antiquissimam traditionem Baptizare , uno aquam fundente , alio formam ipsam pronuntiando , ab Hæreticis (qui non sunt ad baptisandum admittendi , ubi aliquis Catholicus præsto est) baptisati similiter sub conditione baptisentur. Idem habet ejusdem diocesis Pastore. Hinc inquam promiscuè & regulariter ab Hæreticis baptisati , sub conditione sunt rebaptisandi , nisi certo

Certo constaret Hæreticos quosdam debito modo baptisare, uti sæpe fit.

Dicendum 3. Non licet puerum tradere extra necessitatem Hæretico, publico ritu baptisandum. De-
bent enim tradentes baptisandum implicitè consenti-
re illorum hæresi, cum juxta eorum formulam, de-
beant spondere, se puerum in illorum secta esse edu-
catores, debeant profiteri pueros ante baptismum esse
sanctificatos, denique in illorum ritu ipso factō com-
municant. Unde Hermenigildus, èo quod nollet ab
Episcopo ariano baptisari, martyrium subiit. Hinc
& Illustrissimus Castoriensis in suis constitutionibus
fol. 14. *Baptisati ab Acatolicis non temerè de novo bap-*
tisentur: si constet aliquid substantiale circa illos prætermis-
sum, vel rationabiliter de eo dubitetur, baptisandi omnino
sunt: unitones verò & reliquæ ceræmoniæ Ecclesiæ Ca-
tholicæ pro discretione Sacerdotum & devotione petentium,
poterunt suppleri. Doceant Sacerdotes populum, quod nul-
lo modo liceat, cuiquam permittere proles suas Baptisari ab
Acatolicis, nam eos, qui id facere præsumunt, censet
Ecclesia segregandos & oblationes eorum non recipiendas.

S E C T I O VI.

De Ceræmoniis Baptismi.

DICENDUM primò, Ceræmoniæ Baptismi, quas extra necessitatem omitti non licet, uti ex dictis de Sacramentis in genere constat, aliæ sunt adhibendæ in baptismo adultorum, aliæ in baptismo parvolorum. In baptismate parvolorum, prima est, petitio à patrino vice pueri respondentे, quid velit, ubi *tus Bap-*
significatur libertas novæ vitæ. 2. Est exorcismus *tisfis.*
dæmonis sufflatu & signo crucis factus, ut exeat dæ-
mon & det locum Christo. 3. Impositio manusuprà
caput infantis, & infusio salis benedicti in eundem:
quo significatur, ut cæcitas mentis & cordis ab eo
auferte

aufere Deus dignetur, & sal sapientiae infundatur. Post iteratum exorcismum & introductionem in Ecclesiam, sequitur professio fidei, & abrenuntiatio satanæ & omnibus pompis ejus, præmisso tactu de saliva, ut aures esuriant Dei Verbum: Deinde linitur infans oleo Catechumenorum in pectore & scapulis, ut oleo linitus constanter fidem suscipiat, & profiteatur, & contra malignos spiritus fortiter dimicet: Deinde Sacerdos profert formam, & materiam adhibet. Datur quoque Candela, ut irreprehensibilis & amore ardeus possit occurrere Domino venienti ad nuptias; datur itidem vestis candida, quam inimaculatam perferat ante tribunal D. N. Jesu-Christi. Denique linitur chrismate in capite, ut significetur baptisatum esse genus electum & regale, in memoriā Christi, id est uncti.

Quod verò adulторum baptisma spectat, primò baptisandus nomen Ecclesiæ tradere debet, ut instruatur in fide, à quo tempore vocatur *electus*, sive *competens*: Deinde in scrutinio examinabantur de sufficienti notitia fidei, & alia in baptismo parvolorum fieri solita fermè repetuntur, & exactè prescribit Rituale.

Dicendum 2. Quamvis tempus conferendi baptisma modò sit indifferens, olim tamen bis solummodo in anno conferebatur, scilicet in Paschate & Pentecoste, uti constat ex dist. 4. de consecratione Cap. *Duo tempora*. Ejus vestigium remanet illis diebus per consecrationem fontium.

Dicendum 3. Ex antiquo Ecclesiæ usu adhiberi solet ad baptisma *patrinus* sive *susceptor*, qui curam pueri spiritualem in defectu parentum suscipit, & se se pædagogum spiritualium spondet. Deinde adhibetur ille; ut de baptismo testetur, ut pro parvulo respondeat & spondeat; varii autem ab hoc officio ab Ecclesia arcen-tur, aut infidelis, & Hæreticus. Non enim illi puerum docebunt veram fidem, sed ad falsam pervertent. Item Religiosi etiam Abbates Monachi, et si aliis non
Mona-

Monachis de jure communis non sit illud officium interdictum, sicut tamen, ut aliquando legibus aut particularibus statutis iis sit veritum. Vetat quoque Conc. Trid. ses. 24. c. 2. ne plures, quam unus & una baptismati assistant, ne cognatio spiritualis nimium augatur, quae oritur inter baptisantem, & baptisatum, & baptisati Patrem & Matrem, item inter patrinum & baptisatum ipsum & illius Patrem & Matrem.

S E C T I O VII.

De subiecto capaci Sacramenti Baptismi.

DICENDUM est primò, subiectum baptismi capax est omnis homo non baptisatus. De pueris ^{Omnis hominē non} baptisatus ^{est capax} Baptismi. & adultis jam actum est, & de dispositionibus eorumdem. Tales sunt etiam amentes & furiosi, qui si sint in amentia perpetua, neque habent lucida intervalla, comparantur iis, qui quasi sunt in perpetua infantia, unde sine aliquo consensu prævio possunt baptisari. Si verò habeant lucida intervalla, debent præviè illud petiisse, cum aliqualis consensus ad baptismum suscipiendum in adultis sit requisitus, sicut probavimus

Dicendum 2. Puer in utero Matris etiamnum existens, ordinariè ibidem baptisari non potest: nam ut ait S. Aug. l. 2. de pecc. mer. c. 27. *Sacramentum baptismi profectū Sacramentum regenerationis est, quo circa sicuti hi qui non vixerint, mori non possunt, & qui mortuus non fuerit resurgere non potest, ita qui natus non fuerit, renasci non potest.* Dixi ordinariè, quia si arte obstetricis medio instrumento puer in matris utero existens ablui posset, baptisari ibidem indubie posset, ut si Mater se caretur, item si puer utero exiens, caput aut aliam partem exerat.

Dicendum 3. Monstra, de quibus dubitatur, an sint homo an bestia, quae quandoque ex nefario coitu hominis cum bruto vel dæmone oriuntur, si dubium re bene

Monstra.

bene discussâ perseveret, sub conditione sunt baptisandi. In his tamen partes principales sunt attendendæ, v. g. caput, cor, &c. an sint hominis partibus similia, ex cuius consideratione judicium aliquod formari potest, sintne monstra, homo, an aliud diversum. Idem est de monstris duplicatis, sive quæ videntur esse distincta, in quibus si duo capita humana, aut duo corda reperiantur, duplice baptismu baptisari debent, eò quòd videantur esse duo supposita distincta. Si verò ex viro & muliere monstrum oriatur, idque ex vitio semenis vel matricis, nechabeat figuram hominis, sed vel potius gliris, muris, catuli, &c. communiter baptisari non debet, eò quòd non sit homo nec per generationem, sed ejus defectum prodeat, nec sit coniunctum in similitudinem naturæ. Si denique monstrum humanam speciem præferens ex muliere & bruto vel dæmone vel aliunde prodeat, ut de filio Joannis Roceet diximus agendo de originali, baptisari debet, cum homo per solam mulierem profectus originali peccato subjaceat, uti & alius ille, de quo in dicto loco egimus.

*Baptisma
non potest
iterari.*

Dicendum 4. Homo baptisatus baptismi de cæterò est incapax. Ratio est, quòd baptisitus, eò quòd imprimat characterem, iterari non possit, & sicut quis solum semel generari potest, ita & solum semel potest regenerari. Aliud est, si de priori baptisino esset dubium, an esset validè collatum, v. g. ab Hæreticis, ab obstetricibus, & usuvenit in pueris expositiis, qui etsi scedulam testem baptismi adferant, tamen sub conditione rebaptisandos esse, verius judicarim, cum vel non constet sufficienter de legitimo ministro, delegiti mis testibus, nec aliunde de valore baptisini, unde sub conditione baptisandos esse præstat affirmare, ut in re adeo necessaria nihil illis desit, & de cæterò ad conditionatè rebaptisandum, satis urgens adsit causa.

*Pueri ex-
positi.*

SECTIO VIII.

De Ministro Sacramenti Baptismi.

DICENDUM primò, quilibet homo in casu necessitatis est minister Baptismi, qui scit adhibere essentialia baptismi, & intendit agere, quod agit Ecclesia; unde in casu necessitatis, vir & femina, fidelis & infidelis possunt baptisare. Ratio hujus est, quod cum Baptisma sit Sacramentum extremæ necessitatis, maximè conveniens fuit, ut ejus ministerium non restringeretur ad certas personas. Nec obstat, quod mulier ab Apostolo 1. Cor. 14. in Ecclesiâ prohibetur loqui, nec sit capax ministerii Ecclesiastici, quale est Baptisare: quia priori loco, solum interdictum mulieri in Ecclesia concionari, aut de rebus sacris verba facere posterius verò prohibet baptisma mulieribus, dum solemniter fit in Ecclesia.

Dicendum 2. In casu necessitatis observandus est ordo dignitatis, adeo ut illicitum sit minus dignum baptisare, præsente digniori, v. g. Diaconum præsente Sacerdote, Laicum præsente Diacono, &c. Adeo ut sine causâ invertere ordinem illum, sit de se peccatum grave, cum in re majoris momenti usurpetur ministerium alienum. Ratio autem invertendi ordinem esse potest, si minus dignus calleat saltem promptius formam baptismi, quam alter magis dignus, vel si puer in egressu ex utero baptisari debeat, quo casu honestas & decentia exigit, ut mulier viro præferatur.

Dicendum 3. Ordinarius hujus Sacramenti minister est Episcopus in suâ diaœcesi, item Sacerdos, cui usus ministerio baptisare incumbit, puta Parochus, qui in iter Baptisandum habet jurisdictionem, saltem Latè: quod addo, quia nondum baptisatus, non est propriè alteri Parocco subditus, sed subdendus est: unde est talis juris-

jurisdictio, sicut habet capitaneus in milites, quos militum adscribit. Diaconus vero non est per se, & de jure divino baptismi minister; solùm enim dicit Conc. Flor. quod ordinarius minister baptisimi sit Sacerdos, cui ex officio incumbit baptisare. Si vero quis prætendat Diaconis in ordinatione dici ex Pontificali Rom. Diaconum oportet Sacerdoti ministrare, baptisare, &c. Tantum sequitur, quod Diaconus ex delegatione solemniter possit baptisare, quod aliis inferioribus ministris, neque ex delegatione competere potest. Talem delegationem ab Apostolis acceperat Philippus Diaconus, qui baptisavit Eunuchum candacis Reginæ act. 8. sic etiam speciali mandato Christi, Ananias Laicus assumptus fuit ad baptisandum Paulum act. 9. cuius factum speciale, dictis non derogat. Si ergo Laicus solemniter baptiset extra casum necessitatis, peccat mortaliter, & fit irregularis, uti constat ex capt. 1. *De Clerico non ordinato*: Imò hoc extendi solet ad Diaconum ita baptisantem sine delegatione. Peccat quoque mortaliter contra constitutionem Ecclesiæ, qui privatim extra necessitatem baptisat, cum in re gravi, justæ ordinationi Ecclesiæ contraveniat.

*Obstetri-
ca obli-
gatio,*

Dicendum 4. Cum vero obstetrics periculoso pariendi negotio adsint communiter, ex officio suo, animæ pueri, uti corpori medendi artem habere obligantur. Unde Magistratus obligatio erit, nullas ad hoc officium assumere, nisi formam baptisni probè adhibere noverint; èò magis, quod medela animæ præstat medelæ corporali, ubi tamen eo officio indignæ judicantur, quæ parturienti obstetricem manum adhibere ignorant, umbilicum pueri præscindendo, membra pueri ritè componendo, lavando, &c.

SECTIO IX.

De Effectibus Baptismi.

DICENDUM primò , cum Conc. Trid. ses. 5. can.
 5. Si quis per JESU Christi D. N. gratiam , quæ in
 baptismate confertur , reatum originalis peccati remitti ne-
 gat , aut etiam afferit non tolli totum id , quod veram &
 propriam peccati rationem habet , sed illud dicit tantum radè
 aut non imputari , anathema sit. Rationem addit : In re-
 natis enim nihil odit Deus , quia nihil est damnationis iis ,
 qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mor-
 tem ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.
 Manere autem in baptisatis concupiscentiam , vel somitem ,
 hæc S. Synodus facetur , & sentit : que cum ad agonem re-
 licta sit , nocere non consentientibus , sed viriliter per Christum
 JESU gratiam repugnantibus non valet : quin imo qui legi-
 timè certaverit , coronabitur. Hanc concupiscentiam , quam
 aliquando Apostolus peccatum appellat , S. Synodus decla-
 rat , Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum
 appellari , quod verè & propriè in renatis peccatum sit , sed
 quia ex peccato est , & ad peccatum inclinat. Si quis autem
 contrarium senserit , anathema sit. Hic habes effectum
 baptismi primarium , remittere originale , & omnia
 alia peccata , idque verè , non solum tegi , adeo ut
 nihil damnatione dignum in baptisatis remaneat. De-
 inde remittit etiam baptismata omnem pœnam , adeo ut
 nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur , ut ait concilium.
 Idem docet S. Aug. quil. 2. de pecc. merit. c.
 28. ita habet : Statim ad cœlum migrare eum , qui accepto
 baptismo moritur. Nec refert , quod antiquitus Judæis ba-
 ptisatis injungeretur pœna 40. dierum , cum illa pœna
 non injungebatur ad satisfactionem , sed ad Sacra-
 mentum majori cum devotione suscipiendum. Non
 tamen tollit pœnalitates , puta ignorantiam , con-
 cupiscentiam , patibilitatem corporis , sed ad agonem

&c

& exercitium virtutum ea relinquuntur in baptisatis.
Quomodo verò peccatum originale, quod statuimus
in concupiscentia cum suo reatu, dimitri hīc possit, vi-
deri potest in materia de peccato originali & de con-
cupiscentia. tract. 2.

Dicendum 2. Ultra gratiam sanctificantem con-
fert baptismus jus ad gratiam sacramentalem, id est,
quā finis sacramenti haberi possit: puta, ut homo inno-
centiam vitæ in Baptismo acceptam, possit conservare.
Confert insuper dona & virtutes, quæ an sit de fide
quod sint veri habitus, diximus agendo de justificatio-
ne. Denique confert baptismus characterem, sive im-
primis animæ notam spiritualem indelebilem, vi cu-
jus baptismus re iterari non potest: januam cœli ape-
rit, imo aliquando corporalem sanitatem adfert, uti
fecit constantino à leprâ.

S E C T I O X.

*De differentia inter baptismus Joannis Baptiste, & ba-
ptisma Christi.*

Baptismus *Joannis.* **D**ICENDUM primò, Baptisma Joannis fuit verum Sacramentum, cum fuerit S. signum gratiam significans. Censem plurimi; & quidem jure merito, quod fuerit Sacramentum medium inter V. & N. Legem tanquam dispositio media à L. V. ad L. N. abducens, adeo ut rectè comparetur Catechismo ante bat-
tismum, respectu baptisandi. Conveniebat autem baptismus Joannis cum Sacramentis V. L. quod gratiam solùm significabat, non itidem conferebat: quod timorem incuteret: *Genimina viperarum, quis demon- stravit, &c.* Unde Matth. 11. Lex & Prophetæ usque ad Joannem, à diebus autem Joannis regnum cœlorum vins patitur, Et S. Aug. Euch. c. 49. Non, ait, renascebantur, qui baptismus Joannis baptisabantur, sed Christo, in quo solo renasci poterant, parabantur. Hujus enim baptismus est,

est, non in aqua solum sicut fuit Joannis, verum etiam in Spiritu Sancto. Adeo ut recte Conc. Trid. scil. 7. can. 1. de bapt. Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit. Perstringit Concilium Hæreticos modernos, qui discrimen illud negant, effectum utriusque soli fidei assignantes.

*Si verò quisquam urgeat, quomodo ergo baptis- Baptisma
ma Joannis dicatur in remissionem peccatorum, ut Ioannis
in cantico Zachariæ, *Ad dandam scientiam plebi sue: suis in re-*
missionem peccatorum eorum. Ubi tamen in symbo-
*lo confitemur unum tantum baptisma in remissionem
peccatorum: Respondemus, quod remissio pecca-*
*torum non sit referenda ad baptisma Joannis, sed ad
pœnitentiam, quam prædicando in baptisandis cau-*
sabat, & quæ per Christum danda foret: unde & ba-
ptisma Joannis dicitur Baptisma pœnitentiae in remisso-
nem peccatorum. Ita etiam scientia salutis caufabat præ-
dicatione illam remissionem. Eodem modo intelli-
*gendi sunt SS. Patres, si qui sint, qui docent baptis-
ma Joannis exuisse à peccatis.**

Ex quibus sequitur, non mirum esse, quod Act. 19. plurimi à Joanne Baptisati rebaptisentur; quod Joannes à se baptisatos ad Christi baptisma remittat, & act. 2. & 4. plurimi videantur baptisati baptismo Joannis ex 3. millibus & 2. millibus. Quæ autem fuerit forma baptismi Joannis, incertum est: satis verisimile est, quod expresserit adventum Christi futurum, cum dicat Scriptura Act. 9. *Joannis Baptisavit baptismo pœnitentiae populum dicens: in eum qui veniurus est posse ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum.*

SECTIO XI.

De Baptismo Flaminis & Sanguinis seu Martyrio.

DICENDUM primò, Etsi ad Ephes. 4. dicat scriptura, quod sit solum unum baptisma, intelligendo de baptismate aquæ, sive propriè dicto; tamen dantur duo alia baptismata, flaminis scilicet & sanguinis. Baptisma *flaminis*, est vera cordis contritio, quæ ubi deest copia baptismi, vicem baptismi supplet, dum Deus voluntatem pro facto reputat, dum factum excludit necessitas: porrò votum illud aliquando est *explicitum*, ut quando quis expressè desiderat baptismam, ubi tamen ejus copia deest: *implicitum* est, quando votum illud in alio intelligitur esse inclusum: v. g. in vera cordis contritione, qua implicitè vult adhibere omnia ad salutem necessaria, quæ potest. Patet idem ex Conc. Trid. quod ses. 6. c. 4. dicit neminem posse justificari, sine baptismo aut ejus voto, ubi innuit per votum illud, hominem posse justificari.

Dicendum 2. baptisma sanguinis seu *Martyrium* idem est Græcè quod *Testimonium* pro fide Christi, etiam profuso sanguine aut morte firmatum. Ad hoc tamen non requiritur profusio sanguinis, aut mors re ipsâ secuta, quia & suffocatione, laqueo inediâ, & inflictione vulneris, ex quo spectatâ humanâ conditione mors sequeretur, nisi Deus impediret, etsi forsan Deo impediente mors non sequatur, martyrium fieri potest. Sic martyr dicitur Joannes Evangelista, olei ferventis dolio injectus nec tamen ab eo ullenatus lœsus. Sic aliquando dicuntur aliqui martyres solâ voluntate, qui de se parati sunt mortem pro Christo sustinere, uti de S. Martino dicit Ecclesia, *Quem et si tortoris gladius non abstulerit, martyrii tamen Palmam non amisit.* Idem tenet de S. Norberto, qui araneam magnæ corpulentiaz, quæ in calicem consecratum,

*Baptisma
Flaminis.*

eratum deciderat, libero animo cum sanguine sumpsit, ne irreverentia divino sanguini obveniret.

Dicendum 2. Infantes per baptisma sanguinis sive *Infantes Martyris,* martyrium posse salvare, est indubitatum. Confirmat illud Ecclesiæ praxis, quæ semper innocentes pro Christo occisos ab Herode, pro veris martyribus proposuit colendos & invocandos; & eorum reliquiis verum cultum adhiberi voluit. Nec dici potest eos esse justificatos præviè per circumcisionem, cum indubitatum sit, quod multi ex illis nondum pertigerant ad 8. diem¹, quo circumcidabantur. Deinde, et si nondum actum fortitudinis exercere poterant, neque Christuni confiteri, tamen eorum mors in odium fidei inficta, à Deo acceptatur ad eumdem effectum martyrii, ac si esset actus à fortitudine elicitus, ut ait S. Aug. l. 13. de civit. Deinde, de iis canit Ecclesia: *Deus cuius preconium innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Nec denique hic quidquam obstat, quod doceat Trid. ses. 6. c. 4. quod sine baptismo aut ejus voto non possit æterna salus obtineri, cum ibi solùm agit de casibus ordinariis, neque casum martyrii comprehendit.

Dicendum 3. In adulto ad martyrium requiritur *Martyr-
yria dispositio: primò ut aliquo modo voluntariè il-
lud subeat; cum enim martyrium sit actus fortitudi-
nis, adeoque virtutis moralis, debet esse voluntarius.* Deinde debet esse ex dilectione Dei super omnia: unde Conc. Araus. *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas: fortitudinem Christianorum Dei Charitas facit:* & S. Aug. l. 4. de bapt. c. 17. *Si propter hoc, quia charitas deest, passio Hæretico, nihil prodest, nec illis prodest, quos intus in invidia & malevolentia sine charitate vivere Paulus dicit, Cyprianus exponit.* Denique perstat illud Apostoli 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ut ardeat, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Requiritur insuper in adulto votum baptismi, ut expressè docet S. Aug. l. 4. de bapt. c. 22, unde, si ante martyrium habeat baptismi copiam, omnino illum

suscipere debet: aliud est, si habere nequeat, quo casu votum baptismi in amore dicto abunde includitur.


Causa Requiritur etiam causa patiendi, quæ est justitia, **beatitudinis**. *ti qui persecutionem patientur propter justitiam:* Aliás ut notat S. Aug. Diabolus, quem justi persequuntur, esset dicendus martyr: unde commune dictum: *Martyrem causâ facit, non pæna.* Debet insuper martyr vel suâ prædicatione, vel vitâ & professione Christianâ resistere tyranno, non itidem viribus; aliás non conformatur martyrum capitî & prototypo Christo, *Qui cum pateretur, non comminabatur, sed sicut ovis coram tendente se obniutuit:* hinc milites in bello pro fide Catholicâ dimicantes & obeuntes, non judicamus martyres.

S E C T I O XII.

De Obligatione Christiani orta ex baptismo.

DICENDUM primò, Sicut ait Apostolus ad Gal. 5. *testificor autem rursus omni homini circumincidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ:* Sic etiam, qui se finit baptisari, obligatur ad universam legem vitæ Christianæ. Miles, qui nomen dat militiae, obligat se ad opera in militia observanda; ita & Christianus, qui dat nomen per baptismum militiae Christianæ, tenetur observare ea, quæ Christiano præscribuntur. Unde Conc. Trid. ses. 7. Can. 7. *Si quis dixerit baptizatos per baptismum ipsum, solum tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; Anathema sit.* Item: *si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneatur. nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.* Huc referri potest monitum Concilii aquileianensis Anno 816. quod est ejusmodi: *Oportet itaque omnes, qui iuxta Apostolum in Christo baptisati sumus, Christumque induimus,*

Quimus, in novitate vite ambulare, semperque ante oculos ponere pacatum, quod cum Domino in baptismate fecimus, ubi abrenuntiavimus satanæ, & omnibus pompis ejus, & omnibus operibus ejus. Quod pacatum tuum irriuum sit, cum quis in fide permanendo, vitiis aut à fide exorbitando idolorum cultibus, aut heresum erroribus, implicatur. Unde & Christus expressè discipulos ad baptisandum emittens admonet Matth. 28. Euntes docete omnes gentes, bapstantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quecumque mandavi vobis. Scandalisantur Laici improbitate Ecclesiasticorum, cum ad perfectionem specialiter debeant tendere, & merito. Verum confundantur omnes Christiani peccantes, & irritum reddentes baptisini juramentum, diabolo rursus adhaerentes, cui renuntiarunt, Qui enī facit peccatum, ex diabolo est, ait Joannes Epist. 1. c. 3.



CAPUT TERTIUM.

SECTIO PRIMA.

De Sacramento Confirmationis.

SECUNDO loco sequitur Confirmatio, non tamen ordine dignitatis, cum Eucharistiæ Sacramentum sit longè dignius: neque etiam necessariæ sequelæ, cum ut D. Hieron. contra Lucifer: doceat, quod Diaconi Eucharistiam post Baptisimum immediatè dabant, absente Episcopo. Luther voluit confirmationem cessante dono miraculorum esse otiosam ceremoniam: Calvinus docet, eam nihil aliud esse, quam orationem, quæ adhibebatur, quando baptisatus usu rationis adepto, sistebarat Ecclesiæ, & petebatur an pro rato haberet baptis.

ma in infantia collatum : hos ambos condemnat Conc. Trid. ses. 7. can. 1. de Confirm. ubi ait : *Si quis dixerit confirmationem baptisatorum iotiosam esse cera- moniam, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quād Catechesim, anathema sit.*

Sacramentum hoc inquit Scriptura dicens act. 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum S.* Idem habet c. 19. Idem confirmant omnes SS. PP. de quo ita S. Aug. l. 2. cont. Litteras Petil. c. 104. *In hoc unguento Sacramentum Christi vult Petilia- nus interpretari, quod quidem in genere visibilium signacu- lorum Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Idem po- stea vocat sanctum Sacramentum.

*Quando-
nam Con-
firmatio
sit institu-
ta.*

Dicendum 2. Variant authores de tempore insti- tutionis hujus Sacramenti : alii in ultimâ Cœnâ insti- tutum volunt, idque ex Epist. 2. Fabiani c. 1. ubi dicit quod Christus in ultimâ cœnâ Chrisma confidere Apo- stolos docuerit, alii in die Pentecostes, alii quando Christus dixit Joannis 20. *Accipite Spiritum S.* quidquid sit, certum tamen est, quod à Christo sit instituta Confirmatio, nam ut ait Clemens Epist. 4. de hoc Sacramento ejusque materiâ differens, *ut à B. Petro accepimus..... sancti Apostoli præcipiente Domino docue- runt.*

*Necessitas
Confirma-
tionis,*

Dicendum 3. Cum D. Thoma 3. p. q. 73. a. 1. ad 3. *Omnia Sacra- menta sunt aliqualiter necessaria ad salutem, sed quædam sunt, sine quibus non est salus : quædam verò sunt, quæ coöperantur ad perfectionem salutis : & hoc mo- do confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine eâ posse esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti.* Hinc per se loquendo, non est de confir- matione præceptum, quod nec ex Scripturâ Sacrâ, nec Conciliis, nec traditione, nec ex naturâ Sacra- menti suppositâ ejus institutione, potest ostendi. Ma- gna tamen hujus Sacramenti est utilitas, & aliquibus casibus quasi necessitas, v. g. ingruente persecuzione, dum adeat periculum à fide deviandi ; si inter hæreti- cos quis habitat, & dum sœpe sese offert occasio fi- dem

*Utilitas
eius.*

dem defendendi. Tali enim casu censetur esse magna temeritas , & de propriis viribus præsumptio , negligerem tam opportunum remedium pro fide conservandâ & defendendâ institutum , adeoque neque excusandi essent eo casu à virtuali Sacramenti hujus contemptu. Hoc tamen notandum summâ sollicitudine ab Ecclesiâ adhibitum fuisse hoc Sacramentum , quasi necessarium , ut etiam aliquando dictum esse à SS. PP. hoc Sacramentum Baptismo indivulsè conne-xum ; eò quod Sacramentum hoc esset admodum utile , ac Christianum jam Baptismo natum robo-rans & confirmans : unde & *Confirmatio* dicitur.

SECTIO II.

De Materia Confirmationis.

DI CENDUM primò , materia Confirmationis est *Quid sit* Chrîsma , hoc est unguentum ex oleo & balsamo , *Chrîsma* solemini Episcopi consecratione confectum. Materia hæc perquam opportuna est , ad significandos effe-ctus hujus Sacramenti , oleum enim roboret , sanat , & à rubigine conservat : balsamum itidem à putrefac-tione conservat , bono odore fragrat , &c. Quo si-gnificatur confirmationem hominem roborare , & in fide confirmare , & ut Christi bonus odor sit in om-ni loco. An autem Chrîsma sit materia necessaria hu-jus Sacramenti , non ita convenit inter DD. Morinus I. 9. de pœnit. c. 9. num. 10. docet Græcos antiquos solâ manuum impositione confirmasse , imò S. Cy-prianum Latinum in eâdem sententiâ fuisse affirmat. Verum nullo fundamento hoc adstruitur , Ecclesiæ quid simile fuisse concessum , etsi Apostolis hoc con-cessum esse , concedamus , aliàs modo sola manus impositio esset materia sufficiens : adde , quod S. Ba-silius I. de Spiritu S. doceat inter varias Apostolicas traditiones , *Consecrari aquam Baptismi & oleum unitio-nis*

*Vnde nam
confirma-
gio deca-
sur impo-
fiso ma-
nuum.* nis. Idem tradit S. August. vocatur interim sèpè **Con-**
firmatio manuum impositio, vel à primo Apostolorum
ritu in collatione hujus Sacramenti, quibus specialiter
hoc indulgebatur, juxta D. Thom. 3. p. q. 72. a. 2.
vel quòd ille, qui inungit, manus imponat. Sic rectè
dicit Conc. Flor. loco impositionis manuum Aposto-
lorum, dari nunc in Ecclesiâ confirmationem, eò
quòd illud, quod tempore Apostolorum vocabatur
manus impositio, jam dicitur **confirmatio**, et si sit unum
& idem Sacramentum.

*Balsami
preciosissimorum.* Dicendum 2. Verius apparet, quòd balsamum
requiratur ad valorem confirmationis: patet hoc ex
antiquâ Ecclesiæ praxi, ob quam Greg. 7. l. 8. Epist. 1.
redarguit armenos, quòd contra Ecclesiæ morem non
ex balsamo S. Chrisma, sed ex butyro conficerent.
Idem docent concilia assignantia materiam hujus Sa-
cramenti. Nec objici potest, balsamum nullibi repe-
riri, quasi verò Pontifices præscripsissent rem impos-
sibilem: imò D. Hieronymus tempore suo illud cres-
cere scribit in vineis Engaddi: deinde contrarium ex-
perientia constat. Denique, et si sit res rara, tamen
modica ejus quantitas magnam olei massam suâ acti-
vitate potest pervadere & penetrare.

Alii tamen dictis contrarium sustinent, eò quòd
Innocentius III. capt. *Pastoralis* de Sacramentis non
iterandis, consultus, an qui per errorem solo oleo
sine balsamo fuisset linitus, deberet reconfirmari:
Resp. *Nihil in talibus iterandum, sed cantè supplendum,*
quod incautè fuerat prætermisum. Insinuans balsamum
ad valorem Sacramenti non esse requisitum. Verum
infundatè: solùm enim docet Pontifex, Sacraenta
imprimentia characterem, non posse iterari; deinde
debere suppleri, quod fuerat prætermisum, non so-
lùm balsamum, quod non nisi in ordine ad oleum ad-
hiberi solet: sed balsamum cum oleo, puta materia
Sacramenti confirmationis.

*Benedi-
cioChris-
tatis, de-* Dicendum tertio, Verius quoque apparet, Chris-
ma ab Episcopo debere esse benedictum, adeò ut
con-

tonfirmatio in oleo non benedicto collata, sit pœnitus *bet fieri*
nulla. Benedictionem hanc exigit Conc. Flor. & conti- ^{ab Epis/so-}
nuà Ecclesiæ praxis. Hæc benedicendi facultas, ne qui- <sup>P^{ro}
dem superioris dispensatione potest simplici Sacer-
doti conferri: undè Montanus Archiep. Toletanus
Præses 2. Synod. Tolet. *nova*, ait, *præsumptio præsi-*
dentium vobis Presbyterorum nostrum pulsavit auditum,
si tamen nova & non detestabilis dici potest, que ab ini-
sio fidei numquam nisi nunc subrepisse probatur, ut id,
quod per manus Summi Pontificis trinae Divinitatis invoca-
catio sanctificare consuevit, Presbyter ignarus discipline,
confidere sibi Chrisma præsumeret. Pro quo notandum,
diu in Ecclesiæ viguisse errorem, & præsertim in His-
pania, quòd simplex Sacerdos sit Episcopo potestate
æqualis, quod falsum esse plures Pontifices confir-
marunt. Denique in hâc & aliâ materiâ res satis est
incerta, cum tota pendeat à voluntate Christi, de qua
nobis, non nisi Ecclesiæ praxi constat.</sup>

Dicendum quartò, Ex præcepto Ecclesiæ tenetur *Chrismate*
Minister adhibere Chrisma illius anni, veteri com- ^{novo lic-}
busto, si tamen in vetusto Chrismate illud Sacramen- ^{utendum.}
tum conferret, teneret Sacramentum. Legem hu-
jus, etiam in Conc. Carthag. 4. c. 36. invenies, quod
sic habet, *Presbyteri, qui per Dioceses Ecclesiæ regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis, nec per juniores Clericum, sed omni anno, aut per se ipsos, aut per illum qui Sacrum tenet, ante Paschæ solemnitatem Chrisma pe-*
tant. Idem habet Fabianus Pontifex Epist. 2. ad Episc. orientales.

SECTIO III.

De forma & Ministro Confirmationis.

DICENDUM primò, His verbis forma Confir- ^{Forms}
mationis absolvitur præmisso confirmandi no- ^{Confir-}
mine: *Signde signo crucis, & confirmo te Chrismae sa-* ^{mationis}
lutis

Iutis in nomine Patris & Fili, & Spiritus S. aut aliâ huic æquivalente. Hinc valida est hæc Græcorum forma : *Signaculum doni Spiritus S. amen.* Nam Urbanus VIII. erexit congregationem Cardinalium, ut corrigerent rituale Græcorum, nec aliquid circa hanc formam fuit immutatum, & posteà recusum ; Undè patet, esse hanc formam implicitè ab Ecclesiâ approbatam. Neque dici potest, quòd dicta Græcorum forma non reddat sensum idoneum, aut non exprimat personam confirmantis, quod tamen ad debitam formam requiritur : cum dicta forma ex Ecclesiæ praxi sit satis ad id idonea, & actus ministri in actu exercito satis declaratur, ut actus dandi satis innuitur, duni quis pauperi præbet panem, etsi non dicat, *do tibi panem.* Hinc collige primò, quòd ad debitam confirmationis formam non requiratur, quòd indicativo modo proferatur, nec signatio crucis, neque illa verba, *Chrismate salutis*, nec geminatio, *signote*, aut *confirmote*, nec expressio Trinitatis, quod etsi exigat Conc. Florent. illud tamen non exigit ut necessarium ad formam Confirmationis, sed ut observandum ab Armenis, qui in variis errabant, quos proindè instruit Florentinum.

Minister Dicendum secundò, Ordinarius hujus Sacramenti **Confirmationis.** minister est Episcopus. Patet illud ex variis conciliis & S.S. P.P. Verius tamen existimo, quòd ex commissione aut dispensatione superioris, possit munus illud committi simplici Presbytero. Probatur hoc ex Toletano I. ubi interdicta Chrismatis consecratione Presbyteris, subditur : *statutum est Diaconum non Chrismate, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum.* Neque ullo modo dici potest, sermonem hic esse de Chrismatione ceremoniali, cum illam in Baptismo presbyteris licitam esse manifestum sit, adeoque restat, ut intelligantur dicta Concilii verba de confirmatione. Deinde, dum dicit Florentinum *ordinarium* ministrum confirmationis esse Episcopum, satis innuit, delegatum posse esse alium. Imo fecit illud

illud idem Gregorius Magnus, qui l. 9. Epist. 3. concessit id Sacerdotibus Sardiniae, ut in locis Episcopo destitutis, confirmarent: idem fecerunt Nicolaus 4. Joannes 22. Adrianus 6. Gregoriū ex quo sequitur, quod quando Pontifex aut alii afferunt, ministerium Confirmationis solis Episcopis reservari, intelligendi sint, de ministerio ordinario, non itidem delegato.

SECTIO IV.

Quinam possint & debeant Confirmari.

DICENDUM primò, hujus Sacramenti capaces sunt infantes, imo olim illis simul cum Baptismo conferebatur & Confirmatio, uti patet ex Tertull. l. de Bapt. c. 7. his æquiparari possunt perpetuo amētes, qui, et si fine Sacramenti hujus, qui est fortis pugna pro fide, numquam gaudebunt, capaces tamen sunt majoris gratiæ & gloriæ, quæ confirmatio causat. Imo energumenis non est confirmatio deneganda, non niunus quam S. Eucharistia.

Dicendum 2. Etsi ex communi Ecclesiæ usu expeditetur in confirmandis pueris septennium, sive usus rationis: tamen tempus illud aliquando prævenire licet, imò & admodum utile, puta si ante septen- nium ratione utantur: si adsit copia confirmantis, quæ diu post, haberi non poterit, uti aliquando fit in partibus hæreticis & aliis. Imò in illis partibus tempus illud prævenire convenit, cum pueri hæreticorum dolis sint expositi, quibus gratia confirmationis plurimum necessaria est, ad illis resistendum, maximè, quod, *Quo semel est imbuita recens, servabit odorem testa diu.* Expectatur verò passim usus rationis, ut majori cum devotione & fructu Sacramentum illud recipiant, & recordentur confirmationis perceptæ, ne iteretur cui utilitati præponderat timor periculi subversionis in partibus hæreticis, adeo ut præstat certò accipere.

cipere minorem gratiam, quam cum periculo maiorem expectare.

SECTIO V.

De effectibus & ceremoniis Confirmationis.

DI CENDUM primò, Confirmatio confert gratiam & robur ad confitendam fidem animo libero, unde hoc Sacramento dicimus fieri *milites Christi*: item sicuti baptismus efficiuntur quasi geniti infantes, ita confirmatione induimur virtute ex alto, prout in discipulis post susceptionem Spiritus S. contigit, qui egressi coram Regibus & tyrannis non erubescabant Evangelium, sed animo & ore libero Christum prædicabant, eumque Crucifixum.

Dicendum 2. Confert confirmatio characterem, ratione cuius est initerabilis. Unde S. Cyprianus Serm. de ablut. pedum: *Nemo sacro Oleo lita, iterum linit.* Idem docet Conc. Trid. ses. 7. can. 9. quod ita habet: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, baptismo scilicet, Confirmatione & ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indeleibile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Dicendum 3. In confirmationis collatione adhiberi solet patrillus, qui confirmandum Episcopo offerat, rauone cuius contrahitur cognatio spiritualis similis illi, quam diximus contrahi in patrino baptisimi. Sicut enim pueri Pædagogo indigent, ita & directore illi indigent, qui militia Christianæ sese mancipant, unde & in bello videmus capitaneos, centuriones & alios qui alios milites in re militari instruant.

Deinde confirmati maxillam levi pugnâ Episcopus verberat, quo ostenditur, quod confirmatus ad probra & verbera pro Christo sustinenda paratus esse debat, & ad illud per confirmationem gratiam confirmato esse collatum.

R.M.

Rursum frons confirmati fasciâ solet ligari , tum ob reverentiam sacro oleo debitam : tum ut significetur , gratiam Sacramentalē sedulō esse custodiendam . Quanto tempore fascia illa post confirmationem gestari debeat , præscribit cujusque Ecclesiæ consuetudo ; alii ad 7. alii ad 4. alii ad 3. dies illud gestandum volunt : alii in provectionis ætatis confirmatis illico post confirmationem removent : in pueris verò ad 2. aut 3. dies continuatur , ut melius collatæ confirmationis recordentur : sic etiam illico amoveri potest , si confirmatus degat in locis Hæreticorum , quo fit , ut sine incommodo tali fascia ligatus , non possit prodire in publicum . Cujusque interim Ecclesiæ praxis est hic observanda .

Praxis etiam invaluit confirmati nomen in baptismo datum invariare , vel etiam novum superaddere priori , etsi non ita expedit , uti in baptismo .

SECTIO VI.

De Obligatione Christiani ex Confirmatione.

DICENDUM primò , Sicuti miles per omnia principi subjicitur , adeo ut si opus sit , pro eo vitæ discrimen subeat : ita homo confirmatus , novus Christi miles effectus , per omnia suo capiti Christi sese subjecit , adeò ut eumdem neque timore vitæ amittendæ possit erubescere . Tenetur ergo ut miles strenuus Christum liberè tum vitâ tum verbo prædicare , quem si erubescat , crimen læsæ Majestatis divinæ incurret , & eumdem filius hominis erubescet , cum venerit in Majestate sua . Si persecutiones ingruant , nolite timere eos , qui corpus occidunt , animam autem occidere non possunt : considerandum est , servum non esse supra Magistrum , & omnes qui piè volunt vivere in Christo , persecutionem pauciuros . Si veritas Christiana sit pronuntianda , etsi res odiosa sit veritas

veritas, & odium pareat, liberè tamen Christus, qui se veritatem dicit, est confitendus, malint cum Joanne Bapt. *injusta sustinere, quam justa non dicere*, sicut de eodem ait S. August. hæc enim est faculi nostri perversitas, odiisse veritatem, amare duplicem falsitatem: prudentia carnis prudentiæ Christianæ longè prævalet & supereminet: Unde nihil miri, si mundus veraces insequatur & persequatur. Quare confirmato hoc in corde & ore sit fixum, quod ait Apostolus Rom. 1. *Non enim erubesco Evangelium*. Et illud S. Chrysost. serm. de Martyribus tom. 3. *Christiane.... exere vires, atrociter in prælio isto concerta. Considera pallium, conditionem attende, militiam nosce: pallium quod spondisti, conditionem qua, accessisti, militiam cui nomen dedisti.*



CAPUT QUARTUM

De Augustissimo Eucharistiae Sacramento;

S E C T I O P R I M A.

Quid sit Sacramentum Eucharistie.

Dignitas
Euchari-
stie,



ICENDUM primò, Cùm Conc. Trid. c. 11. ses. 13. *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, & in illius sumptuose colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat.* Sacramentum illud omnium Sacramentorum est excellentissimum, eò quod ultra gratiam omnibus Sacrementis communem effectum, ipsum gratiæ auctorem in se ante usum etiam Sacramenti con-

tineat.

tineat. Quòd verò Eucharistia sit Sacramentum, res de fide est indubitata.

Dicendum 2. Sacramentum hoc non consistit in *In quo sita*
re transeunte, puta sumptione, ut volunt Lutheranorum : nec in signo, ut vult Calvinus : sed consistit in *sit ratio*
Eucharistia, *sit*, re verè permanente, unde Conc. Trid. ses. 13. can.

4. Si quis dixerit per altâ consecratione, in admirabili Eucharistie Sacramento non esse Corpus & Sanguinem Domini, sed tantum in usu, dum sumitur, non ante vel post, anathema sit. Vide etiam can. 7. & cap. 3. & 6. Sacramentum enim hoc perficitur consecratione, quæ diu ante sumptionem ponitur. Deinde hoc requirit sensus verborum, accipite, *hoc est enim corpus meum*, id est, illud quod trado vobis, est corpus antequam detur aut sumatur. Insuper alias Eucharistia esset opus suscipientis, non consecrantis, cum suscipiens illam sumat & eam utatur : unde sumptio nihil est aliud, nisi usus Sacramenti, & ad summum significat gratiam, tamquam conditio sine qua non. Ex quo sequitur, quod ne quidem verba propriè loquendo ad essentiam hujus sacramenti pertineant, cum sint res transeuntes.

Dicuntur tamen verba à Florentino esse forma hujus *Quomodo*
Sacramenti, non quâ intrinsecè Sacramentum illud *verba sint*
constat, sed quâ perficitur, id est forma efficiens, non *forma Eu-*
charistia, informans aut componens. Unde signanter ait Conc.
Sacmenta perfici rebus, verbis, &c. Non vero ait,
constare aut componi. Quatenus tamen verba consecrationis determinant significationem specierum per se indifferentem, extrinsecè ad hoc Sacramentum pertinent, & moraliter manere censentur, quamdiu ordo ille & connexio specierum ad verba manent, quæ est, quamdiu manent ipsæ species.

Dicendam 3. Propriè hoc Sacramentum comprehendit compositum ex speciebus consecratis & Corpore & Sanguine Christi. Eo modo optimè intelliguntur SS. PP. dum docent Eucharistiam constare re terrenâ & divinâ, dum assimilant Eucharistiam verbo incarnato, *in quo sunt duæ naturæ*, scilicet humana

m̄ana & divina, & tamen est unica persona Christi, ita & hoc unicum est Sacramentum. Deinde prædicta gratiaū significant & conferunt, suntque ratione specierum signa sensibilia. Dicuntur tamen subinde species *Sacramentum tantum*, non quòd Eucharistia in eis solis consistat, sed quòd ratio signi sensibilis à speciebus desumitur, & corpori Christi communicantur, unde per Synecdochem dicuntur species *Sacramentum tantum*. Sic etiam dicitur Corpus Christi esse in Eucharistia, unde videri posset, esse quid ab Eucharistia distinctum, sed notandum est, quòd Corpus Christi dicatur esse in Eucharistia ut pars in toto, anima in homine.

Species sunt quasi materia in hoc composito, & Corpus Christi tamquam forma. Si- cut enim illud quod est nobilior, & à quo aliud accipit suam perfectionem est forma in composito es- sentiali: ita h̄c pariformiter Corpus Christi dicitur quasi forma, eò quòd omnem sanctificandi vim, species à Christi Corpore recipient.

SECTIO II.

Quænam sit materia Eucharistiae.

Materia Euchari- stia.

DI CENDUM primò. Materia Eucharistiae est pa- nis triticeus & vinum de vite. Probatur hoc ex Florent Latranensi & Trident ses. 13. 21. 22., &c. Ratio ejus præcipua est voluntas Christi instituentis. Ratio congruentia est, quòd Eucharistia sit nutri- mentum animæ, quo anima nutritur, sicut corpus pane & vino: Item hâc materiâ significatur fide- lium communio, quia sicut ex multis granis unus panis, & ex multis racemis unum vinum prodit: ita ex multis fidelibus unum corpus Ecclesiae exsurgit.

Panis qualis ef- fe debet.

Dicendum 2. Panis hic debet esse triticeus, & usua- lis: panis verò est compositum artificiale constans

grainis

granis in farinam redactis, & ex aquâ grânis immixtâ coctum. Hinc inferes, quòd panis constans aliis granis, quam triticeis, non sit apta materia ^{Triticem} consecrationis, v. g. si sit panis ex hordeo, millio, oriza, granis indicis, castaneis, &c.

De silagine, speltâ, farre alii universim negant, ^{Siligo} i. alii affirmant, quæ sentiendi diversitas, ex diversâ ^{Spelta} acceptione vocis *tritici*, quod aliquando significat speciem generalem, prædicta tria ut individua sub se continentem. Valida quoque erit materia, si alia grana tritico admisceantur, sic ut triticum prædominetur, ut etiam si aliquot grana salis, aliquæ guttæ aquæ rosaceæ admisceantur, sic ut maneat panis *verè* usualis.

Dicendum 3. Grana tritici debent in farinam redigi, unde grana tritici integra, et si per coctionem sibi invicem adunata, non sunt apta materia, eò quòd non sint panis usualis. Hinc etiam panis ex furfuribus non valet ad consecrandum, cum debeat panis usualis esse ex medulla tritici, panis verò furfureus non est panis hominum usualis, sed caninus.

Dicendum 4. Liquor, quo debet farina in massam componi, debet esse aqua naturalis, aliàs si melle, butyro, aut oleo componatur, erit potius placenta aut laganum, quam panis usualis. Idem dic, si adhibeatur massa illi piper, caseus, &c. Debet insuper hæc dicta massa esse igne cocta, non elixa; unde massa cruda farinæ, uti &c in sartagine frixa, non est apta consecrationis materia, eò quòd non sit panis usualis. Perinde tamen est, sive massa illa coquatur in furno, seu sub cinere in vase, modò solo igne coquatur: unde & ex usu Ecclesiæ coquitur in ferreâ laminâ, ut major puritas panis possit haberi.

Dicendum 5. Panis ex amylo non videtur esse materia sufficiens. Ratio est, quòd triticum ex resolutione sui in amyolum corrumpatur, primò enim triticum contunditur, miscetur aquâ, & calore solis aut

alio vehementi exsiccatur: unde ad summum erit materia dubia.

Dicendum 6. Panis elixus in juscum non est valida materia, uti & azymus panis rubro colore puta cinnabrio confectus, quo litteras obsignamus; Ratio est, quod panis ille non sit usualis, adeoque etsi forte hostia non mutetur Physicè, mutatur tamen moraliter, unde vocatur alio nomine, quam panis.

S E C T I O III.

An panis ille debeat necessariò esse azymus.

Christus in azymo panem Consecravit. D ICENDUM primò, Christus consecravit in azymo pane, eò quod instituerit S. Eucharistiam tempore dierum azymorum, quo sub poena mortis fermentum in Israël esse non poterat. Pro cuius intelligentia notandum est, Judæos debuisse celebrare Pascha lunâ 14. ad Vesperam mensis *Nisan*, qui ex parte Martio & ex parte Aprili nostro correspondet; annos verò computabant per 12. Lunationes, adeò ut eorum annus minor erat nostro solari xii. diebus: unde habebant annos intercalares, ut motui solis sese conformarent. Annos autem incipiebant à mense *Nisan*, idest à novilunio illo, quod est propè aequinoctium vernum. Quo posito contendunt Græci, quod Christus illum diem 14. anticipaverit, & celebrevit Pascha Lunâ 13. licet cæteri Judæi id facerent Lunâ 14. Ratio est, quod Joan. 18. de ipsâ die mortis Christi dicatur de Judæis, *Non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Et c. 19. dicitur, *erat autem parasceve Pasche.* Ad quæ volunt aliqui, quod Judæi diem Paschæ, ob Christi occisionem immutaverint, vel in Sabbathum transtulerint, uti moris erat Judæis; si festum aliquod immediatè Sabbathum præcessisset, cum illi populo molestum erat observare duo festa consequenter, quod ex anti-

quæ

quâ Esdræ traditione deducebant: verum melius respondent, qui dicunt, per *Pascha* dictis locis, non intelligi agnum Paschalem, sed alias victimas Paschales, quæ tempore 7. dierum azymorum quotidie offerebant, quæ victimæ vocantur etiam *Pascha*, quibus vesci non poterant, nisi mundi. Patet hoc ex Joseph. l. 3. antiqu. & August. l. 5. qq. V. T. q. 24.

Dicitur autem *Parasceve Paschæ*, non quòd esset *parasceve*, idest præparatio ciborum ante Pascha, sed ante Sabbathum, quod incidebat in diem aliquem azymorum.

Objiciunt, quomodo ergo expressè dicit Joannes c. 3. de omnibus Christi factis in ultimâ cœnâ, *ante diem festum Paschæ*: Item quomodo c. 19. dicat: *Erat enim magnus dies ille Sabbathi*, quare *magnus*, nisi quia in eo celebrabant Pascha? Resp. per diem Paschæ non intelligi totum diem festum, qui incipiebat ab occasu solis diei 14. & durabat ad occasum solis diei 15. sed capit pro ipso die 15. usuali seu naturali, ante quem celebravit vespere Pascha. Deinde vocatur ille *Dies magnus Sabbathi*, eò quòd Joannes scribens Christianis de Judæis, innuat, quanto honore diem Sabbathi colerent, unde vel per exaggerationem vel Ironiam vocat eum *magnum*, cum jam Sabbathâ cuni aliis legalibus forent abolita.

Dicendum 2. Christus instituit hoc Sacramentum, post cœnam communem, quam ante cœnam Paschalem adhibebant, eò quòd cœna Paschalis naturæ sustentandæ non sufficeret: unde canit Ecclesia: *Post agnum typicum expletis epulis, corpus Dominicum datum discipulis.*

Dicendum 3. Usu Christi edocta Ecclesia Roma-
na, celebrat in pane azymo. Et quamvis valeat con-
secratio in fermentato, tamen purius & conformius
Sacramento, consecratur in azymo, quod purissimum
purissimæ Virginis partum significat, uti etiam quâ
cordis puritate ad illud Sacramentum sit acceden-
dum;

An R. Dicendum 4. Verius apparet, quod Ecclesia lati-
mana Ecclesia aliquando contenta fuerit fermentato: Ratio est,
ecclesia usum quod fideles panem consecrandum conferebant ad
fermentata.

Dicendum 4. Verius apparet, quod Ecclesia aliquando contenta fuerit fermentato: Ratio est, quod fideles panem consecrandum conferebant ad fermentata.

Hoc tamen improbandum videtur, quod tradunt aliqui, usum a zymorum sero admodum ab Ecclesiâ latiñâ esse assumptum, puta ad annum 900. vel circiter. Cum enim Ecclesia latina ab Apostolis quoque fidem receperit, verisimile est, eam à primâ aetate Apostolorum praxi, in azymo consecrando, sese conformasse. Deinde Humbertus nomine latinæ Ecclesiæ scribens Græcis de quo extat tomo 2. Baronii in fine, dicit 1000. & 20. annis in Ecclesiâ fuisse azymorum usum, immo martyres azymo fuisse saginatos.

Objici posset, quod orto schismate contra latinos, curante Photio viro turbulentō, qui S. Ignatio è Sede Patriarchali deposito, thronum Constantinopolitanum invaserat, varia à dicto Photio latinis objecta esse, quod Sacerdotibus uxores interdicerent, quod Clerici barbas raderent, &c. ubi tamen nihil de usu azymi fuit objectum, quod tamen factum esset, si latina Ecclesia tum temporis azymo fuisse usum. Ad hoc resp. in primis ex silentio Photii, ut argumento negativo nihil concludi. Immo ex eo contrarium colligere licet, eò quod Græci indifferens judicarent, celebrare in azymo, an in fermentato, donec prodiret post 2. saecula figuramentum Michaëlis Cerularii Photii successoris, docenuis consecrationem in azymo non valere.

S E C T I O I V.

De materia Calicis, sive de Vino de vite.

DICENDUM primò. Cum ex variis Concil. & totius Ecclesiæ consensu, vinum consecrandum debeat esse vinum de vite & usuale, sequitur primo, quod

quod agresta non sit materia sufficiens, cum illud *Agresta*, exprimi soleat ex uvis immaturis, adeò ut sit solum liquor manens in viâ ad generationem vini. Idem dic de aceto, seu vino alterato & corrupto. *Acetum.*

Sequitur 2. Quod vinum debeat esse de vite, unde vinum ex moris, ex malis grana:is, radicibus, cicerâ, *Vinum ex moris, ci- cera.* non sunt hic apta materia, eò quod non sunt vinum usuale & de vite.

Sequitur 3. Lora, sive liquor, qui ex uvis exprefsis, supereffusâ aquâ elicetur, & secum trahit uxæ *Lora.* reliquias, uti fit in parvâ cerevisiâ, non est quoque apta materia, eò quod non soleat haberi pro vino usuali. Eadem est ratio de mellito, id est vino ex melle, aut saccaro condito.

Sequitur 4. Quod liquor sive succus in uvis contentus non sit apta materia, nec enim est vinum *Succus in usuale*, nec succus potabilis, cum uxæ non dicantur *uvis.* potari, sed manducari; quod tamen ad usuale vinum requiriatur, quod sit potabile.

Sequitur 5. Vinum imbibitum in offâ panis v. g. esse materiai sufficientem, cum vinum ibidem existat uti in spongiâ & quasi in vasculis, quod autem vinum videatur hic magis habere rationem comedibilis, quam potabilis, est merè per accidens; à majori sensibilitate panis, et si vinum illud sit absolute potabile.

Dicendum 2. Vinum fugiens, sea quod incipit *Vinum fa- cescere*, est apta materia, uti & mulsum. *Ratiō fūgiens.* est, quod prius vinum et si fugiens, sit verè vinum, sicut homo æger est verus homo. Posterius iidem est verum vinum usuale, et si impurum & siccum, unde ob faculentiam illicite adhibetur, et si validè.

Vinum congelatum verosimilius quoque non est *Vinum conge- gelatum* materia apta consecrationis; quamdiu enim conge- *la-* latum est, non est vinum usuale & potabile, uti *aqua.* aqua congelata non dicitur simpliciter aqua: vinum enim & aqua ex communi hominum sensu significant

liquorem sive humorem , quod vino congelato non competit. Nec dici potest sufficere hic , quod sit remotè potabile , cum eodem modo spiritus vini possent dici potabiles & materia consecrationis , cum etiam remotè sint potabiles , si artificio colligantur.

Et licet post consecrationem maneat sub speciebus vini *Sanguis Christi* , nihil dictis obstat , cum Christus aliud requisierit ad consecrationem , quam ad conservationem , puta vinum usuale realiter existens , quod non requisivit ad conservationem. Denique , etsi vinum congelatum sit ejusdem formæ substancialis cum vino non congelato , non tamen est moraliter vinum usuale , quod debet esse potabile.

Dicendum 3. Vinum miraculosè productum v. g. in Cana Galileæ , etsi de facto ex vite non procedit , est tamen materia apta consecrationis , cum satis sit , quod de natura sua postulet à vite procedere. Aliud est de succo , qui ex uvis passis & omnino siccis elicetur , ut ante diximus de succo ex uvis pressis elicito : si tamen uvæ sint passæ , sed non omnino siccæ , sed solùm maturiores , posset valide in succo ex eis expresso consecrari , imo juxta aliquos in æthiopia non utuntur nisi tali vino.

Ex dictis collige , quam graviter peccent vinopolæ qui suâ mixtione aquæ , &c. ita vinum alterant , ut sit aliud compositum tertium , quod ad celebrandum divendunt. Aliud est , si modica mixtio adhibetur , cum pleraque vina in nostris partibus aliis sint mixta & adulterata , ut vinopolæ testantur. Quomodo verò defectus pánis aut vini supplendi sint , dicam de sacrificio.

SECTIO V.

De Aqua Vino admiscenda in hoc Sacramento.

DI CENDUM primò, Constat ex Florentino & Ecclesiæ praxi, modicissimam aquam deberi vino admisceri. Ritus ille oritur non tantum ex precepto Ecclesiæ, ut quibusdam placet, sed & divino. Probatur hoc ex Conc. 3. Cartag. c. 24. ubi dicitur: *Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini divino, nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aquâ mixtum.* Et S. Cyprianus Epist. 65. ad Cæciliū ab Augustino laudatā & commendatā, à qua aliquis immeritò & temerè, deliberatè recedit; *Invenimus, ait, non observari à nobis, quod mandatum est, nisi ea quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & Calicem Domini pari ratione miscentes, à drvino Magisterio non recedamus.* Deinde Florentinum dicit, Christum Dominum in vino aquâ mixto hoc Sacramentum instituisse. Denique, cum non appareat primus, qui aquam adhibere coepit, & continuâ praxi aqua, vino adhibita sit ab Ecclesia, sequitur, quod ritus ille à Christo & Apostolis sit adhibitus. Quod autem aliqui illud Alexander I. assignant, infundatè fit, cum ipsem Alexander fateatur, se mixtionem illam à patribus accepisse. Dicitur tamen, ritum illum ab Ecclesia Sacerdotibus præceptum, quod nihil evincit, quo minus & à Christo sit præceptus. Denique verum est, quod Ecclesia ritum illum variis Conciliis præceperit, dicens *Hydroparastatas sive aquarios*, qui solam aquam ad consecrandum adhibebant: uti & Armenos, qui solum vinum volebant adhibendum, remissâ aquâ.

Dicendum 2. Etsi ritus ille dicatur requisitus ex jure divino, tamen ad valorem Sacramenti non exigitur, ut etiamsi satisfactio requiratur de jure divi-

Eucharistiā sine mixtione aqua possit consistere. no ad pœnitentiam, sine illâ tamen satisfactione, pœnitentia potest subsistere. Pertinet tamen talis mixtio ad integratatem Sacramenti, adeo ut quodammodo eâ non adhibiti sit mutilum, uti Sacrificium sine sumptione, pœnitentia sine satisfactione, &c.

Hoc tamen addit Card. Bellarminus, l. 4. c. 10. de Euch. & ait: *Utrum sine aquâ Sacramentum consistere possit, non est adeo certum: communis tamen opinio in partem affirmativam pendet.*

Significatio aquae. Dicendum 3. Aqua dicta miscetur vino, ut significetur aquam & sanguinem è latere Domini fluxisse. Unde Cistercienses prisco ritu aquam adhibentes dicebant: *Sicut de latere Domini N. Iesu Christi exivit Sanguis & Aqua, sic fiat pariter commixtio aquæ & vini in remissionem peccatorum nostrorum.* Idem dicunt & Græci, qui bis aquam miscent, semel frigidam, dum Sacerdos hostiam S. Lanceâ pungit & dicit: *Unus Militum lanceâ latus ejus aperuit, statimque exivit Sanguis & Aqua:* Et Diacono dein infundente aquam & vinum in Calicem: deinde adhibent aquam calidam post consecrationem ante communionem, præviè à Sacerdote benedictam, quam adhibent teste Arcadio l. 3. Concord. c. 39. tum quia calida aqua exivit de latere Christi, tum ut per eam fervor Spiritus S. designetur.

An aqua immixtiō convertatur in sanguinem. Dicendum 4. Aquam immedietè in sanguinem converti docent autores quâm plurimi, confirmant idem SS. PP. dum docent & dicunt, aquam vino mixtam offerri, benedici, consecrari, mutari in sanguinem; quod intelligitur de ipsâ aquâ, et si à vino distinctâ. Adde, quod varii, doceant Philosophi, aquam in vinum non posse converti, cum arte aliquâ, aqua vino mixta, ab eo possit separari: unde Plinius docet vinum putrum à lymphato posse secerni, si fit vas ex hæderâ, per quod si vinum transeat, aqua vino mixta vas illi adherebit & imbibetur, & vinum diffluet. Deinde in variis liturgiis Basili, Jacobi, &c. Ex incontinenti ante consecrationem miscebatur aqua vino, unde liquet,

quet, quod eo brevi tempore, non posset converti in vinum. Hinc quando Innocentius III. cap. *cum Marthæ de celebratione Missæ* dicit, eam sententiam, quæ docet aquam prius converti in vinum, deinde in sanguinem sit alia probabilior: intelligendus est Pontifex de mutatione morali aquæ in vinum, adeo ut moraliter loquendo aqua transeat in vinum, & faciat unum morale compositum cum vino. Deinde sententiam illam dicit Pontifex probabiliorem respectu duarum opinionum, quas ibidem refert, quarum una est, an aqua convertatur in aquam, quæ fluxit ex latere Christi; alia, an cum vino convertatur in sanguinem, cum prius convertatur in vinum, quod tamen à physicis negari, ait Pontifex.

SECTIO VI.

De præsentia & determinatione materiæ prædilectæ.

DICENDUM primò, cum materia consecranda Materiæ
consecratæ
da quomo- debeat designari perto *hoc & hic* in formâ allatâ, sequitur quod debeat consecranti esse præsens, cum do de- *to hoc & hic*, significant de se rem præsentem: aliás beat con- enim Sacerdos Antverpiæ existens posset consecrare seerantis *Hostiam* existentem Romæ. Hinc etiam Christus effe præ- *cepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas.*

Dicendum 2. Ut consecratio illa sit licita, debet materia esse præsens Sacerdoti in altari, & quidem super altare consecratum, & corporale, imo major hostia debet manibus teneri. Ut autem sit valida, debet sensibiliter esse præsens consecranti, nec satis est, eam esse præsentem intellectui vel phantasiæ. Non debet tamen materia percipi visu, ut patet in Sacerdoti cœco; nec debet manibus tractari, cum panis pixidi inclusus possit validè consecrari: debet tamen ita consecranti esse præsens, ut actualis sensatio in eam ferri posset, etsi de facto in eam non feratur. Et quam-

quam

quam visu, rerum præsentia optimè possit comprobari, tamen non semper ad requisitam præsentiam satis est, quod oculis videatur, quia etiam res longè distantes possunt videri, nec tamen designari per to *hic*, utpote absentes. Denique propinquitas illa materiae *hic* necessaria, non ita præcisè (ut quidam volunt) potest determinari, sed consideratis considerandis hoc debet definiri; optimum tamen erit communis Ecclesiæ praxi in hac re se se conformare.

Dicendum 3. Materia existens à tergo sine alio signo addito, non censetur moraliter præsens; aliud esset, si eam quis à tergo manibus teneat & formam proferat. Item si interpositus sit paries, non erit moraliter præsens, cum interpositio parietis censeatur tollere moralem præsentiam. Idem est, si hostiæ sint intra tabernaculum, quod est super altare, & tempore consecrationis maneat clausum, cum tabernaculum illud eo casu comparati soleat alteri cubiculo in quo hostiæ essent, adeoque censerentur absentes. Aliud est, si sint hostiæ in pixide conclusæ, eò quod, hoc casu moraliter censemantur hostiæ illæ esse præsentes, sicuti censentur hostiæ in profundo cumuli hostiarum, quæ consecrantur, et si aliae infimæ non videantur. Debet tamen Sacerdos consecratus hostias in pixide, eam aperire. Idem est de hostiis corporali inclusis, quod pixidi *hic* comparatur. Alia de hac re dabo de intentione consecrantis, de sacrificio.

SECTIO VII.

De forma consecrationis Panis & Vini.

DI CENDUM primò, Christus iisdem verbis consecravit, quibus Sacerdotes nostri consecrant, non verò solâ divinâ virtute sine verbis, ut volunt aliqui. Declarat hoc Conc. Trid. ses. 13. c. 1. & c. 4. ubi ait, *Hoc tam admirabile Sacramentum in ultimâ cœnd redemptor.*

redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est, quæ verba à SS. Evangelistis commemorata, & à D. Paulo postea repetita. Et alio loco. Quoniam autem Christus redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat verè esse dixit, &c. Idem dicit Conc. Flor. in decreto Eugenii, quod forma hujus Sacramenti, sint verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum, &c.

Dictam opinionem olim oppugnarunt Græci, volentes ad validitatem formæ consecrationis requiri orationes & preces, quibus à Deo conversionem panis & vini precaremur: quod falsum esse ostendebatur ex eo, quod statim post consecrationem hostia exhibeatur populo adoranda: deinde verba ad formam requisita dici debent nomine Christi: preces autem illæ non dicuntur vice & nomine Christi, sed Sacerdotis. Dicitur tamen consecrationis forma à SS. PP. ^{Forma & consecratio quo sensu dicitur gratia.} oratio, precatio, &c. eò quod forma illa contineat implicitam divinæ virtutis invocationem. Deinde etiam addimus, jube hæc perferrri permanens S. Angeli; hæc commixtio corporis & sanguinis, &c.

Dicendum 2. Forma panis est, *hoc est corpus meum: Calicis vero hic est Calix Sanguinis mei.* His enim optimè significatur effectus Sacramenti, scilicet conversionis panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi. Unde sequitur 1. non requiri ad valorem formæ *to enim*, cum & plerique Evangelistæ illud non adferant, tum quod solùm significet causam manducandi, nihil ad conversionem dictam conferens. Sequitur 2. quod *to est* vel debeat addi, vel in sensu satis exprimi aliunde, prout in Græco & Hebræo non debet necessariò addi, sed potest subintelligi. Debet quoque dici *hoc non illud aut istud*, cum pronomen debeat demonstrare rem præsentem, quod facit vox *hoc* non item vox *illud* aut *istud*. Sequitur 3. non debere addi *to accipite & manducate*, eò quod solùm hujus Sacramenti usum significant. Sequitur 4. non esse addenda ad valorem, qui pridie quam patere-

pateretur, &c. Cum nec sint verba Christi, neque ex variis SS. PP. aut liturgiis constet esse necessaria.

Dicendum 3. Ad formam calicis non requiruntur illa verba, *Simili modo postquam canatum est*, &c. uti neque sequentia: *Novi & aeterni testamenti, mysterium fidei*, &c. Tum quod priora non sint verba Christi, tum quod neque illa neque alia habeantur in variis liturgiis. Neque obstat, quod verba illa posteriora eodem tenore proferantur, quia illud non innuit eadem requiri ad formae validitatem, uti fit de *to enim in formâ panis*. Neque ulla tenus etiam obstat, quod Pius V. ex Cajetano jussit expungi sententiam nostram, aut etiam quod in Catechismo Romano videatur contineri contrarium. Quod enim ad prius attinet, solum ex Cajetano expungi jussit sententiam nostram, tamquam D. Thomæ doctrinæ contraria, cuius tamen agebat commentatorem, neutquam eam improbans aut condemnans: Catechismus vero Rom. etsi sit satis magnæ authoritatis, tamen non est tantæ, quin sèpè à Scholasticis illius Doctrinæ contraveniatur, in maximè in iis, quæ Thomistis sunt singularia, cum verosimiliter ab iis sit cinnatus, jussu Pii V. Dominicani. Ita plurimi DD. Theologi. Si vero alia quæque hæc verba exigant, non requirunt ea, ut omnino necessaria, sed solum ut ex praxi & præcepto Ecclesiæ requisita. Unde aliqua eorum omittere, quæ hic præscribuntur, foret grave peccatum, de quo postea de defectibus sacrificii.

*Sensus
formæ.*

Dicendum 4. Sensus utriusque formæ à quibusdam hic assignari solet, ut pronomen *hoc* & *hic* significet solum prædicatum, idest corpus & sanguinem Christi, adeo ut sensus sit: *hoc quod significatur esse sub his speciebus, est corpus aut sanguis Christi*. Neque ideo debet dici esse formam hoc sensu identicam, cum significetur in subjecto confusè, quod in prædicto expressè dicitur. Alii tamen ex S. Thomâ assignant hunc sensum, ut *to hoc & hic sumantur substantiæ, pro eo quod confasè & indeterminatè est, sub spe-*

speciebus panis & vini, sive Corpus Christi, sive vi-
num sive sanguis, quod inde terminatum seu indivi-
duum vagum per finem prolationis formæ determi-
natur, quo usque significatio manet suspensa.

Dicendum 5. *to tradetur & effundetur* significat
juxta aliquo traditionem & effusionem in cœna fa-
ctam, non in passione, maximè cùm S. Paulus loco
effundetur dicat, *effunditur* 1. Cor. 11. Idem fit Matth.
16. Marci 14. & Lucæ 22. Alii tamen rectius illud ex-
ponunt de cruentâ traditione & effusione, quæ ta-
met si futura, tamen jam jam' de præsenti instabat,
adeoque quasi præsens allegatur, sicut dicitur, *Ecce
venio ad te, id est statim veniam*, & Apostolus, *ego
enim jam delibor, id est delibabor.*

Dicendum 6. Formæ consecrationis tam profertur
à Sacerdote afferitivè, quām recitativè : Ratio ejus est,
quòd varia referat & recitet à Christo facta, tam-
quam Historicus : Deinde profert verba consecra-
tionis vice Christi, & afferit panem fieri & converti in
Corpus Christi. Neque duo modi illi aliquid proferen-
di, repugnant, cum discipulus audita à Magistro refer-
re potest recitativè, & simul afferere id esse verum.

S E C T I O VIII.

De Transubstantiatione.

DICENDUM primò, *Transubstantiatio est mutatio Quid sit
unius substanciæ in aliam, vel ex parte vel ex toto. Vo- transub-
cem illam transubstantiationem solum sub Innoc. III.
in Conc. Later. ad annum 1215. Inventam esse, ca-
lumniantur hæretici : tamen etsi vox illa tum usur-
pata sit ab Ecclesia, ad significandam veram conver-
sionem panis in Corpus Christi, à Sanctis Patribus ta-
men dudum ante dictum est, panem transelementari in
Corpus Christi, item Panem fieri, converti in Cor-
pus Christi, quod idem est ac transubstantiari, & de
cætero*

cætero parum curandum sit de voce , si de re ipsa constet. Unde

Dicendum 2. Fieri in consecratione veram transubstantiationem , qua substantia panis desinit , & Corpus Christi incipit esse vi verborum formæ sub speciebus panis. Unde patet , hanc conversionem non esse annihilationem , cum solùm convertatur unum in aliud , et sit vera mutatio , cum maneat quid commune utrius termino , puta species. Ex eo autem , quod SS. PP. dicant panem *mutari* , *transfundari* , *transelementari* in Corpus Christi , debet conversio illa esse actio productiva , nec sufficit actio adductiva : cum enim sit conversio substantialis , requirit utrumque terminum substancialē , qualis non est novum ubi seu *præsentia* , quam adductiva actio causat : adde , quod sit inconceptibile , quomodo res dicatur produci , in aliam converti , solâ actione adductivâ. Unde significatur illâ transubstantiatione fieri , quod desinente substanciali panis vi verborum , fiat *præsens* Corpus Christi sub speciebus panis , adeo ut si per impossibile supponeretur Deum non esse ubique , tamen vi consecrationis inciperet speciebus illis adunari. Hoc tamen addo ex catechismo Rom. p. 2. c. 4. fideles admonendos esse , ne curiosus inquirant , quo pacto ea mutatio fieri possit : cum sit prorsus inenarrabilis , vim intellectus nostri longè superans , adeo ut oporteat captivare hic intellectum nostrum in obsequium fidei , quæ ita Spiritu S. dictante per Conc. Trid. sess. 13. c. 4. statuit : *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit , idque nunc denuo haec S. Synodus declarat , per consecrationem panis & vini , conversionem fieri totius substanciali panis in substanciali corporis Christi D. N. & totius substanciali vini in substanciali sanguinis ejus , que conversio continentur & propriè à S. Catholica Ecclesia TRANSSUBSTANTIATIO est appellata.* Ubi refelluntur una varij hæreticorum errores , ac signanter Lutheri , qui post consecrationem , substanciali panis remanere docet , in qua Corpus Christi subiectatur .

jectatur & quasi impanatur: Quamquam tamen de potentia Dei absoluta, simul cum substantia panis posset poni Corpus Christi, cum duo corpora divinam ^{Quemodo} virtute possint esse in eodem loco sive se se penetrare. ^{Eucharistia} Dicitur autem hoc Sacramentum saepe *panis*, non ^{panis} ^{per se} ^{nisi} quasi panis remaneat, sed quod ante panis fuerit, & deinceps species panis perseverent.

SECTO IX.

De vera, Reali, & Substantiali presentia corporis Christi in hoc Sacramento.

DICENDUM primò, omissis variis hæreticorum fabulis & deliramentis, statuit S. Synodus Trid. sess. 13. c. 1. & Can. 1. Dicens: *In almo S. Eucharistiae Sacramento, post panis & vini consecrationem Dominum nostrum Jesum-Christum, verum Deum atque hominem, VERE, REALITER AC SUBSTANTIALITER sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Verè, non tantum in figurâ aut signo ut vult Calvinus: realiter, non solâ apprehensione per fidem; substantialiter, non solum per virtutem & energiam, sed cuius substantia realiter conjungitur speciebus Sacramentalibus. Ad declarandam horum veritatem, sola Scriptura sufficit: quid enim clarius, quam dicere, *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis mens?* & rursum: *Panis quem ego dabo, Caro mea est pro Mundi vita.* Item nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, &c. Mirum quod ineptias ad dicta verba exegitavit hæreticorum pertinacia, ad explicandum sensum dictorum verborum alias clarissimorum: adeo ut anno 1577. prodierit liber continens 200. interpretationes illorum verborum, *hoc est corpus meum,* à Catholicâ veritate prorsus alienas. Sincerius ad hæc ipse Lutherus, qui etsi lubentissime illa verba per tropum voluisse exponere, non tamen potuit, *quia, ut* ait

ait Epist. ad Argentin. verba illa sunt nimis clara. Deinde, sequentes circumstantiae saq̄is indicant, dicta verba de vero Sanguine & Corpore Christi esse intelligenda: dicitur enim, quod pro vobis tradetur, effundetur, &c. Jam autem non fuit figura corporis aut sanguinis tradita, sed verum Corpus & verus Sanguis. Deinde, quare Capharnaite murmurasse quarentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum, nisi intellexissent illud dici de vera carne, quem intellectum tamen non correxit Christus sed repetit dicens: nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.

Insuper verba dicta S. Scripturæ propriè sunt intelligenda, uti & cetera, nisi adsit ratio eadem tropicè explicandi, puta si ex propriâ explicatione oriatur aliquid absurdum, prout docet S. Aug. l. 3. de doct. Christ. c. 7. sed nullum inconveniens, quod verba illa propriè usurpentur, ergo. Adde, quod dicta verba sint velut testamentum, jam morituri, quæ verba debere esse clara & propria, jura statuunt: neque ullum haereticum contentum fore aestimo, si illi domus testamento relicta esset, & daretur domus depicta, figura domus, &c. Denique non loquitur hic Christus in parabolis, sed palam illis, quibus datum est, nosle mysterium regni, idest Apostolis.

Idem confirmingant concilia quam plurima, & SS. PP. ex quibus illud Damas. l. 4. de fide c. 44. Dominus ipse dixit: hoc est non corporis signum, sed corpus. Nec sanguinis figura, sed sanguis.

Quoad S. August. nec ipsi Catholici circa locum Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, dissentiant: alii volunt S. P. illum locum ex mente S. Aug. intelligendum esse, de spirituali manducazione, alii de reali, quapropter aliqui priori sententiæ adhærentes, graviter à quodam censurantur, sed satis acerbè & immiterio. Unde dicimus, quod etsi S. Pater ibidem l. 3. de doct. Christ. 16. agat de spirituali manducazione, quæ corporali adesse debeat, tamen etiam agit de reali manducazione Corporis & Sanguinis Christi, &c.

& solum vult figuratè illud esse intelligendum, eo quod non propriè, idest carnaliter ut Capharnaitæ estimabant, posset manducari, verè tamen & realiter modo spirituali ibidem existentem Christum manducando. Declarat autem S. Pater sensum suum variis locis, & signanter in Psalm. 33. conc. 1. ubi ait ad illud *Et ferebatur in manibus suis: Hoc verò Fratres quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis?* manibus aliorum, potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur ita ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: **HOC EST CORPUS MEUM.** Ferebat enim illud corpus in manibus suis, Vide eundem Epist. 106. 107. l. 3. de consensu Evangel. c. 1.

Objectiones hæreticorum facile quisque solvet, sive quæsitas ex S. Scriptura, sive ex SS. PP. si sequentes regulas rectè observemus.

1. Quod Christus sæpè negare videatur se semper futurum cum hominibus, intelligendo conversatione humanâ, ut in vita fecit.

2. Quod dicat Scriptura quod omnes eamdem escam spiritalem manducaverint, idem est omnes V. T. vel omnes eamdem quoad significationem, et si non eamdem quoad efficaciam.

3. Notandum est, sæpè de hoc Sacramento asseri; esse figuram Corporis Christi, intelligendo figuram Corporis Christi cruentè oblati, vel tales quæ simul rem figuratam continent, uti verbum in divinis dicitur figura Patris, talis scilicet, quæ simul divinitatem continet.

4. Quando aliquando videtur negari manducatio Christi, intelligendum id est, de manducazione carnali, quæ sit masticatione & crudo modo.

5. Quando quidam de hoc mysterio agunt, transiunt ad sensum mysticum, et si & litteralem alibi abundè agnoscant.

6. Vocant hoc Sacramentum *cibum spiritualem*, cùm animam nutriat, & hoc invisibili modo. Sic etiam subinde inculcant manducationem spiritualem, quando Sacramentalis haberi non potest, uti etiam quòd Sacramentalis sine spirituali non multùm prospicit.

7. Dicitur aliquando hoc Sacramentum *Frangi*, *dentibus conteri*, &c. Eo quòd species frangantur, & conterantur.

Cætera quæ ex ratione objiciunt, uti quòd idem corpus non possit esse simul in 2. locis : quòd aliquid idem deberet hic moveri & ibi non moveri : ibi esse sursum, ibi deorsum, &c. Nihil omnino implicat attentâ Dei omnipotentiâ ; sic Christus apparuit Stephano, & fuit ad dextram Patris : anima rationalis est tota in toto & tota in singulis partibus, &c. Unde iis illud S. Augustini quadrat. l. 22. de civ. c. 11. *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitatem.* Unde necesse hic est, subiecta se humana ratio in obsequium fidei, nec fides habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum : sed præstet fides supplementum sensuum defectui.

S E C T I O X.

Quomodo Christus sit verè præsens in hoc Sacramento.

DICENDUM primò, illud disertè explicat Conc. Trid. sif. 13. c. 3. ubi ait : *Verum D. N. Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis & vini specie, una cum ipsis anima & divinitate existere : sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum : ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis & concomitantia, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur. Divinitatem porro præpter admirabilem illam ejus*

etiam

Cum corpore & animâ hypostaticam unionem : quapropter verissimum est , tantumdem sub alterutra specie atque sub utraque contineri , totus enim & integer Christus sub panis specie , & sub quavis ejus speciei parte , totus item sub vini specie & sub ejus partibus existit.

Ubi nota , illud dici ponи *Vi verborum* , cuius praesentia necessaria est sub tali re , sub qua significatur , adesse , adhoc ut forma verificetur . Illud autem dicuntur poni *Per concomitantiam* , quod necessariam cum alio habet concomitantiam . Sic *vi verborum* sub specie panis existit *Corpus Christi* , sub speciebus vini *Sanguis Christi* , eò quod illa sub altera respectivè specie significetur adesse , aliás esset falsa eorumdem forma . Divinitas verò , ejus proprietates , dotes & virtutes , persona Patris & Spiritus Sancti , &c. dicuntur ibidem poni *Per concomitantiam* , eò quod Corpori Christi necessariò sint connexa .

Nota insuper ex Conc. dictum esse , quod totus Christus sit sub specie panis & sub quavis ejus parte : quod intelligendum est , tam ante , quam post separationem : quod enim ante divisionem non fuit totum in toto & totum sub singulâ parte , solâ divisione ita esse non potest . Aliud quidem est in speculo , in quo ante divisionem est tota facies in toto tantum speculo , sed fracto speculo incipit facies esse in qualibet parte speculi : cùm fracto speculo , frangatur radiorum reflexio , Christus autem fractâ hostiâ non frangitur .

Existit ergo Christus in hoc Sacramento modo in- divisibili & spirituali , ut anima rationalis , id est , totus in toto , & totus in singulis partibus Sacramenti .

Dicendum 2. Si quantitas distinguitur à materia , Quantitas quantitas panis hic adeat etsi substantia panis desit . panis , Cor- Quantitas Christi verò , corpori ejus unita , hic adeat poru Christi per concomitantiam , adeoque Corpus Christi in Sa- cramento est verè extensum : pro quo nota , esse du- plicem extensionem , unam in ordine ad se , quod ha- beat partes extra partes : qui modus est de essentia

quantitatis: alia est extensio in ordine ad locum, quae proprietas divinâ virtute à quantitate est separabilis, adeoque res etiam magnæ, divinâ virtute poslunt contrahi ad exiguum spatum, sicutamen ut ideo partes se non penetrant, sed sint extra se.

Dicendum 3. Corpus Christi in hoc Sacramento moveri potest, uti fit, dum circumfertur Sacramentum, & moventur species, idque per eum, qui species movet, et si Deus suâ virtute posset retinere suum corpus in loco, à quo species diu noventur. Tamdiu verò Christus manet sub speciebus, quamdiu manent species, & quamdiu mansisset sub illis substantia panis & vini. Adeò ut corruptis in stomacho speciebus. Corpus Christi sub illis esse desinat; unde cessat absurdum hæreticorum objectio, Christum à nobis in secessum mitti.

Acciden-
tia.

An sit fi-
dei dari
acciden-
tia reali-
ter a sub-
stantia
diversa.

Dicendum 4. Accidentia in hoc Sacramento remanere constat, puta colorem, figuram, &c. Idque extra omne subiectum; ad essentiam enim accidentis non pertinet actu esse in alio, sed illud de se & ex naturâ suâ postulare. Verum an fidei sit dari accidentia realiter à substantia distincta non conveniunt auctores. Affirmant alii ex hoc casu Eucharistiae, ubi accidentia remanent sublatâ substantiâ. Alii negant, hoc ab Ecclesia esse definitum: et si enim Conc. Constantiense species vocet *accidentia*, non tamen definit ea esse realiter à substantia distincta: unde volunt Conc. Trid. studiosè usurpasse vocem *species*, pro voce *accidentia*. Neque dici potest juxta illos, satis videri nobis in Eucharistia esse accidentia; quamvis enim hoc videatur, tamen revera nulla sunt, Deo eodem modo potentias determinante, sicut determinarent species, idque ad occultandum S. Mysterii arcanum: vel conservante illas species, quas antea species emittebant, vel earumdem defectum supplente, ut nulla ibidem dicitur esse quantitas, si non distinguatur à materia et si quantitas panis ibi videatur adesse: neque magis decipimur, quam quod putemus ibi adesse panem, qui revera

revera non adest. Deinde, etsi maneant accidentia, non sequitur tamen ea esse realiter distincta: cum panis & vinum non sint earundem proximum subiectum, sed effluvia quædam & particulæ minutissimæ à pane tamen separatae, quæ ante consecrationem fuerunt de substantia panis, non autem post eam: sicut vapores antequam ab aqua exhalantur, sunt aliquid aquæ, sed exhalati ad eam non pertinent. Unde potest substantia depordi, manentibus accidentibus. Hæc quamvis satis probabiliter dici possent & sustineri, tamen ut temeritatis nota evitetur, & modo loquendi & intentioni Conciliorum magis accedamus, vera accidentia à substantia separata sunt admittenda.

SECTIO XI.

De immutationibus miraculosis in Eucharistia.

DI CENDUM primò, quandocumque miraculosè species in Eucharistia mutantur, ut Historiæ testantur, quandoque esse factum; videndum est, quomodo mutatio fiat: potest enim illa fieri, ex parte videntium, quod oculi aliquorum ita afficiantur, ut revera videant quid aliud: deinde fieri potest ex parte ipsius rei, quæ revera immutata est. Signum vero unde colligi potest, esse immutationem in oculo dumtaxat, est, si solum illud unus aut alter videat, sic ut cæteri contrarium videant: aut etiam si solum modico tempore illa apparentia duret. Si vero à multis illud videatur, & tempore longiore, censetur immutatio esse in ipsa re.

Dicendum 2. Si appareat species carnis aut sanguinis effusæ, non videtur illud, quod apparet, esse vera Christi caro & sanguis. Ratio est, quia caro & sanguis hic apparet à cœteris corporis & sanguinis partibus sejuncta, & extra venas; cum vero Christus jam sit incorruptibilis & immortalis, sequitur quod juxta

præsentem Dei constitutionem in tali statu caro aut Sanguis Christi esse non possit.

Si verò appareat species hominis , pueruli , &c. Veròsimile est , quod Christus sese exhibeat præsens tem , maximè si id fiat ad consolationem virorum sanctorum.

Dicendum 3. Si tanta mutatio miraculosa fiat in speciebus consecratis , ut sub eis non amplius reina neret substantia panis aut vini , desinit quoque sub illis existere corpus & Sanguis Christi. Et quia valde incertum est , quanta debeat esse hujusmodi mutatio , ut sub speciebus desinat esse substantia panis: ideo quoque incertum est , quanta debeat intervenire mutatio , ut desinat sub eisdem esse corpus aut sanguis Christi. Unde infero , valde incertum esse , an in Sacramento Miraculoso Bruxellensi , Lovaniensi , Brugensi , Boxtellensi , modo Hooghstratano , vere maneat Corpus aut Sanguis Christi , cùm incertum sit , an facta sit sufficiens specierum mutatio , ut sub eis desinant existere : hinc prudenter , ad præcavendam omnem idolatriam , juxta hujusmodi Miraculosa Sacramenta , apponitur hostia consecrata , dum exponuntur adoranda. Quid autem hoc casu Sacerdoti faciendum sit , dicam de defectibus Missæ.

S E C T I O X I I .

De effectibus Eucharistiae.

Eucaristiæ de se confert secundans gratiam. D ICENDUM primò. Cùm Sacramentum Eucharistiae sit Sacramentum vivorum , & primariò institutum , ut sit cibus animæ , non confert vitam spiritualem sive primam gratiam , sed eam supponit : alias enim homo ad hoc Sacramentum accedens in statu peccati mortalis , non deberet præmittere confessionem , de quo statim.

Dicitur tamen *panis* , qui dat vitam mundo , non quasi

quasi illam primò conferat, sed quòd eam conservet, à peccatis præservando, sicut medicina præservativa dicitur esse vita corporalis. Idem sensus est, dum docent SS. PP. Eucharistiam conferre remissionem peccatorum: vel ab illis præservando, vel etiam aliquando peraccidens. Unde

Dicendum 2. Aliquando confert Eucharistia per accidens primam gratiam, v. g. dum quis inculpabiliter ignorans se esse in statu peccati mortalis, cum debita alijs præparatione ad Eucharistiam accedit. Cùm enim Sacraenta non ponentibus obicem gratiam conferant, sequitur, quòd & hìc conferat Eucharistia, primam non secundam utique gratiam. Quando autem Catechism. Rom. de hoc Sacramento, uti & alii dicunt: *Quemadmodum mortuis corporibus naturale elementum nihil prodest: ita etiam anime, que Spiritu non vivit, sacra mysteria non prodefesse: ac propriea panis ac vini speciem habent, ut significetur, non quidem revocande ad vitam anime, sed in vita conservanda causa instituta esse.* Hæc inquam intelligenda sunt, quantum est ex vi primariæ institutionis Sacramenti, quod est nutrire animam, eis si ex Dei bonitate suppleatur, quod aliunde inculpabiliter deest.

Dicendum 3. Eucharistia confert speciale jus, ad auxilia opportuno tempore à Deo consequenda, ad finem hujus Sacramenti consequenduni opportuna, puta ad gratiam conservandam, & charitatem augendam, unde rectè dicit decretum Eugenii, *omnem effectum, quem cibus & potus materialis quoad vitam operatur corporalem, sustentando, augendo, reparando & delectando: Sacramentum hoc vitam operari spiritualem.* In hoc tanien à cibo corporali differt, quòd cibum vi nutritionis convertamus in nostram substantiani: hunc autem cibum non mutamus in nos, sed ècontra nos mutamur in illum, juxta illud D. Aug. l. 7. confes. c. 10. *Cibus sum grandium éicit Dominus, cresce & manducabis me: nec me tu mutabis in te, sicut cibum carnis*

carnis tue: sed tu mutaberis in me. Unde per hoc Sacramentum divinæ naturæ comparticipes efficimur.

Dicendum 4. Eucharistia confert remissionem venialium, & à mortalibus præservat: passiones iræ, libidinis, &c. Frænat: prius declarat Conc. Trid. fes. 13. c. 2. ubi ait: *Confert remissionem peccatorum venialium, & præservat à mortalibus.* Posteriorus declarat S. Cyrillus l. 4. in Joan. c. 17. ubi ait: *Sedat, cum in nobis manet Christus, sevientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat.* Vide S. Bern. Serm. de Cæna Domini.

Dicendum denique, effectus Eucharistie est vita æterna & resurrectio nostra, *Qui manducat meam Carnem, & biberit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Joan. 6.

S E C T I O XIII.

De Necessitate hujus Sacramenti.

*Necessitas
Euchars.
fia.*

DICENDUM primò, de fide est, posse hominem salvari sine hujus Sacramenti sumptione, ut patet in parvulis suscepto baptisme morientibus, unde Sacramentum illud non est necessarium necessitate medii: est tamen necessarium necessitate præcepti, dum ait Scriptura Joan. 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Quæ verba præceptum hujus Sacramenti assignant: neque ex illis rectè concluditur necessitas medii, ut dum de baptismo dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Joan. 3. quia subjecta materia diversa indicat, unum necessarium necessitate medii, aliud necessitate præcepti, uti & in hoc, *Nisi efficiamini sicut parvuli, &c.* Adeo, diversas esse loquendi formas: de Baptismo enim dicitur passim, *Nisi quis renatus fuerit.* De Eucharistia vero

verò activè, nisi manducaveritis, &c. Quæ verba proinde solum videntur dirigi ad ratione uentes. Neque dici potest, quod sicut corpus non potest subsistere sine cibo, ita anima non possit sine hoc cibo spiritualiter: quia non sola Eucharistia est cibus animæ, sed alia insuper, ut virtutes, orationes, &c.

Dicendum 2. Sano interim sensu omnibus tam adultis quam parvulis, potest Eucharistia dici necessaria necessitate mediæ, quatenus Eucharistiae votum, in Baptismo includitur, quo sensu docet S. Aug. I. 1. contra 2. Epist. Pelag. c. 4. *Eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes Corporis & Sanguinis Christi:* Et alia his similia.

Dicendum 3. Præceptum hoc divinum obligat r. *Quando* in articulo mortis, cùm hoc Sacramentum sit insti-^{obligatur præcep-}
tutum, ut viaticum salutis, ergo tunc saltem sumi ^{cepsum} debet, dum ad æternitatem properat, aut est in præ-^{Eucharistia,}
sentissimo mortis articulo. Ad hoc non sufficit, quod vel 6. vel 4. dies sanus præviè communicaverit, imo *In articulo*
etsi eodem die, eo quod non sit adhibitum tam-^{lo mortis,}
quam viaticum. Laudabilis tamen praxis aliud sta-
tuit, dum Sacerdotes aut alii quotidie aut fere quo-
tidie communicantes, ita Sacramentum hoc sumunt,
ac si foret viaticum, & essent eo die morituri.

Sub articulo mortis hic intellige damnationem ad mortem, unde Pius V. consueruditinem in Hispania, eis denegandi S. Eucharistiam, abrogavit: comprehenditur quoque periculum mortis, v. g. dum quis init iter periculosum, bellum, dum mulier solet habere partus periculosos, &c.

Denique saepius in vita obligat hoc divinum præceptum, cum enim sit cibus animæ, saepius in vita est sumendus.


Dicendum 4. Huic divino præcepto accedit præceptum Ecclesiæ de eodem. Hoc præcepto omnes utriusque sexus fideles singulis annis circa festum Paschæ hoc Sacramentum sumere oportet: etsi in primi-
tiiva Ecclesia ferè quotidie illud sumebant, aut festis
præ-

præcipuis, de quo agam de frequenti communione. Porro hoc tempus Paschæ durat à Dominica Palmorum, usque ad Dominicam in albis inclusivè. Ex rationabili tamen causa licet illud tempus aliquando prævenire vel etiam subsequi, v. g. ob morbum, puerperia, itinera, &c. Puerperæ tamen solent post purificationem Pascha celebrare, morbidis solet tempore Paschatis deferri, si commodè possit.

Dicendum 5. Huic Ecclesiastico præscripto non potest satisfieri per communionem sacrilegam. Non enim Ecclesia, quæ sibi subditos ad vitam æternam deducere satagit, contenta censetur sacrilegio, quod dicit ad mortem æternam. Recollige quod de lege Ecclesiastica diximus in tractatu de legibus, quod lex Ecclesiastica non præcipiat, nisi actus veræ virtutis. Unde meritò hæc damnata est ab Innocentio XI. *Præcepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini mandationem.*

De dispositione animæ & corporis requisita dicamus agendo de missa.





CAPUT QUINTUM

De Sacrificio Missæ.

SECTIO PRIMA.

An Eucaristia sit verum Sacrificium.

DI CENDUM primò, Etsi omne opus bonum aliquando latâ significatione dicatur *Sacrificium Laudis*, non tamen proprie dicitur semper *Sacrificium*. Sic S. Aug. l. 10. de civit. ait c. 6. *Sacrificium verum est omne opus quod agitur, ut sanctâ societate inhæreatur Deo.* Unde *Sacrificium propriè dictum definiri potest, Quid sit oblatio externa per legitimum ministerum soli Deo exhibita, in qua substantia sensibilis immutatur, in protestationem divini dominii, & nosire subjectionis.* Oblatio enim est genus respectu *Sacrificii*. Externa distinguit ab interna oblatione, quâ quis internè aliquid Deo in *Sacrificium* offert. Requiritur insuper ad *sacrificium debitus Minister*, ad *Sacrificium offerendum ordinatus*; minister autem ille in omni statu adhibebatur ad *Sacrificium*: in lege naturæ primogeniti erant tales ministri, postea vocabantur à Deo tamquam Aaron. Legitur antem quandoque quosvis compulsos esse sacrificare; verum illud erat mera oblatio, non iidem *Sacrificium*. Debet insuper res sensibilis in *Sacrificio* immutari vel per inui, quâ actione perfectum Dei dominium in omnia profitemur. Ut etiam ultiū ex eo sequitur, quod profitendo supremum Dei dominium, nostram subjectionem & servitutem confiteamur.

Dicendum 2. dividitur *sacrificium primò in victimam, immolationem & libamem, prout materia oblata*.

Victimam,
immola-
tio, liba-
oblata
wen,

*oblata erat vel animal vivens, unde dicitur *Vidimam*: vel res solida inanimata v.g. fructus, & vocabatur *immolatio*: vel denique res liquida, v.g. vinum, oleum, & dicebatur *libamen*.*

Holocau- Dividitur 2. in *Holocaustum*, quod ut sacrificium *sum*, *ho-* perfectissimum totam rem perinendo, in fumum re-*peccato*, *peccato*, *hostia pa-* solvendo &c. perfectissimo modo protestatur di-*sificis.* num dominium in omnia creata: & in hostiam pro peccato, & hostiam pacificam: *hostia pro peccato* par-*tim* cremabatur, partim à Sacerdote in atrio come-*debatur*. *Hostia pacifica*, offerebatur pro acceptis à Deo beneficiis, aut iisdem impetrandis: hujus pars *cremabatur*, alia pars à Sacerdotibus, alia ab offe-*rentibus* comedebatur.

Sacrifi- Dividitur 3. *Sacrificium in Propitiatorium*, quod *ciuum pro* pro peccatis, eorumque poenitentia offereba-*pitiator-* tur. *Eucharisticum*: quod in gratiarum actionem offe-*riuum, Eu-* rebant, & *Honorarium* sive *Latreuticum*, quod adhi-*charisti-* cum, *la-* bebat primariò ad Deum latrìa colendum: deni-*teuricum* qué *Impetratorium*, quod pro beneficio impetrando *& Impe-* offerebatur.
ratorium.

Sacrifi- Dicendum 2. Sequitur ex dictis, quòd sacrificium *cium po-* soli Deo possit offerri, cùm sacrificium sit actus la-*te& offerri* triæ, quæ soli Deo competit: dicitur tamen aliquan-*soli Deo.* dò missæ sacrificium de tali vel tali Sancto, sed soli Deo sacrificium offertur, cum invocatione illius Sancti, ut pro nobis intercedere dignetur in cœlis, cu-jus memoriam agimus in terris.

Dicendum 3. Etsi sacrificia V. L. sancta fuerint & à Deo instituta, quod Christum figurarent & pro-mitterent, tamen cessante lege veteri, cum suis cæ-remoniis & sacrificiis, veritas sucessit, & Deus lega-lium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectio-ne sanxit, ut ait D. Leo serm 7. de passione. Undè ait Conc. Trid. sess. 22. c. 1. *Hec est illa oblatio (missa)* quæ per varias sacrificiorum, naturæ & legis tempore, similitudines figurabatur, ut potè quæ omnia bona, per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perse-*dis*

atio complebitur. Unde mortale superstitionis crimen est , modo in L. N. offerre V. L. sacrificium , puta agnum paschalem ; Christus enim instituendo novum sacrificium , vetera prohibuisse censetur & abrogasse.

Dicendum 4. De fide est , esse unum in lege nova sacrificium , scilicet Eucharistiam , quæ non solum ^{fia est Sacra} sacramentum , sed & sacrificium. Unde ^{sacramen-} Conc. Trid. sess. 22. can. 1. *Si quis dixerit , in missa Sacrifi-*
non offerri Deo verum sacrificium anathema sit. Sa-
cificium; hoc olim in Melchisedech sacrificio figura-
batur , qui panem & vinum obtulit , de quo ita S. August. epist. 95. ad Innoc. Melchisedech prolatu*Sacra-*
mento mensæ dominice , novit æternum ejus sacerdotium figurare. Hinc & Christus dicitur *Sacerdos in æternum* secundum ordinem Melchisedech , eò quod virtus ejus sa-
crificii in æternum maneat , deinde quatenus per suos ministros usquè ad finem sæculi corpus suum offert & suum sanguinem. Deinde dicta sententia patet ex ultima cœna , cum Christus corpus suum in ci-
bum , & sanguinem in potum obtulit , jubens simul sacerdotes idem offerre & facere , dicens , *hoc* , quod ego jam feci , facite in meam commemorationem. Ad quod rursum S. August. Psalm. 33. Conc. 2. *Ipse de*
corpore suo & sanguine suo Sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech. Deinde Eucharistiam esse verum Sacrificium testatur tota Ecclesia , & SS. Patres omnes , quod & ab adversariis invitis veritas extorsit : unde Lutherus l. de missa privata. *Hic non curamus , si clamitent Papistæ , Ecclesia , Ecclesia :* Patres , Pa-
tres : quia ut dixi , horum dicta & facta in tam magnis causis nihil curamus : scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse , adeoque Apostolos. Verbo Christi judicamus Eccle-
siam , Apostolos adeoque ipsos Angelos. Idem confir-
mat & ratio , nulla enim gens , nulla religio , quæ suos non habeat Sacerdotes & consequenter Sacri-
ficia. Denique aptissimè Eucharistia est sacrificium in
qua incruentè offertur Deo Sanguis & Corpus Chri-
sti;

Vnde di-
an Eucha-
rifica. sli, per immutationem panis & vini in Sanguinem
& Corpus ejus, idque in protestationem summi Dei
domini, in gratiam actionem, unde & *Eucharistia*
nominatur.

Oclamant hæretici, Christus solus est Sacerdos
in æternum, qui unâ oblatione sanctificatos consum-
mavit: maximè cùm virtus crucis sit valoris infiniti,
unde alia oblationes sunt superflue. Ad quod Resp.
quomodo Christus sit Sacerdos in æternum jam ante
dictum est. Deinde, et si vis Crucis Christi sit
infiniti valoris, tamen Sacrificio Eucharistico vis il-
la debet nobis applicari. Adde, quod Christus semel
unâ oblatione consummaverit totum genus huma-
num, eo quòd oblatione cruentà pretium sufficiens
Deo patri obtulit pro salute totius mundi, quod tamen
variis mediis vult applicari. Unde patet quo jure in
suo Catechismo doceant hæretici, missam nihil aliud
esse, quam meram idolatriam: circa quod notandum
est, se se gloriari, nullum ab ipsis condemnari,
ut alieni à fide Romanâ à Papistis condemnantur,
sed quo jure, cum idololatræ teste Apostolo à
regno Dei sint excludendi?

SECTO II.

In qua parte Missæ sit ratio Sacrificii.

Missa
quid &
unde dicta. **D**I CENDUM primò. *Missa* dicta à verbo latino
Mitto, eo quòd mittatur hostia ad Deum: vel
ab Hebreo *Missa*, quod significat idem quod *obla-
tio*, est Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini
sub speciebus panis & vini, in memoriam passionis
institutum. Quod *Missa* sit Sacrificium, jam proba-
Missa ca. tum est. Alia verò est *Missa catechumenorum*, quæ
catechume- comprehendit partem Missæ à principio usque ad of-
porum. fertorium, quando catechumeni jubebantur exire,
unde catechumeni hoc mysterium occultabat Eccle-
sia,

fia , quare August. tract. 11. in Joan. *Interrogemus eum* (catechumenum) *manducas carnem Filii hominis.... nescit , quid dicimus.* Alia est *Missa fidelium*, quæ durabat ab offertorio usque ad orationem dominicam. *Missa fidelium,*
Cætera dicebantur complementum Missæ. Alia insuper est *missa sicca seu navalis*, quæ est pius aliquis ritus, apparenter tantum Missa : incipit à principio Missæ usque ad præfationem , post quam continuo subsequitur Oratio Dominica , Agnus Dei , post-communio & benedictio cum Evangelio S. Joannis. Inventa est hæc Missa sicca in classibus marinis, ubi ne fideles omni consolatione ex missâ capi solitâ fru-strarentur , hunc ritum adinvenerunt , ut saltem imagine veræ Missæ aliquomodo consolarentur.

Dicendum 2. Sex actiones sunt , de quibus merito dubitatur an in illis sita sit Missæ ratio , aut essentia Sacrificii. Prima est oblatio panis & vini in offerto. 2. Utriusque consecratio. 3. Eorumdem oblatione *sunt facta his verbis*, Unde & memores , &c. 4. Fractione hostiæ & mixtio ejusdem cum vino consecrato. 5. Sumptio. 6. Communio.

Oblatio prima ne quidem est de integritate Sacrificii , quamvis censeatur inter partes principales. Ratio est , quod actio ad Sacrificii essentiam vel integratem spectans , respiciat materiam propriam victimæ , quæ est hic , Christus ipse , ubi tamen dicta oblatio respicit panem & vinum.

Oblatio secunda , Post consecrationem , non est quoque de essentia Sacrificii : Ratio est , quod illam Christus non adhibuit , neque in Ecclesia semper observata , sed usu Ecclesiæ introducta : deinde illa oblatio fit vice solius ministri , ubi actio Sacrificii hinc fieri debet in Persona Christi.

Fractione & mixtio hostiæ Non requiritur quoque ad essentiam Sacrificii , tum quod neque à Christo fuerit facta , tum quod si hostia casu decidat in Calicem , non debeat extrahi , sed sine fractione & mixtione pergi , adeoque signum est , quod essentia Sacrificii sine illis actionibus possit subsistere.

Com-

Communio Non est de essentia, sed solum de integritate Sacrificii. Sacrificium enim est essentialiter oblatio Deo facta, & sumendo, nihil offerimus; sed nobis potius aliquid damus: item si hostia post consecrationem miraculosè immutaretur, nihil esset sumendum. Nec refert quod Ecclesia graviter injungat Sacrificii sumptionem, adeò ut deficiente Sacerdote, aliis supplere debeat sumptionem: quia inde solum sequitur, quod ad integratem ejus spectet sacrificii sumptio. Deinde, et si concedatur quod Christus se sumpserit, de quo tamen non ita certò constat, exinde non sequitur, quod sumptio sit essentialis Sacrificii pars, quia non omnia quae Christus fecit, sunt de essentia Sacrificii. Neque denique aliquid officit, quod Eucharistia sit *holocaustum*, ad quod requiritur omnimoda hostia consumptio, quae fit in sumptione: ad holocaustum enim non requiriatur actualis rei oblatæ consumptio, sed quod nihil de victimâ reservetur ad usus profanos, et si actualis consumptio victimæ spectet ad perfectionem holocausti.

In consecratione sacerdotis est ratio. Consecratio est tota essentia Sacrificii: Ratio est, quod quando datur Sacerdotibus potestas consecrare *Sacrum*, detur quoque potestas sacrificandi, ergo signum fieri est illa esse idem. Deinde ea actio habet rationem Sacrificii, quae in missa fit nomine Christi, atque consecratio ita fit. Denique omnia ad Sacrificium requisita, in consecratione reperiuntur, immutatur mirabiliter panis in Corpus Christi, offertur Corpus & Sanguis Deo Patri, &c. Adde, quod hic fiat à Sacerdote, quod Christus fecit, & quod jussit fieri in memoriam ejus. Unde patet eatenus consecrationem pertinere ad essentiam Sacrificii, quatenus per realem mutationem constituit Corpus & Sanguinem Christi, sub speciebus panis & vini, idque in honorem Dei: ex quo patet, quod non solum actione destructivâ, sed productivâ supremum Dei Dominium possit protestari. Deinde ipsâ consecratione fit realis

realis oblatio, non solum ejus quod oblationem antecedit, sed & quod eam subsequitur, quando res offerenda ipsa oblatione & consecratione tamquam terminus ejus de novo ponitur, uti hic fit.

Dicendum ultimò, Verius videatur, quod consecratio utriusque speciei pertineat ad essentiam Sacrificii. Ratio est, quod Conc. Trid. sess. 22. c. 1. Eodem planè modo & utrāque consecratione tamquam species speller ad hīc necessariā loquatur & definiat. Deinde, ad rationem Sacrificii requiritur expressa representatio effusionis Sanguinis Christi factæ in cruento Crucis sacrificio, quæ solum sit adhibitiā utrāque consecratione. Unde patet falsum esse, quod referunt aliqui, posse Pontificem dispensare, quoad alteram consecrationem, prout factum docent Norwegis & Danis, cum in eo dispensare nequeat, quod fiat Sacrificium sine suis partibus essentialibus. Patet insuper, illum qui alterutri consecrationi abest, non audire Missam, cujus essentia in utrāque consecratione consistit.

SECTIO III.

De fructu Sacrificii Missæ.

DICENDUM primò. Varii sunt modi, quibus sacrificium hoc confert suum fructum, 1. Ex opere operato independenter à meritis ministri, qui est effectus & modus Sacraementis communis. 2. Ex opere operantis, id est dependenter à meritis ministri. 3. Per modum impetrationis & satisfactionis & meriti. Est enim opus omnium præstantissimum, unde meritorium est, uti omne opus bonum, & satisfactorium, & impetratorium.

Dicendum 2. Sacrificium hoc confert fructum aliquem ex opere operato, quod satis innuit Conc. Trid. sess. 22. c. 1. Ubi dicitur: *Hanc oblationem nullus fructus*

Missa ex opere operato remissionem peccatorum, quæ quotidie à nobis committuntur, id est venialium. Unde idem Conc. ses. 22. c. 1. ait, *Hoc Sacrificium Eucharistia esse à Domino institutum, ut per hoc Sacrificii Crucis virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur.* Ergo ex vi institutionis Christi, ad hunc effectum est missa ordinata, idque ex opere operato confert.

Non causat tamen per se & immediatè remissionem peccati mortalis, cum hoc sit Baptismo & pœnitentiæ proprium, imo nec soli Sacrificio Crucis id competit, neque ex aliquâ peculiari Dei promissione hoc habet Sacrificium, neque aliàs necessaria esset confessio ante actionem Sacrificii, si quis sit in statu peccati mortalis. Non etiam immediatè confert augmentum gratiæ, cum nec Sacrificium crucis id faciat. Deinde aliàs parvulo baptisato hoc Sacrificium confert augmentum gratiæ, cum nec ponat obicem, nec Sacrificium ad suum effectum requirat positivam dispositionem, quod tamen est contra Ecclesiæ sensum & usum.

Dicendum 2. Causat tamen hoc sacrificium auxilia gratiæ prævenientis, & donum pœnitentiæ, & consequenter ita mediatè remissionem peccatorum, non tamen ea confert infallibiliter. Probatur prius ex Conc. Trid. quod sess. 22. c. 2. docet, quod *hujus Sacrificii oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentie concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittat.* Probatur posteriorius experientiâ; non enim omnes pro quibus offertur hoc sacrificium, ejusmodi effectus semper & infallibiliter experientur.

Confert tamen auxilia gratiæ ultra dignitatem ministri, eo quod vis sacrificii magis attendatur ex parte ministri principalis, id est Christi, quam ipsius Sacerdotis.

Dicendum 3. Sicut oratio facta à malo Sacerdote vim

vim suam habet , eò quòd simul ab Ecclesia oratio per Sacerdotem repræsentatur Deo : tamen orantis dignitas hic multum confert : sicut legatio Legati per se valet , eò quòd nomine Regis fiat : tamen si legatus ille sit quoque alteri amicus , facilius ab eo , quod petitur , impetratur : ita sit in ministro sacrificii , et si enim sacrificium per se multum valeat , et si per malum Sacerdotem offeratur : eò quòd Christus sit hic principalis offerens : tamen dignitas ministri hic multum juvat , ut quod petitur à Deo , efficaciter consequamur.

SECTIO IV.

An hoc Sacrificium sit valoris infiniti.

DIENDUM primò , Cùm omnis Christi actio sit infiniti valoris , sequitur ; quòd hoc Sacrificium prout à Christo procedit ; sit infiniti valoris. Quomodo hoc sit va loris infini ti. Hoc autem intellige quoad sufficientiam , sive in actu primo , quatenus suā oblatione sufficiens pretium pro redemptione totius mundi obtulit : non item quoad efficaciam , seu , ut ajunt , in actu secundo , eo quòd nec sacrificium Crucis hoc præstet ; prout autem à Sacerdote exit Sacrificium , non est valoris infiniti , sed finiti , ut ipse Sacerdos est persona finita : aliàs vel unâ missâ Sacerdotis , totum purgatorium posset evacuari , & omnes pœnæ remitti . Imò deberet quamlibet missam pro omnibus fidelibus offerre ; cum quisque ex charitate debeat proximos juvare , dum sine aliquâ difficultate potest.

Dicendum 2. Valor Sacrificii debet dici absolute finitus , eò quòd immediatè à ministro finitæ dignitatis procedat . Rationem præbet Card. Bona in suisde Missa scriptis asceticis §. 4. ubi ita inter.cætera ait: *Favet buic Doctrinae communis fidelium sensus , qui plura pro se & suis sacrificia offerri curant , quod certè non facerent , si infinitam*

finitam in singulis efficaciam agnoscerent. Possent etiam Sacerdotes unico Sacrificio sexcentis obligationibus satisfacere, quod Ecclesiastica vetant decreta. Frustra pro uno defuncto tot multiplicarentur Sacrificia, quia unum sufficiens esset, ad omnes animas liberandas. Missa denique cuiuslibet Sacerdotis, Sacrificium Christi in Cruce æquaret, quod ideo unicum fuit, quia valoris infiniti: neque considerandum est id, quod in Sacrificio continetur tamquam ens quoddam naturale agens secundum summum gradum virtutis sue, sed ut ens liberum cuius operatio tantam habet efficaciam, quam habere vult ipsum agens principale Christus Redemptor noster, qui hoc incruento Sacrificio vult nobis applicari finitum tanum & limitatum fructum sue Passio-
nis. Hæc ille.

Præflus generalis, lis, qui extenditur ad omnes omnino Fideles, tam specialis vivos quam defunctos, atque hoc ex intentione Ecclesiæ. Specialis est, qui correspondet ipsi celebranti, unde ait Offero. pro innumerabilibus peccatis & offensionibus & negligentias meis. Tertius est Fructus medius, qui ex dispositione Sacerdotis applicatur illi, pro quo vult offerre sacrificium.

Missa oblatæ pro pluribus, non tantum pro fit, quantum prodefset pro singulis oblatum. Probat enim illud Ecclesiæ praxis, dum plures missas speciatim pro aliquo celebrari curat; dum vetat diversa stipendia pro eadem celebratione recipere, dum Conc. Trid. Ses. 25. c. 4. reform. tantâ cautelâ solis Episcopis & Abbatibus & generalibus ordinum reductionem missarum ad minorem numerum permisit, idque solum in certis casibus ibidem expressis, quod prudenter, ab ipsis præcipit observari, ne forte conscientiam suam in discrimen adducant: Nulla autem fuisset ratio tam sollicitè id præcipiendi & præcavendi, si pluribus æquè prodefset Sacrificium, ac uni singulatum oblatum. Denique vix existimo fideles iis missas celebrandas velle offerre, si noscent se contrarie sententie

con-

conformare: Plura de hac re dabo agendo de applicatione Missæ.

SECTIO V.

De Rubricis missalis, earumque obligatione.

DICENDUM primò, Rubrica sic dicta à rubro ^{Rubrica} colore, eo quòd leges & ordinationes rubro ^{quid sit.} colore scribi solerent, est ordinatio Ecclesiæ aliquid observandi. Alia est *Præceptiva*, quæ obligat ad servandum id, quod præscribit: alia *Directiva*, quæ solùm dirigit ac consulit aliquid agendum, adeò ut eam non servans non peccet: Si materia sit gravis, & sit rubrica *præceptiva*, erit peccatum mortale eam voluntariè prævaricari in actu Sacrificii: aliud est, si inadvertentia vel materiæ parvitas excusat.

Porrò contravenitur potissimum rubricis 2. modis, addendo aliquid vel aliquid omittendo, quod rubrica præscribit aut non præscribit. Pro quorum pleniori intelligentia, sciendum est, quænam pars in missâ censeatur notabilis: Ac in primis censemur notabilis pars, quæ cum Ministro dicitur à Sacerdote ^{Parte Missæ} ante gradus Altaris quam vocant *In iroitum*, *Confessio major*, *Item*, &c. Item *Epistola*, *Evangelium*, *Oblatio Hostiæ* & *calicis* cum sua quæque forma, *præfatio*; item plures parvæ, quæ magnam v. g. *Evangelium* adæquent; omissio canonis; quæ recitantur ab oratione Dominica usque ad communionem, idque singulariæ partes seorsim v. g. oratio *Libera*, *Agnus Dei*, *Domine non sum dignus*, &c. *Evangelium Joannis* volunt aliqui ad Missæ integritatem non pertinere, sed supererogari, maximè quòd ante dictum sit, *Ite Missa est*, idest, *Est facta*. Alii tamen ex consuetudine illud sub mortale addendum esse docent.

Dicendum 2. Missæ partes aliquæ sunt stabiles, ^{Partes} aliæ instabiles: *Stabiles* sunt, quæ in omni Missâ adhibentur, ^{Missa stabiles &} *instabiles*,

hibentur, v. g. canon, oratio Dominica, &c. *Instabiles* sunt, quæ aliquando omittuntur, v. g. gloria, credo, communicantes, &c. *Instabiles* omittens non facile à me condemnabitur peccati mortalis, eo quod sacrificium sine iis, integraliter subsistat: & quamquam Pius V. mandet in virtute S. Obedientiæ, omnes rubricas & ordinationes Missalis quoad Missæ partes observari, solum id intelligit de partibus stabilibus, sine quibus sacrificium esset integraliter mutilem. Stabiles verò Missæ partes omittens ex genere suo est peccatum mortale, cum omissio earum directè opponatur constitutioni Pii V. parvitas tamen materiae hic excusare potest; quænam verò sit major pars, ante ostensum est.

*An in
Canone
detur par-
vitas ma-
teria.*

Num supereft, an in canone non detur parvitas materiae: in qua materia hoc in primis certum est, partes Canonis utpote sacraiores, cadere sub strictiori obligationem, quam coeteras partes: melius tamen dicitur, quod in Canone detur quoque parvitas materiae, v. g. si solum 4. vel 5. verba Canonis omittantur, quod majori jure de parte *communicantes* dici potest, utpote quæ sit instabilis. De cœtero inadvertentiam à peccato mortali excusare, certum est: uti etiam esse mortale verba illa Canonis omittere, quibus mysterii repræsentatio destruitur vel pro majori parte minuitur. Quomodo autem forma variari potest, dictum est agendo de forma Eucharistie.

*Obligatio
ritus ad-
hibendi.*

*Ritus ma-
jores.*

Dicendum 3. Ritus præscripti tam bene quam verba cadunt sub præceptum: unde si ritus aliquis sit majoris momenti, erit peccatum mortale. Majoris momenti ritus sunt, mixtio aquæ cum vino, elevatio hostiæ & calicis, fractio hostiæ, mixtio ejusdem cum sanguine, purificatio calicis & patenæ; ratio est, quod illi omnes, contineant grave mysterium, vel eorumdein omissio gravem irreverentiam. Reliqui ritus, v. g. Cruces, genuflexiones, elevatio manuum & oculorum, de se sunt solum veniale (alias si plures omitterentur, qui arbitrio prudenti æquivalerent

terent majori ritui, erunt mortale.) Idem est de thurificatione & aliis ad ornatum Missæ adhiberi solitis.

Dicendum 4. Addere aliquid, quod significatio-
nem formæ essentialiter immutet, est peccatum mor- *ad for-*
tale, nec conficit Sacramentum: si verò aliquid addat, ^{mam &} *aliam mis-*
quod essentiam formæ non immutet, peccat euidem *se.*
mortaliter, cum contra Ecclesiæ præscriptum, gran-
dis sit temeritas, aliquid addere. Idem dicendum est
de repetitione formæ, cum eadem materia non sit re-
consecrabilis; proferre autem formam super mate-
riam incapacem est peccatum mortale. Aliud est, si
quis dubitaret, an debitè protulisset forniam, quo
casu posset sub conditione formam repetere.

Addere verò ex devotione orationem jaculatoriam
v. g. eo tempore, quo nihil est dicendum, v. g. tem-
pore elevationis hostiæ, calicis, &c. excusant aliqui
a peccato: quamquam consulerem, nihil addere, nec
dicere, nisi quod ab Ecclesia observandum præscribi-
tur. Unde privata devotio, debitæ devotioni hīc ali-
quando derogat: maximè cum Pius V. expreßè ve-
tet, aliquem ritum addere ritui à se in Missali præscri-
pto.

Dicendum 5. Mutatio notabilis partium principalium & rituum Missæ est peccatum mortale, v. g. si variare-
Mutatio
partium
Missæ.
tur verborum sensus: imò, etsi verba in alterius
idiomatis synonima verterentur, cum illud expressè
inhibeat Conc. Trid. ses. 22. c. 8. & 9. Ubi damnantur
ii, qui dicebant Missam celebrandam lingua vul-
gari. Alias si mutatio rituum vel partium non sit no-
tabilis, v. g. aliud Evangelium, aut Epistolam assu-
mendo & legendo, &c. non erit nisi ad summum
veniale.

SECTIO VI.

Expositio Rubrica primæ de præparatione celebraturi.

Sacerdos celebraturus Missam præviâ confessione Sacra-
mentalî, quando opus est, & saltem matutino cum
laudibus absolute, orationi aliquantulum vacet, & ora-
tiones inferius positas pro temporis opportunitate dicat.
Primum declarat S. Synodus Trid. ses. 13. c. 7. ubi
ait: Nullus sibi conscient peccati mortalî, quanumvis
sibi contritus videatur, absque præmissâ Sacramentali con-
fessione ad sacram Eucharistiam accedere audeat. Præceptum
hoc est divinum positivum juxta S. Aug. regulam l.
4. de Bapt. c. 24. quod quando aliquid ab universali
Ecclesia observatur, neque à conciliis, neque ab Ec-
clesiâ ortum ducere noscitur, tum pro divinâ tradi-
tione sit censendum. Debet autem hæc confessio es-
se valida, nec sufficit sacrilega, cum illâ potius fini-
legis obvietur, quam satisfiat. Præceptum tamen il-
Quando- lud suas admittit excusationes, primò quidem si de-
nam defi sit copia confessarii, & necessitas celebrandi urgeat
copia Con- vel communicandi; sufficit autem quod non nisi
fassarii. cum notabili incommodo sacerdos confessarium ha-
bere nequeat, ut deesse censeatur confessarii copia,
cum moraliter eo casu deesse judicetur, quod non
nisi valde difficulter haberi potest, undè etiam yerba
Conc. Trid. allata sunt moraliter intelligenda.

Hinc via colligi liceat 1. quod, si quis in pago
existens, non possit convenire confessarium, nisi ma-
gno labore (quod prudenti judicio est desjudican-
dum) censetur deesse confessarii copia.

2. Si adsit Confessarius quidem, sed excommu-
nicatus irregularis, qui Confessionem audire recusat,
nec alias adsit, censetur deesse copia Confessarii.

3. Si injustè denegetur absolvitio, si induerit ve-
tes Sacerdotales & in illis confessus, invenitur ab-
folu-

solutione indignus , & sit periculum infamiae , si non perget; censetur quoque deesse copia confessarii. Aliud esset , si justè denegetur absolutio , cum qui indignus est absolutione ob suam culpam , indignus sit communione : Idem est , si absit periculum infamiae in priori casu.

Censetur autem adesse necessitas , dum instat articulus mortis communicandi se vel alterum , si adsit periculum gravis scandali , infamiae , obligatio præcepti præponderantis , si populus Parochiæ alias Die Dominico frustraretur Missâ , non servaret Pascha & alia , quæ prudenti judicio constitutione diætâ non censentur comprehendendi.

Dicendum 2. Dum quis absente copiâ Confessarii ita communicavit aut celebravit , debet juxta Trid. superius allatum , quâm primum confiteri: id est non statim detractis vestibus sacris , aut etiam non nisi ante Missam sequentem , sed saltem intra triduum , cum quod intra triduum sit , in continentî fiat , uti dicitur L. fin. c. de erroribus advoc.

Dicendum 3. Cùm peccata dubia pertineant ad materiam Confessionis , uti probabo suo loco , tenetur eadem mortalia ante celebrationem confitir. Debet enim procurare statum gratiæ , quantum potest: Et quamvis Trid. dicat , quod ille debeat præmittere Confessionem , qui est mortalis peccati *Consciens* ; cum ille , etsi non habeat certam conscientiam de peccato , habet tamen dubiam , cum qua operari est vetitum unde dubia ut dubia sunt confitenda , certa ut certa.

Dicendum 4. Cùm Sacrificium illud requirât summam animæ puritatem , piorum praxis docet , laudabile esse præmittere confessionem venialium , etsi sollicitè curandum sit , ut adsit debitus de iisdem do-
tor de quo postea de confessione venialium & eo-
rum contritione.

Dicendum 5. Debet ex præscripto Ecclesiæ Sa. *Obligatio*
cerdos præmittere matutinum cum laudibus , quæ *dicendi*
matutinum
rubri-

rum ante Missam. rubrica est solum directiva, neque ullatenus erit mos; tale illa non praemittere, imo per se ne quidem veniale; eo quod nulla de hac re extet lex, aut consuetudo animo obligandi inducta, neque sit tanta connexio inter horas illas & celebrationem Missæ, quanta est inter horas inter se, quas tamen subinde invertere, si aliqua subsit causa, non est peccatum.

Dicendum 6. Orationi vacare præviè debet, ad accedendum tam admirabile mysterium se disponere, ut divina misericordia suppleat, quod dignitati ministri deest. Deinde notandum est, non esse mortale omittere preces in amictu vestium præscriptas, cum sit solum rubrica directiva, quod constat ex eo quod additur: *Pro opportunitate Sacerdotis dicenda.*

SECTIO VII.

Prosecutio Expositionis Rubrice. I.

Lotione manuum praevia. **D**Ende accedit ad locum Sacrificia, Accipit missale, perquirit Missam, perlegit, & signacula ordinat.... Postea lavat manus, dicens orationem inferius positam. Haec omnia sunt directiva, cum Missale ordinari possit sine ejus prætectione facili negotio in ipso altari, aliud esset si quis in observatione rituum foret ignarus & inexpeditus, unde morâ suâ populum offenderet.

Idem est de lotione, quæ necessaria non est, si manus sint mundæ: quamquam ipso naturæ jure illud Sacramentum sordidis manibus tractare, magnam irreverentiam contineat.

Calix. Sequitur quod Calix debeat esse aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul cum patenâ itidem inaurata, ab Episcopo consecratus. Consecrationem hanc requirit quoque rubrica quoad vestes sacras, de quibus statim: eo tamen discrimine, quod calix debeat con-

*Consecra-
tio Calis.
ci & ve-*

consecrari Sacro Chrismate, unde solum ab iis consecrari potest, à quibus Christina adhiberi potest, puta Episcopis, & Abbatibus. Vester autem singulari benedictionem requirunt sine Chrismatis unctione, unde, & ab aliis benedici possunt, v. g. Præpositis, Prioribus, &c. Qui tamen Calices bendifcere nequeunt.

Porro debet Calix esse aureus vel argenteus, saltem ex parte cuppæ: vel ad minimum ex stanno, ut habetur caput ut *Calix*. Etsi autem antea solerent consecrare in ligneis Calicibus aurei Sacerdotes, ut habeatur can. *Vasa* de celebrat. dist. 1. Tamen Calices ligneos, vitreos, cupreos, ex aurichalco, plumbo, &c. abrogavit Ecclesia, ligneos quidem ob porositatem: vitreos ob fragilitatem: alios, eo quod madefacti rubiginem contrahant & vomitum causent. Allaborandum tamen est, ut pro debita huic Sacramento reverentia, argenteus saltem Calix adhibeatur, qualis facile ubique haberi potest, si diligentia debita adhiberetur in eo conquirendo.

Dicendum 2. Censetur benedictio Calicis tam diu remanere, uti & vestium, quamdiu ita remanent, ut sint apta suo quæque ministerio: unde deauratio Calicis non tollit benedictionem, cum eâ non obstante, Calix maneat aptus suo Ministerio. Si cuppa à pede dividatur, si sit Calix tornatilis, clarum est, quod benedictio per divisionem non amittatur: si vero non sit tornatilis, non retinet benedictionem, cum non maneat moraliter loquendo aptus Ministerio. Idem est de Vestibus Sacris; si enim retineant non obstante mutatione, eumdem usum ad ministerium Sacrum, manent itidem benedictæ. Si tamen fiant detritæ, & paulatim confractæ affluuntur, reparantur, &c. sic ut semper manserint aptæ ad ministerium, non amittunt consecrationem, cum accessorum sequatur suum principale. Hinc si planeta, manipulus, stola fiat detrita, illa reparando non amittitur benedictio. Idem dic de cingulo rupto, quod etiam-

etiamnum aptum manet ad cingendum: alii quoque satis probabiliter tenent, quod si neutra pars sufficiat, possit equidem, salvâ benedictione, partes innondare.

Dicendum 3. Si quis celebrat in vestibus aut vase non benedicto per Consecrationem illam non remanent benedicta. Ratio est, Ecclesiæ constitutio, quæ requirit benedictionem ab ipso præscriptam, qualis nos est celebratio.

Celebrare sine vestibus majoris momenti, est de se peccatum mortale, v. g. omisso stolæ, omissione verò vestis minoris, v. g. cinguli, manipuli, &c. *quale sit peccatum,* est solum peccatum veniale. Major tamen & quidem gravissima causa requiritur ad celebrandum sine vestibus majoribus, quam minoribus: quæ si adsit, v. g. ad vitandam mortem, licitum erit omittere vestes majores, eò quod illarum adhibitio sit juris positivi Ecclesiæ, quæ non obligat cum tanto damno.

Quid si. Dicendum 4. *Amictus* significat velamen faciei Christi à Judæis obuelatae, dicentibus, *Prophetiza, vestes saera: ami.* quis est, qui te percussit?

Alba. *Alba* significat albam vestem, quâ Herodes deluxit Christum. *Cingulum* significat flagella Christum, *Cingulus.* ambientes. *Manipulus,* funes quibus ligatus est Christus: *Stola,* ligaturam ad Colunnam. *Planea vestem* purpuream Christi coram Pilato.

Dicendum 5. non recitare preces inter induendum vestes sacras, non est per se peccatum, cum rubrica preces illas præscribens, non sit nisi directiva, non item præceptiva.

Vestium decentia. Rectè quoque admonet rubrica, ne vestes aut alia missæ paramenta sint lacera, idque contra reverentiam sacrificii. Quo pacto graviter peccant, vestibus laceris, lineis folididis, & præcipue corporali & purificatorio folididis celebrantes, & aliquando similia servitio mensæ, aut proprio strophiolo applicare erubescerent, ubi pejora sacris applicare non reformiabant. Certè ex decentiâ ornatus sacri, superiorem Eccle-

Ecclesiæ facile dignosces. Hinc S. P. N. Norbertus jure merito, inter tria, quæ sæpe de die in diem servanda ingeminabat, unum erat, circa altaria & divina mysteria mundities.

SECTIO VIII.

Annotatio ad rubricam secundam & tertiam.

DI CENDUM primò : debet juxta rubricam præcedere minister cum Missali. Olim quidem in spe. *Minister Missæ.* luncis Eremitæ soli celebrabant, ex usu tamen & praxi Ecclesiæ, & cap. *propositus* de filiis presbyt. : hoc expressè inhibetur : unde sequitur, quod cum sit illud juris Ecclesiæ, possit in eo à Papa dispensari. Imò excipiunt aliqui casum gravis necessitatis, quando obligatio alterius præcepti prævalet, v. g. communicandi moribundum.

Cap. *de cohabit. cleric. & mulierum*, inhibetur hic *femina* : in Belgio tamen consuetudine contrariâ est aliter introductum, unde praxis habet, Beginas posse ministrare : quamquam hoc laudabiliter observent aliquæ, nec librum transportare, ampullas in altari collocare, & solùm respondere, nisi aliud necessitas requirat.

Dicendum 2. Rubricâ tertijā dicitur, quod Sacerdos debeat celebrare capite detecto, contrarium sub gravi poena statuitur cap. *nullus epist. dist. 1.* & quidem etsi iusta causa subsit, v. g. propter dolores capitis, calvitii, &c. Debet equidem ex constitutione Urbani VIII. adiri Pontifex, si commodè adiri possit, pro dispensatione, cùm hoc soli Pontifici post dictam constitutionem Urbani VIII. sit reservatum. Si verò non ita commodè adiri possit, Episcopo & Praelato quoad subditos dispensatio pro eo casu jure antiquo competere, est verosimile.

Dicendum 3. Ex praxi Ecclesiæ non videtur illicium

Capite detecto celebrandum.

Femina.

tum paramenta accipere in altari, ita tamen ut īfē-
riores Cardinalibus, & Episcopis, sumere bebeant
ex parte Evangelii.

Missa in- Dicendum 4. Missā inchoatā, non licet sub gravi
choata est poena & culpa ab eā persolvendā recedere, nisi urgen-
persolven- tissimā de causā. Si ante consecrationem recordetur
da. peccati mortalis, neque sine gravi infamiā haberi pos-
sit copia confessarii, non tenetur ab inchoatā Missā re-
cedere, sed præviā contritione prosequendum est. Si
verò commodè haberi possit copia Confessarii, v. g.
dum sedet Sacerdos sub gloria, sub graduali, *Credo*,
&c. omnino debet confiteri; cùm enim quoad partes
essentiales Sacrificium non sit inchoatum, major erit
irreverentia, in tali statu pergere, quām intermédia
Confessione Sacrificium paulisper interrumpere. Idem
statui posset, dum quis in decursu Missæ, recordatur,
se esse irregularem, suspensum, &c.

Dicendum 5. Si celebrante Sacerdote Ecclesia vio-
letur, de quā violatione postea, si non sit Canon in-
ceptus, debet Missa relinquī, secus si inceptus sit. Si
verò non sit inceptus Canon, debet Sacerdos expe-
ctare, donec Ecclesia sit reconciliata, quod facili ne-
gotio poterit ipse Sacerdos; si Ecclesia sit solūm bene-
dicta & non consecrata, factā reconciliatione debet
prosequi. Si vero incepto Canone, possit reconcilia-
tio commodè expectari, debet omnino expectare,
& facta reconciliatione pergere.

Si verò mors aut ruīna Ecclesiæ immineat, etiam
incepto Canone abrumpi Missa poterit, cùm Eccle-
siasticæ leges, non obligent cum tanto damno: imò
ob periculum irreverentia, deberet abrumpi. Si verò
eo casu facta sit consecratio, statim debet sumere Sa-
cramentum, cum aliæ partes non requirantur ad essen-
tiālē sacrificii. Si verò esset sola hostia consecrata,
posset eo casu vel hostiam solam sumere, vel eam se-
cum auferre, neque mutilatio hoc casu à Sacerdote
censetur esse procurata, sed urgentissimā de causā per-
missa solūm. Denique hoc & alio simili casu, debet

provideri quām sollicitē possit, reverentiae Sacra-
menti.

Dicendum 6. Non licet quoque missam sine causa *interrumpere*, cum sit compositum morale contiguum, unde interruptione solvit unitas ab Ecclesia requisita: quō autem minor vel major erit interruptio, eō minor vel major respectivē erit culpa. Imo quō missa est dignior officio divino, eō *interruptio missæ interruptione officii* est gravior culpa, unde etiam ad officium interrumpendum, non requiritur tanta causa quām ad interrumpendam missam.

Causa verò interrumpendi missam est gravis infirmitas, necessitas ventris dissolvendi, quod differri non potest, ad succurrendum moribundo &c. quæ interruptio non impedit morale contiguitatem sacrificii: unde resumens missam, debet progredi ab ea parte, in qua desit. In his autem, prudenti judicio judicandum erit, an necessitas & justa causa præponderet obligationi missam non interrumpendi, necne, & agendum illud, quod præponderat. Sic etiam interrumpi potest, ob concionem, vestitionem, professionem &c. præstaret tamen cum aliquali cantus musici diminutione pergere, quām ob illum interrumpi, unde præstaret à musicis interrumpi tantum & abrumpi, quām propter musicam interrumpi missam.

Dicendum 7. *Introitus* significat, & innuit, quā animi puritate ad altare Dei sit introeundum. *Confessio* subsequens, indignitatem Sacerdotis confiteretur, *& justus prior accusator est sui*: unde S. Mariam, Michaëlem, & alios sanctos invocat ad opitulandum: initium hoc missæ significat statum hominis ante adventum Christi, paccatis obrutum. Ipse introitus exprimit suspiria Patrum expectantium Christi adventum, unde toties dicitur *Kyrie eleison*, id est, *Domine miserere*. Sequitur *Gloria in excelsis*, quæ significat adventum Christi in carne, *Collectæ* verò significant pastorum & magorum adorationes & obsequia. *Epistola*

Stola significat prædicationem Joannis ante Evangelium: *Graduale* pœnitentiam, quam prædicabat Johannes. *Alleluia* significat gaudium animæ pœnitentiæ absolutæ. *Evangelium* innuit prædicationem Christi: *Symbolum* exprimit fidem prædicandam & confitendam, Hucusque durabat missa Cathecumenorum, eò quod hucusque interesse poterant cathecumeni, postea excludebantur.

Sequitur *Offertorium*, seu rei offerendæ oblatione & benedictione, ut in conspectu divinæ Majestatis, cum odore suavitatis adscendat, quod offert: ad hoc implorat Sanctissimam Trinitatem, & alios Sanctos. *Secreta* significat orationem Christi ante suam passionem, quandò orabat secretò. *Prefatio* significat aggratulationem puerorum Christo factam, clamantium *Ozanna in excelsis*.

Subsequitur *Canon* id est regula, eò quod sollicitè admodum præ aliis missæ partibus debeat observari. Hinc mysteriis abundat, & pietatem causat. *Elevatio Calicis & Hostie*, significat crucifixionem Christi & elevationem Crucis. *Oratio Dominica* constat 7. petitionibus, in memoriam 7. verborum, quæ Christus in Cruce locutus est, quam sequitur oratio *Libera*, &c. Quâ significatur omnes morte Christi liberatos à servitute Diaboli & peccatis. *Fractio & Mixtio Hostie*, significat divisionem animæ Christi à corpore, cui iterum fuit unita. *Pax Domini*, significat pacem, quam Discipulis toties prædicavit Christus. *Agnus Dei*, significat peccata mundi per Christum esse deleta. *Communio*, significat Communionem Christi cum Apostolis, cum Reliquias cibi dedit eisdem. *Benedictio*, significat benedictionem Christi adscendentis in Cœlum, dum elevatis manibus benedixit Apostolis. *Evangelium Joannis*, significat Prædicationem Apostolorum de Christi incarnatione. Mysteriorum prædictorum notitia cuilibet Sacerdoti est necessaria, ut dignè & fructuosè illa obeat & observet.

SECTIO IX.

De offertorio & ritibus ejusdem.

DI CENDUM primò, Offertorium est ritus missæ gravis, unde gravis erit deordinatio illud omittere : per illum enim res profana redditur apta & proportionata ad continendum rem omnium maximè sacram. Et licet Ecclesia aliquando contenta sit oblatione mentali v. g. quandò post consecrationem advertit Sacerdos hostiam non esse triticeam : non innuit ritum hunc non esse ita gravem, aut omitti libere posse, sed præceptum de offerendo externè ob timorem scandali suspendit, quā vel aliā urgente causā cessante, manet obligatio exteriùs ritum illum adhibendi, in suo vigore.

Dicendum 2. Si post oblationem adferantur particulae pro communicaturis, si adsit justa causa, posset adhiberi sola oblatio mentalis, v. g. ad vitandam confusionem, ad clerum communicandum: Aliàs, si justa causa desit, deberet eas verbaliter quoque offerre, maximè ante Canonem, quia eousque censetur oblatio moraliter perseverare. Si verò incepto Canone adferantur, docent plerique tuū non esse consecrandas, cùm sacrificium tunc sit moraliter inchoatum, undè consequenter docent, quod si eo casu adesset causa gravissima, puta moribundum communicandi, potius dança esset particula majoris hostiæ.

Dicendum 3. Si post oblationem calicis, aqua omissa superaddatur, non debet aqua benedici, eo quòd materia consecrationis, idest vinum in calico præviè fuerit benedictum, eo quòd pars principalis ad se trahat minus principalem: si cut si oleo benedicto addatur aliud non benedictum. Unde rubrica dicit, quòd si ante consecrationem advertat Sacerdos

Tom. III.

M

aqua in

aquam non esse admixtam : debeat eam statim addere , & consecrare nullà mentione oblationis factâ.

Dicendum 4. omittere benedictionem aquæ , item ablutionem digitorum , est solùm peccatum veniale , eo quòd non sit titus adeò gravis.

S E C T I O X.

De Canone, ejusque ritibus.

DI CENDUM primò prolati verbis *se legitur* , &c. simul cum gestibus , præscribitur in rubrica , & Canone addere nomen Episcopi , puta talis in cuius territorio celebratur. Si verò quis celebret in locis ab Episcopo exemptis , v. g. quæ subsunt Abbatii , verò similius non debet nominari vicinioris Episcopi nomen , sed omitti , cùm aperte dicat rubrica nomen Episcopi talis loci : unde idem esset , ac si Episcopo mortuo sedes vacaret. In quibusdam quoque partibus additur hīc nomen Regis loci , in aliis non additur , unde praxi loci sese debet accommodare celebrans Sacerdos.

Dicendum 2. Sacerdos orare potest in suo *memento* modo opportuno , si per casus nominum discurrat : v. g. *nominativo* casu pro se ipso. *Gemitus* : pro genitoribus : *dative* pro benefactoribus , &c. hoc tamen notandum expediens admodum esse , si præviè in sacrificia in particulari fiat commemoratio illorum , pro quibus quis vult orare.

Dicendum 3. Applicationem Missæ fieri convenit in primò *memento* , etsi ante Missam applicatio illa fieri posset. Cùm verò Sacerdos sit dispensator misteriorum fidei , debet speciale fructum , id est , qui correspondet illi , pro quo celebratur , applicare alicui. Poterit autem illum fructum applicare , tum sibi tum aliis non impeditis : excommunicatis enim vetat Ecclesia precibus & sacrificiis communicare , unde

tunde si pro illis celebret, ut Minister Ecclesiæ, contravenit in re gravi, statuto Ecclesiæ, quo casu erit non tantum illa applicatio illicita, sed etiam invalidat cum enim agat hoc casu, uti supponitur, ut Minister Ecclesiæ, non potest agere ultra intentionem Ecclesiæ præscriptam, quæ excommunicatos excludit. Si vero Sacerdos celebrat, ut Minister particularis, licet validè & licet privatâ oratione illis prodesse posset. Si denique ut Minister Christi, applicatio facta excommunicatis erit quidem valida, sed illicita: peccat enim contra legem Ecclesiæ procedendo. Valet tamen applicatio, cum potestas consecrandi & applicandi missam, annexa sit ordini sacerdotali, ergo sicut Ecclesia non potest facere, ut Sacerdos validè non consecret, dum cetera essentialia adhibet, ita nec invalidare applicationem. Dicta intellige de excommunicatis vitandis, non item de non vitandis, quibuscum communicare in spiritualibus, à Martino V. bullâ *ad evitanda*, fidelibus est permisum, de quo alibi actum est.

Dicendum 4. Non licet offerre missam pro damnatis, eò quod omnis planè fructus sint incapaces. *Damna-*
tū, beatū
an missa
Pro Beatis vero non potest offerri missa, ut illis pro-*posuit ap-*
fit in remissionem poenæ vel culpæ, aut in gratiæ*plicari*,
vel gloriæ essentialis augmentum, bene tamen ad
gratificandum Deo, quod beatos patronos nostros
posuerit & acceperit.

Pro defunctis quoque æquè ac pro vivis offerri potest hoc sacrificium, uti patet ex Conc. Trid. sess. 22.c. *An Missa*
de requie-
z. Hoc tamen notandum est, Missam de requiem plus il-
lis prodesse, quam aliam, quod ad fructum impetratio-
nis, eò quod orationes hic sint magis ad id congruae:
etsi hoc in alia missa satis quoque possit compensari,
v. g. majori devotione celebrantis &c. *An Missa*
celebratur &
Missam
pro vivo
quamquara
pro defun-

Celebrare missam pro vivo tanquam pro defuncto, Ecclesiæ ordinationi est contrarium, neque ex eo more ulla utilitas poterit expectari, eò quod missa duobus modis soleat conferre suum effectum, scilicet *An Missa*
celebratur &
Missam
pro vivo
quamquara
pro defun-

ex opere operato , quatenus Sacerdos celebrat in persona Christi , qui statim confertur , neque in futurum suspendi potest : alio modo ex opere operantis , & per modum impetrations , quatenus Ecclesiæ preces sacrificio adjunctæ sunt , illæ autem referuntur ad mortuos in missa de requiem , non item ad vivos. Deinde , et si olim dissimulaverit in contrario facto Caroli V. tamen Ecclesia modò aliter jure ordinat , ut patet ex dictis.

*Fructus
Missa nul-
li appli-
catus revo-
nitur in
thesauro
Ecclesia*

Dicendum 5. Licet sacrificium applicare peccatoribus quoad fructum impetrationis , puta ut convertantur : non itidem quoad fructum satisfactionis , cum non remissâ culpâ , non remittatur pœna. Si autem Sacerdos alicui fructum applicavit , cui prodesse non potest , v. g. damnatis aut beatis , si nulla ulterior restricta sit celebrantis intentio , reponitur fructus ille in thesauro Ecclesiæ. Notandum autem , rectè sacerdotis celebratur intentionem ita restringi , ut casu quo illi , quem intendit , fructus missæ prodesse non possit , id amicis proximioribus velit applicare.

*An appli-
catione illi-
cita sit
etiam in-
valida.*

Dicendum 6. Applicatio illicita , v. g. facta alteri contra voluntatem superiorum , non itidem est invalida , quamvis enim inferiorum velle , & nolle dicatur esse penes superiores , hoc solùm intelligi potest , de directione actus , non itidem ejus valore , neque superiores quidquam possunt circa valorem celebrationis , si cætera essentialia adsint , cum actus Sacrificii sit actus Ordinis , cuius potestas non subiaceat authoritati superiorum. Neque ideo Deus ad illicitam applicationem fructum conferens , approbat eamdem , sed solum eam permittit , ne ordinem à se institutum disturbet : alias enim nec malus Sacerdos verè sacrificaret.

*Superior
an posse
imponere
subditu
applica-
tionem
Missæ,*

Dicendum 7. Possunt superiores justâ de causâ imponere subdiis & restringere Missæ applicationem , v. g. si Monasterium vel ratione fundationis , vel stipendorum obligationibus sit gravatum : quo casu ex lege justitiæ debent subditi illis satisfacere. Unde neque

Neque propriè condit superior eo casu novam legem, sed dictat & declarat jus naturæ de satisfaciendo obligationi ex justitia contractæ.

Hoc tamen notandum est, quod superior pro suo libitu non possit Missas imponere, uti nec potest semper præcipere ea, quæ sunt supra regulam: unde conformiter ad regulam cujusque potest Missas injungere, & prout necessitas expostulat. Hinc non possunt subditis injungere Missas, ipsis superioribus stipendia accipientib[us], quæ usui suo speciali applicant, aut aliquando dilapidant. Et ratio ejus est, quod superior solum habeat jurisdictionem in subditos, in iis quæ concernunt bonum subditorum & Monasterii, non item proprium. Unde multo minus possunt aliis injungere missas, & aliis stipendia tribuere. Denique notandum ex communi Doctorum sensu, quod superiores non possint ita gravare hic suos subditos, ut ne semel quidem in mense sint liberi in applicando.

Dicendum 8. Quatenus Sacerdos celebrat in persona Ecclesiæ sic nullum omnino validè aut licite excludere potest ab applicatione missæ, eò quod Ecclesia intendat orare pro omnibus, adeoque Sacerdos mandatarius non potest excedere fines mandantis: Unde à fructu generalissimo aliquem excludens peccat mortaliter, contraveniendo constitutioni Ecclesiæ in re gravi. Ut autem celebrat in persona Christi, sic potest uni aut pluribus fructum medium seu speciale applicare, cui voluerit, cum ita celebrans habeat facultatem intentionem suam restringendi ex vi ordinis Sacerdotalis: si denique celebret ut persona privata, poterit orare pro eo, pro quo voluerit, modo neminem ex odio aut alia pravâ intentione excludat.

Dicendum 9. In applicatione missæ prevalet intentio actualis, virtualis sufficit, habitualis juxta plurimos sufficit; ex eò, quod intentio offerendi quidem debeat influere vel per se vel suâ virtute in oblationem: applicatio vero, quæ est donatio, non debet in

*Exclusio
a fructu
missæ.*

rem applicandam influere , sed eam supponit. Neque ideo pro Missis toius anni sufficit semel unica applicatio , cum debeat morali judicio censeri applicari ex tali intentione Missa pro aliquo , quod hoc casu vix moraliter censeri potest.

Dicendum 10. Ut vivorum Sacerdos meminit : ita & meminit mortuorum post Consecrationem , sicut Christus vivorum curam gessit ante mortem , prædicando , sanando , &c. & post mortem mortuorum , descendendo ad inferos. Hoc tamen notant discrimen , quod in *Memento* vivorum oculis clausis oratio mentalis præscribitur , ob periculum distractionis : in *Memento* autem mortuorum , oculi aperti sint intenti in Corpus Christi. Deinde notari potest , quod in commemoratione mortuorum habeatur duplex NN. non quod expressè nominari debeant pro quibus rogandum est , uti & antiquitus fieri solebat , dum in tabulâ scriberentur & legerentur defunctorum nomina pro quibus orabatur : Quod jam arbitrio Sacerdotis relinquitur , vel pro iis orare nominando vel mente eos retinendo.

Dicendum 11. Species Consecratæ solent variis benedictionibus benedici , non quasi non essent anteà benedictæ , sed ad significandum crucis mysterium , aut significandum res esse benedictas , aut etiam benedicuntur in personâ Christi.

Notandum ulterius applicationem Missæ fieri se-riùs post Consecrationem , eò quod in Consecratio-ne Missa essentialiter consistat , & statim factâ consecratione conferat suum effectum , qui neque suspen-di potest.

SECTIO XI.

Varia in Canone notanda.

IN principio Canonis dicitur *Te igitur*, &c. ut continuatio precum præfationis. Dicuntur autem *Hæc dona, hæc munera*, &c. per anticipationem. Dicitur *Deo memento*, non quasi possit Deus obliuisci, sed *memento* idem est, quod *Miserere*: Unde S. August. l.

II. confess. c. i. *Numquid, ait, Domine, cum tua sit Dei m-*
aeternitas, ignoras, que dico tibi? non utique, sed affe-
minisci est misericordiæ tuæ super nos.
Etum meum excito in te, et misericordias tuas super nos.

Dicitur quoque *Vel qui tibi offerunt*: Audientes enim Missam, etiam Sacrificium offerunt approbando & consentiendo iis, quæ in Sacrificio aguntur.

Additur *Pro redemptio animarum*, non quasi animæ jam redemptæ forent, sed ut redemptionis premium iis applicetur.

Per *Communicantes*, intelligitur communicatio Ecclesiæ triumphantis & militantis. Deinde sola Martyrum nomina, non item Confessorum apponuntur, eo quod ii Hostiam & Sacrificium Deo obtulerint.

SECTIO XII.

De Communione Sacerdotis & preambulis.

DICENDUM primò, Hostia frangenda est in loco inferiori, non verò in superiori, ut volunt aliqui, tum quod ita habeat Ecclesiæ praxis, tum quod pars inferior commodiùs Calici immittatur, quam superior.

Dicendum 2. Tenetur Sacerdos sumere Hostiam à se in eodem Sacrificio consecratam, cùm aliæ Ho-

stiae, et si contineant eum deinde Christum, tamen non est idem, ut est victima hujus Sacrificii. Hinc & rubrica habet, quod si Hostia miraculosè dispareat, debeat alia sumi & consecrari, quod minimè alias opus esset, cum posset hoc casu sumi Hostia præconsecrata.

Sacerdos generatur communicare, ut ait Concilium Tridentinum, sessio 13. c. 5. missa est sub ex traditione Apostolorum, immo verius ex jure dividinâ specie.

Dicendum 3. Tenetur Sacerdos sub utrâque specie communicare, ut ait Concilium Tridentinum, sessio 13. c. 5. ex traditione Apostolorum, immo verius ex jure dividinâ specie. adeò ut Papa in contrario non possit dispensare, eo quod juxta aliquos sumptio spectet ad effsentiam Sacrificii, vel saltem ad ejus integritatem, de quo antea. Hinc in rubrica tam arctè præcipitur utriusque speciei sumptio, ut deficiente Sacerdote ante sumptionem, debeat alter sumptionem supplerre.

Dicendum 4. Hostia non est à Sacerdote sumenda ut alii cibi, masticando, sed modestè linguâ molllificatâ sumenda, & sensim deglutienda, ac denique linguâ, quoad fieri potest, omnes particulas pallato adhærentes colligente, sumendus est sanguis. Sanguis vero sumendus est modestè & reverenter, quod aquæ uno ac pluribus haustibus fieri potest, de quo disputant alii. Si vero sumpto sanguine maneat particula Hostiae adhærens Calici, vel dígito reverenter trahienda est ad oram Calicis & sumenda, vel vinum infundendum & unâ cum vino sumenda, quod forte priori modo erit decentius, quod & rubrica monet de defectibus.

Hostia vero debet sumi ante Calicem, quem ordinem inverterere est grave peccatum, contra usum Ecclesiæ in re gravi. Imo hoc verius apparet esse juris divini, eo quod Christus hoc Sacrificium instituit, ut est verum convivium, cuius ratio exigit, prius sumi cibum, deinde potum.

Purificatio Calicis. Dicendum 5. Purificationem Calicis omittere est peccatum mortale: Cum sine gravi irreverentia, vix fieri possit, ut nihil de sanguine in Calice maneat,

maneat, unde periculum ne sanguis irreverenter tractaretur.

Dicendum 6. Fragmenta post sumptionem Calicis etiam sumi possunt à non jejuno: ^{Fra. men.} Talis enim verè ^{ta Sacri-} jejunus sumpsit Sacramentum, & sumptio fragmentorum est quid accessorium ad principale. Alias enim semper fieri solet, ut aliquid Sanguinis aut Hostiæ adhærens palato aut linguae, post purificationem sumptam & deglutiatur à non jejuno. Unde moraliter manet jejunus in ordine ad tales particulas. Præstat tamen ante sumptionem Calicis eadem patenâ colligere, & sanguini unita sumere. Imò addunt aliqui, quod etiam in Sacrificiâ possent sumi in reditu ab altari.

Idem dicendum quoque est de fragmentis alterius Sacerdotis in patenâ aut Calice relictis, & à te repertis, cùm & illa pertinere censeantur ad subsequens Sacrificium alterius Sacerdotis. Patet hoc etiam in modo purificandi pixidem iteratis purificationibus post sumptum sanguinem. Et hoc dicunt generaliter de omnibus fragmentis tam grandioribus, quam majoribus; secus de integris formulis, quæ ad usum fidelium consecratae, reservari debent ad eundem usum, nisi forte ex reservatione timeretur irreverentia Sacramenti.

Dicendum 7. Si sit dubium an sint reliquiae hostiæ consecratæ vel non consecratæ, debet eas sumere in altari post sanguinem sumptum, vel etiam purificationem: si verò deprehendantur extra altare; ^{In causa} debent tradi sumendæ alteri sacerdoti, vel sine lumine & stolâ à sacerdote recondi in tabernaculo, quod si desit, debent poni in Corporali ad dictum finem. Hoc tamen notandum hic est, quod plurima aliquandò videantur esse fragmenta, quæ revera talia non sunt, ut sunt furfures, atomi, excrementa capitis aut barbæ, pelliculae cutis &c.

Dicendum 8. Fragmenta possunt dari Laicis communicantibus, tam cum aliâ formulâ, quam cum ablutione, ut sèpè fit quando Laïco dato Sacramento,

mento, sacerdos in ablutione Laico faciendā abstergit digitos, & particulæ extersæ dantur unà cum ablutione Laicis communicatis, quod & præcipit rituale Rom. Pauli V. de communione infirmorum.

Modus purificandi pixidem.

Dicendum 9. modus purificandi pixidem est ille, juxta Gavantum: quòd in missâ debeat fieri ante calicis purificationem, cum indice manûs collectis fragmentis, & ad oram calicis admotis, deinde vinum calici infundendum, & cum calice circumagendum, & sumendum. Alii dicunt hoc esse indecens, eo quòd particulæ cum indice colligi nequeant, nisi indice madefacto salivâ, unde & in simili indecens docent, indice particulam hostiæ calici adhærentem ad oram calicis admovere, de quo mox antea. Unde alii dant hanc praxim tanquam magis decentem: quod sumpto sanguine, fragmenta debeat colligi & fundi de pixide in calicem, si quæ adhæreant, purificationibus iteratis sunt effundendæ, & tandem pixis abstergenda. Alii verò docent ea ita collecta, simul cum sanguine esse sumenda, quod forte & tutius erit & praxi Ecclesiæ conformius.

S E C T I O XIII.

De Communione Laicorum.

Dispensator Sacrif.

DI C E N D U M primò, Sic Sacrificium istud instituit, (Christus) cuius officium committi voluit, solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent ceteris. Unde patet ministrum & dispensatorem sacrificii ex officio suo esse sacerdotem, etsi ex dispensatione illâ committi possit Diacono, qui antiquitus solebat dispensare sanguinem, uti S. Laurentius olim dicebat Sixto: *Cui commissari Dominici sanguinis dispensationem.* Cùm verò dispensatio hujus Sacramenti requirat jurisdictionem, sequitur quòd ordinarius ejusdem dispensator sit Episcopus & Parochus,

chus, quorum officium proprium est, oves pascere. Alii autem censentur habere jurisdictionem præsumptam, qualem ex praxi Ecclesiæ habet quilibet Sacerdos, sed duntaxat delegatam.

Dicendum 2. Communio debet dari ab alio, et si communicans sit Sacerdos, cum hoc casu communionis Sacerdotis datum. Dicitur more Laicali: aliud esset, si deesset sacerdotis copia, & necessitas communionem exigeret. Quin imò antiquitus dabatur viris Eucharistia in manibus, feminis in corporali sive linteo mundo, unde ante fores templi lavacrum erat positum, ut communiciatur manus suas à sordibus lavarent. Imò Regina Scotiæ, ne ante martyrium hoc Sacramento privaretur, aliquot formulas consecratas secum in carcere detulit, & propriis manibus sese communicavit. Quare itidem in casu similis necessitatis etiam Laicis, hujus Sacramenti dispensatio commitii posset.

Dicendum 3. solos homines posse esse hujus Sacrificii participes, & quidem baptisatos. Pueris, et si olim Eucharistia daretur, tamen rituale Romanum jam dudum hoc inhibuit ob periculum illud irreverenter tractandi, neque cum reverentiâ & devotione debitâ. Pueri verò, et si post adeptum rationis usum Pueri citius debent communicare, non tamen tam citò tenentur citius communicare, cum citius peccatorum gravitatem judicare possint, quam reverentiam huic Sacramentum debitam. Quam citò tamen ad communionem tales admittendi sint, prudenti judicio debet determinari, attentâ judicij & intellectus puerilis maturitate & sagacitate. Quando autem semel admissi sunt, tenentur deinceps præcepto communionis annuæ. In articulo tamen mortis, omnes omnino adepti rationis usum, hoc Sacramentum sumere debent, quod & in praxi erit observandum, quidquid aliqui in contra minus consideratè dixerint. Imò in dubio an puer rationis usum adeptus sit nec ne, tutius communio daretur, cum de incapacitate non constet,

constet, & in dubio sayendum sit animæ pueri, &
de cætero non sit timor irreverentia.

Amentes, Parentri, ei, &c. Dicendum 4. perpetuò amentes & phrenetici non sunt sicut pueri ad communionem admittendi. Si tamen præviè ante amentiam hoc sacrificium expostulassent, deberet illis dari in articulo mortis, nisi sit periculum irreverentia. Ita expressè statuit Con. Carthag. 4. c. 48. & Catechis. & Rituale Romanum.

Semifatu Semistultis autem, potest ac debet hoc Sacramen-tum dari in paschate & articulo mortis, modo irrever-entia periculum absit. Quoties tamen extra dictos casus sint hi admittendi, prudentis Confessarii judicio est determinandum, prout se se niagis aut minus devo-tè erga hoc Sacramentum gerunt. Idem est de surdis & mutis.

Energumens. Energumenis olim negabatur ob decentiam: po-stea in Conc. Araus. 1. can. 14. iis conceditur, modo absit irreverentia periculum.

Peccato- Dicendum 5. Peccatoribus manifestis & publ'cis,
rūs. deneganda est S. Eucharistia, idque sive publicè, sive privatum eam petant. Ratio est, quod ad fidelem dispensatorem spectet indignos, ut Sacramento injuriós rejicere, neque sanctum dare canibus: Matth. 7. Tales sunt publici concubinarii, infames, mergtrices, usurarii, item mulieres ornatu lascivo incedentes, quæ in publica peccatrices à tam Augusto Sacra-men-to sunt arcenda.

Peccatores occulti occuliè hoc Sacramentum pe-tentes de quorum emendatione Sacerdoti non con-stat, arcendi sunt. Si verò publicè petant, si sine scandalo repelli non possint, admitti possent; aliud est, si timor scandali absit: eo quod præceptum vi-tandi scandali naturale, hic prævaleat. Ita rituale Rom.

Non licet tamen peccatori tali dare hostiam non consecratam loco consecratæ, cùm fictio illa menda-cium contineat, quæ in Sacramento est execrabilis, cùm minister verbis & factis ostendat ibi esse Chri-stum

stum, ubi revera non est, ut ostenditur. Deinde materialis idolatria h̄ic valde difficulter evitari posset; unde nec ipse Christus voluit cum Judā proditore simulare, sed verum suum corpus illi obtulit & suum sanguinem.

Dicendum 6. Dispensans hoc Sacramentum in *Diffen-*
statu peccati mortalis plausibiliter dicitur non peccare *sans in*
mortaliter, si aliqua dispensandi necessitas postulet: *statu pec-*
non enim h̄ic Sacramentum conficitur, sed dispensa- *cati mor-*
tursolum & applicatur: aliás enim & ipse illud tan- *salu S.*
gens in tali statu peccaret mortaliter. *Eucharis-*
tiām.

Habitus hic, ultra vestes Clericales, sunt superpel-
liceuni & stola: ritus sunt, confessio à Ministro præ-
missa: digitii, quibus danda est Eucharistia, juxta
rituale Rom. est index & pollex manūs dextræ, unde
in his digitis præ chyragrā v. g. impeditus, non posset
Eucharistiam dispensare extra casum necessitatis. De-
inde, tempore pestis, non potest Eucharistia dari in
cochleari, ut sibi hoc pacto Sacerdos caveat, unde,
& hoc graviter inhibet Ecclesia Mediolanensis. Etsi *Diffinitas*
enim tempore necessitatis communicandi, v. g. ob *tio Eu-*
infirmitatem ejus, hoc liceret, nullatenus tamen ad *charistia*
cautelam ministri. Libet audire Carolum Borro- *tempore*
mæum Mediolan. anjistitem de curâ Pastorali: *In*
omni Sacramento, multoque magis in sanctissimâ Euchari-
stiâ ministrandâ cavebit (Sacerdos) ut evitandi periculî
causâ, ne quid vel minimum quod nocivum sit, administra-
tionis ritum introducat, neve instrumentum, aliudve quid
simile ad administrationem pro digitis, vel adeo in iis ipse
adhibeat. Unde patet quòd contra Ecclesiæ ritum hoc
casu illicitè adhibeantur cochlearia, scutellæ, lintaæ,
papyrus, unde æger Eucharistiam sumat: item chiro-
tecæ, oblongiores forcipes aurei vel argentei, &c.
Permittit tamen S. Præfus omnem cautelam possibi-
leum adhiberi, unde addit: Quando hominis peste infecti
suspectivè confessionem audit, loco audias qui aliquantulum
à lecto distet. Cum verò sine magno illius incommodo id fieri
potest, caret licet, ut ad fenestram, aut ostium, aut in por-
cicuum,

sicum , aliumve locum apertum accedat , ubi illum confitentem audiat , ut cubiculum declinet , in quo contagionis periculum timeri solet , eadem cautione in sanctissimæ Eucharistie ministratiōne utatur . Quibus & hoc adde , ut faciem aversam ab infirmo , quantum possit , teneat , dum audit confessionem , ne se sistat inter aërum & ignem aut fenestram , cum aëris & ignis venenum contagii attrahere soleant .

Sacerdos distribuens & accipiens S. Eucharistiam. Dicendum 7. Caveat quoque in distributione Eucharistie Sacerdos , ne digitis suis tangat os aut labia communicantis , ne madefiant , & sequentes hostiae iis adhaereant , unde debet formulam capere in extremitate , non itidem in medio . Debet quoque pixidem tenere infra hostiam . Si vero Sacerdos ipse communiceat , debet esse induitus stolâ coloris temporis congruentis , immo hoc graviter præcipitur capt . Ecclesiæ dist . 23.

Dicendum 8. Laicis non licet accedere ad Eucharistiam cum pugione , in signum reverentiae & supplicis venerationis : eadem de causa non solet accedi cum chirotecis manibus obvolutis . Excipiunt tamen aliqui eos , qui ensem gerunt in signum defensionis Ecclesiæ v. g. equites Religiosos militares S. Jacobi , Joannis , Alcantaræ , &c. Sicut aliquæ nationes ad Evangelium ensem extrahunt , in signum defensionis Evangelii .

Ordo communionis canonicum. Dicendum 9. Ritus accipiendo Laicis S. Eucharistiam , uti ante diximus , modo est eam ore accipere , et si olim manu aut linteo accipiebatur , uti domi asservata , Missa ad absentes , in itinere delata , defunctis conseputa , &c. Quæ omnia , abusibus & sacrilegiis inde obvenientibus Ecclesia providens , jure obrogavit . Ordo quidem communionis priscæ erat ille , quod celebrans primò se communicaret , deinde Episcopos , si qui aderant ; presbyteros , Diaconos & Subdiaconos , Monachos , Diaconissas , &c. Primum viros , deinde mulieres . Immò nulli ad S. Synaxim admittebantur , nisi noti , unde dicebat Sacerdos aut Diaconus , agnoscite invicem : Quod etiamcum Græci obser-

Observant, ut nomen communicantis ignoti, inquirant, quare & S. Eucharistiam distribuens dicit : *Sanmis serve Dei N. pretiosum & sanctum Corpus & Sanguinem Domini & Salvatoris nostri Iesu-Christi in remissione peccatorum tuorum & vitam aeternam.*

Situs vero Græcorum communicantium est ^{situs} etrus, adeo ut stantes communicent, sed pronâ facie & dimissis oculis : apud Latinos genuflexi communicant, nisi Sacerdos, & Diaconus in Missâ Pontificis : imò ipse Pontifex solemniter celebrans sedens communicat unani suæ hostiæ partem, aliam in duas partes divisam, dat Diacono & Subdiacono : uti & sanguinem fugit fistulâ aureâ, cuius residuum Subdiacono item & Diacono fugendum tradit.

Antiquitus autem soli Prælati aut Præpositi Eucharistiam dispensabant, nam ut ait Tertullianus de coronâ mil. c. 3. *Eucharistiæ Sacramentum non de aliorum manibus, quam de Præsidentium sumimus.* Et S. Dionys. c. 3. Eccl. Hier. *summus Sacerdos ait, accipiens & tradens dominicam communionem, in sacram gratiarum actionem desinit.* Sic verò Prælati erant fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.

Luc. 12.

SECTIO XIV.

An Laici Communicare debeant sub utraque specie.

DI CENDUM primò Laicos initio nascentis Ecclesiæ sub utrâque specie communicasse constat. Non tamen omnes, uti patet ex eo, quod domi asservaretur, in itinere deferretur, ad absentes mitteretur, &c. Quod in unicâ specie factum esse, est verisimile. Hunc usum Græci etiamnum imitant̄, panem consecratum Sanguini intinctum præbent, quam communionem intinctam olim obserjavit Ecclesia,

nisi insin-

commu-
nican-
tium.

clesia. Sequenti verò tempore soli in Missa assistentes utrâque specie communicabant, deinde periculo irreverentiae obveniens Ecclesia, in una solum specie Laicos communicat. Huic pertinacia Hæretorum statim fese opposuit, docens jure divino præceptam esse Communionem sub utrâque specie: quibus se opponens synodus Trid. sess. 22. c. 1. & can. 1. ita ait: *si quis dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere, Anathema sit.* Unde & S. Scriptura in unius speciei sumptione Communione absolvit, v. g. dum ait. *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in eternum;* & alibi. Deinde act 2. erant perseverantes in Doctrina Apostolorum & Communicacione fractionis panis & orationibus. Nec dici potest, hic per Synechdochem partem ponit pro toto, cum inter Christianos essent tum multi nazarei, qui vino abstinebant. Patet quoque ex continuo Ecclesiæ ysu, quoad argos, absentes illam detulit. Deinde olim in Ecclesia in pœnam constituebatur clericis *Communio Laica*, quam vocabant *peregrinam*, loco communionis clericalis, v. g. clericis furibus, ducentibus viduam, &c. Meminerunt etiam SS. PP. Communionis Peregrinæ, de qua agit Card: Barronius ad annum 407. num 40. erat autem Communio illa, participatio precum, quâ gaudebant peregrini ad alienam Ecclesiam divertentes: moris enim erat in Ecclesia veteri, ut peregrinis se Christianos profertibus, in iis quæ sunt naturæ & hospitalitatis, exhiberetur humanitas, & ad communes Ecclesiæ preses admitterentur, non tamen ad sacramentorum participationem, nisi certa Fides fese Catholicos esse comprobassent. De hac agit Sosomenus l. 8. c. 13.

Ratio etiam idem confirmat, cum totus Christus sit sub una specie, etsi prout est sacrificium, requirat utramque speciem; ut est Sacmentum, una sufficiat. Denique sub utrâque specie communio causasset sapientiam, puta effusionis sanguinis, neque

*Communio Laica
sive peregrina.*

neque ita commodè fieri potuisset communio in locis in quibus vinum est admodum rarum, uti esse dicitur in Japonia, Norwegia, &c. Adde, quòd multi vel à natura vel educatione sint abstemii, & à vino abhorreant: qui vel fructu sanguinis carerent, vel cum periculo ejectionis illud reciperent.

His & aliis de causis jure merito Ecclesia statuit Communionem Laicalem sub unâ specie, etsi cum aliquibus in eo possit dispensare.

Frivola verò sunt, quæ hîc objiciunt heretici nostri: ut quòd à Christo dictum sit Matth. 26. *Bibite ex eo omnes.* Deinde quòd Joan. 6. dicatur, nisi manducaveritis carnem filii hominis, non biberitis ejus sanguinem. In primo enim loco solum fit sermo ad Apostolos, non itidem ad Laicos. Deinde illud nisi in alio loco objecto, idem est, ac si non, vel se neque, adeò ut sensus sit, si neque carnem manducaveritis, neque sanguinem biberitis. Negatio enim posita in principio, Phrasî Hebræa negat utramque partem.

Dicendum 2. non plus gratiæ conferunt duæ species, quam una: totum enim, quod duabus continetur, continetur quoque sub una. Si verò utraque species sumatur, tunc eadem gratia datur quasi duplice jure & titulo: neque dici potest, quòd alius sit effectus cibi, alius sit effectus potûs; quia etsi hoc fiat in corporalibus, tamen id non fit in spiritualibus, uti & in illis corporalibus, quæ simul cibi & potûs rationem habent.

S E C T I O X V.

De frequenii communione Laicorum.

DICENDUM primò, Quæstio satis celebris est, an Laicis consulenda sit frequens Communio. Pro cuius intelligentiâ prænotata vellem hæc sequentia:

1. Quæstionem esse posse, quid de se sit magis bonum,

Tom. III.

N

num,

2. An attentis conditionibus Laïcorum hujus corrupti sæculi , sit regulariter illis frequens communio consulenda.

Quo posito dico 1: Indubie secundum se esse melius sæpe communicare , quam raro. È de causâ optaret Synodus Trid. sess. 22. c. 6. ut omnes fideles adstantes Missis , Sacramentali etiam perceptio ne Eucharistiae communicarent , quod non optaret , si non esset perfectius.

Dico 2. Potest aliquid secundum se perfectius , respectu aliquorum esse minus expediens , quam oppositum : v. g. cœlibatus præstat matrimonio : Tamen aliquibus incontinentibus præstaret nubere , quam non nubendo uri. Sic etiam nihil tam Sanctum , quin pravo fine & pravâ intentione possit prophanari , nec aliquid prodest , quod non lädere possit idem. Hinc attentis curis & occupationibus hominum Laïcorum , & corrupti hujus sæculi moribus rectius judicant frequentiorem communionem Laïcis non convenire. Clarebit hoc ex solutionibus alterius opinionis fundamentorum.

Primò quidem contrarium docent , ex praxi nascentis Ecclesiæ de qua ait Evangelista act. 2. *Erant perseverantes in Doctrina Apostolorum & communione fractionis panis :* Imò usque ad tempora Anacleti , communio quotidiana adstantium Missæ post consecrationem , sub pœnâ erat præcepta. Ad quod resp. Ecclesiam mutatis moribus , recte immutare leges & consuetudines. Unde frigescente charitate Ecclesiæ , usque ad tempora Fabiani , constitutum fuit ab Ecclesiâ , singulis Diebus Dominicis communicare , qui dies panis indè est dictus. Postea moribus in pejus abeuntibus statutum fuit , solum tertio in anno communicare , in Paschate , Pentecoste & Nativitate Domini. Postremò Innocentius III. Christianorum feryorem fermè sopitum considerans ,

rans, statuit, ut saltem semel in anno circa Pascha communicarent. Unde ad locum Scripturæ objectum, dico primò, ex illo non rectè inferri, quòd omnes omnino Laïci quotidie communicarent, cùm Evangelista solum agat, de Christianis Judeæ & Alexandriæ. Deindè, dato, quòd sit sermo de omnibus Christianis, tamen nihil inde conficit objectio. Notanda enim Christianorum illorum puritas & innocentia, quorum cor unum erat, & anima una qui unanimiter quotidie perseverabant in Doctrinâ Apostolorum & oratione, quorum erant omnia communia, &c. Unde, ut concluderet argumentum, probandum foret, eamdem remansisse ad quotidiam communionem, aptitudinem, quæ promiscuè in Laïcis hujus saeculi deest, ne dicam & Ecclesiasticis.

Fundant se quoque in dicto desiderio Concilii Trid. ses. 22. c. 6. uti etiam, quod à SS. PP. dicatur *Panis quotidianus*. Ad quæ Resp. Rectè admodum hoc à Concilio optari, cùm secundum se sit perfectius sèpè communicare, ratione uberrimæ gratiæ, quam confert Eucharistia: unde consequenter optat, ut quilibet tremendo illo Sacramento dignum & aptum sese efficiat, ut sunt illi, qui vestem nuptialem indui ad divinam hanc mensam accedunt, ut ait idem Conc. c. 8. de qua veste sive puritate mox infra differemus, quo se lector hic referat.

Dicitur quoque S. Eucharistia *panis quotidianus*, ut Eucharistia signanter S. Amb. l. 5. de Sacram. c. 4. ubi ait: *Si panis quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? accipe dianus. quotidie, ut quotidie tibi proficit.* Idem docent variis alii SS. Patres: verum eo loquendi modo hoc solum innuunt vel quòd panis ille quotidie ab aliquibus saltem sumatur, vel quòd quis ad hoc tendere debeat, ut quotidie dignus sit, hunc Angelorum panem accipere: unde S. Amb. loco citato subdit: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.*

Ex quo patet patet, attentâ puritate requisitâ ad dignam Eucharistiæ sumptionem, & corruptis hujus saeculi

culi moribus, promiscuè S. Synaxum non debere Laici quotidie commendari.

Dicendum 2. Quoties consultum sit alicui communicare, non ita generaliter definiti potest, sed attentâ alicujus puritate conscientiæ, à curis sacerularibus alienatione, divinis rebus intentione, &c. Prudentis animæ rectoris est judicare. Hujus officium erit sedulò investigare, quo fine, quâ intentione hoc Sacramentum desideret; sicut enim aliquando fames corporalis oritur ex dispositione stomachi; ita &c fames illa spiritualis aliquando oritur ex indispositione animæ, puta ex merâ consuetudine, ex vanâ gloriâ, &c. Unde in signum illius, posset aliquando probare spiritum, si ex Deo sit, inhibendo aliquoties communionem, quæ inhibitio aliquando radicem illius consuetudinis indicabit. Docet illud pious æquè ac Doctus Bonav.

c. 77. de profectu Religiosorum his verbis: *Si aliquis desiderat experiri, utrum sit melius, sèpius aut rarius corporis Christi suscipere Sacramentum: videtur mihi, quod non possit super hoc omnibus dari regula uniformis. Varia sunt hominum merita, & diversa operum studia, & differentia desideria, & multiplices Spiritus S. operationes in singulis, & diversetiam status in religione. Et ided sicut ægrotantibus non potest una forma servari in dandis medicinis corporis, propter diversitates complexionum, aut loci, aut temporis, aut diete, aut aliarum considerationum, pro quibus aut rarius, aut sèpius, aut majori, aut minori quantitate eadem medicina datur: ita & de medicinâ spirituali, quæ est corpus Christi, est intelligendum. Mundanis enim curis occupati, rarius possunt se ad illud recipiendum expedire, quam illi, qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti. Et alii magis, & alii minus sunt circumspecti in custodiâ vita sue, & morum, & conscientiæ sua puritate. Alii etiam ardenter desiderio trahuntur ad illius salutaris cibi perceptionem. Alii verò quodammodo terrentur, cum deberent accedere, & nisi conscientia urgeret, & consuetudo religionis induceret, vel timor majoris elongationis à Deo impelleret,*

validè

valde raro accederent ad illud mirificum Sacramentum. Vix tamen aliquis ita religiosus esse videtur, & sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimanâ sufficiat ei ex consuetudine communicare: nisi specialis causa quandoque vel ratio plus suadeat, infirmitas superveniens, vel singulariter festivitas solemnis, vel insitata devo-tionis fervor, & intemperata desiderii stitit sit pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis anime ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus, non nisi à Spiritu S. ut creditur, infunditur: id est legibus humanae consuetudinis, & statutis moralium non arctatur.

Et post pauca. Circa Sacerdotes, ait, potest hac forma teneri, ut nec nimis raro, nec nimis continuè celebrare, vel impretermisso sacram hostiam studeant immolare. Nimis enim continuè celebrare, aliquam videtur notare irreverentiam, cum vix aliquis tam devotus sit, qui semper eadem devotione seruat, quod semper cum debita reverentia illud fatiat, & cordis ardore, quin aliquando reperiatur quantulumcumque, quod eum impedit. Nimis etiam raro celebrare, quamvis ex reverentia soleat fieri, & humilitate, tamen quandoque torporem nutrit, quia minus circumspicitus est homo in omnibus, quasi non indigere videatur, sine custodia, cum non proponit accedere ad mensam Christi. Humilitas etiam non est usquequaque secura, quod diu se subtrahat: quia sicut non est dignus sapere corpus Christi percipere, sic nec semel. Ideo eum non recipimus, quasi qui digni simus: sed ut illo nos sepe visitante, & habitaculum cordis & corporis nostri subintrante, magis ac magis digni efficiamur. Hactenus Doctor Seraphicus.

Et S. Bernardinus Senensis deprehendat: Sacram. Tom. 4. ex Alexandro de Hales in 4. ait, quod talis quaestio de frequentatione Sacramenti, sive communionis, determinanda sit, habita consideratione ad fidem & devotionem accedentis. Si enim ex continua devotione & desiderio continuo, & confidentia de sequendo effectu hujusmodi Sacramenti aliquis in singulis diebus accedret, existimo quod valeres ei frequematio talis. Si vero quis

ex reverentia tanti Sacramenti, & ex timore tantæ indigentias frequenter desisteret, existimo quod ex illâ reverentia & timore proficeret. Unde dico, quod determinatio hujus casus, relinquenda est pie credulitati accendentis. Deinde addit, Anachoretas, etsi sanctè viventes, rarissimè tamen communicasse.

Deinde P. Suarez T. 4. de relig. l. 8. c. 3. num. 11. ait: *Societatis autem constitutio octavo quoque die communicare præcipit. Et in 4. p. constitut. c. 4. §. 3. Hoc amplius explicatur in declaratione lit. B.* FREQUENTIUS, dicitur ibi, *QUAM OCTAVO QUOQUE DIE COMMUNICARE, NON NISI PECULIARES OB CAUSAS ET POTIUS NECESSITATIS, QUAM DEVOTIONIS HABITA RATIONE, PERMITTITUR.* Et num. seq. dicit etiam ita receptum esse in Ordine Cisterciensi c. 25. suarum Constitutionum.

Ut tamen aliquid certi hic demus, de eadem re ita disserit S. August. vel quisquis est author Libri de Doct. Christiana: *Quotidianam communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo &hortor, si mens sine peccati affectu sit.* Idem docet S. Bonavent. de progressu relig. ubi ait: *Vix tamen aliquis ita religiosus esse videotur & sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei communicare.* Idem docet S. Thom. à villa novâ serm. de SS. Sacram. cùm enim pluri Valentiæ frequentem communionem vellent inducere, aliis sece opponentibus; consuluit S. Præfus viros eruditos, quibuscum statuit, sufficere communionem infra octo dies. Idem approbavit S. Ignatius fundator Soc. qui teste Nicolao Orlandino in historia societ. approbat, ut Clerici non Sacerdotes singulis dumtaxat diebus dominicis communicent. Idem approbant tot Religiosorum Ordinum etiam strictiorum statuta. Hoc tamen addo, quod laudabiliter in summo sacro festi celebrioris, ministri assistentes communicent, prout diversa statuta ex antiquo ritu prescribunt: iuxta Romæ in missa solempniori

niori in insignioribus Basilicis, permanet ritus ille, quò ministri missæ in ea communicant, in vestigium dicti ritus primitivæ Ecclesie.

Ex dictis sequitur, fideles quidem esse incitandos, ut se idoneos reddant frequentiori communioni, non itidem intimandum, quotidianam communioninem esse de jure divino, aut eam omnibus promiscue injungendam. Imò indigna & indiscreta est aliquorum praxis, quâ, et si non præcipiant quotidianam communionem, tamen pro delicto quasi judicant, si à communione remaneant, nec illis tribuitur, quasi in pœnam omissæ communionis, quod aliás concederetur: modus enim ille, non longè à præcepto virtuali differt. Quo fit, ut aliqui ex vana gloria, Hypocrisi, aut alio respectu merè humano, ad S. Synaxim accedant, dum suspicionem aut pœnam à superiore reformidant. Quibus hoc accedit, quòd aliquando præceptum illud virtuale, sit supra regulam, quæ solum bis terve in septimana præcepit communicare. Hinc videant animarum rectores, ne quod institutum est ad vitam, aliquibus injungant admortem.

Dicendum 3. Sicut non omnibus frequens communio convenit, ita & rarer communio omnibus est perniciosa: *omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Ps. 106. Fastidium cibi, præsentissimum est infirmitatis aut indispositionis signum. Si enim quis dicat, *anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*, experietur cum iisdem ignitos serpentes. Neque satis est Christiano debito semel in paschate communicare: hoc enim statuitur, ne ultra annum illani differant, & statuitur Christianis minimis saltē necessarium.

Lucem dictis dabit hoc Decretum Innocentii XI. quod sic sonat.

DECRETUM

Circa Communionem Quotidianam.

CUM ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit in quibusdam Diocesibus vigore usum quotidiane Communionis, etiam in feria sexta Parasceva, & simul affirmari tandem quotidianam Communionem preceptam esse à jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis notâ sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes sacerulares, aut Regulares; aliisque in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S. Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini Interpreum, eadem S. Congregatio præviâ maturâ discussione super prædictis unanimi sententiâ ita censuit: *Etsi frequens, quotidianeve Sacrosancta Eucharistia usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut sapienter illam percipiendi, aut ab eâ abstinendi, certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Consilium Tridentinum prescripsit, sed quasi humanana infirmitatem secum reputares, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit, cùm inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistie perceptione communicarent; Idque non immerit; multiplices enim sunt, conscientiarum recessus, variae ob negotia spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cuiusque*

que dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterera quod ad negotiatorum ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiae fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & Conjugatis, quod proficiunt eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. In Conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos servet admonent, tanto magis ob Sacratissimæ Eucharistie reverentiam continentiae vacandum, puriorique mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse conveniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit non ut a frequenti, aut quotidiana Sacrae Communionis sumptuone unicâ precepti formulâ aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singularis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; Illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro Convvio seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus de operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis modo ratiū, aut crebriùs Dominicî Corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonenda erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; Si que verò puritate mentis enteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magnâ ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem deuento studi⁹ excitantur, debere, sc̄e Laici negotiatorum sint.

seve conjugati, seve quicunque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, Divini judicii formidine discant celestem mensam, in qua Christus est, reveri; Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiae, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labore, aut diligentia parcendum, ut omnis irreverentiae, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumptibus augeantur: Quod abundè continget, si ii qui devoio hujusmodi studio, divinâ præstante gratiâ teneantur, seque Sacratissimo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint: Quibus Christum Dominum, qui se similibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno se præmium est datus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porro Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant afferentes communionem quotidianam esse de jure divino, doceant in Ecclesiis, seu Oratoriis privatis, ex dispensatione, seu Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumiendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo modo deferendam in crumenâ, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesiâ deferatur, publicè, & cum pompa juxta formam Rutualis Romani; si verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa communionem in feria sexta Parascevæ, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ usus serventur; Insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiae formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas; Non permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & confessarii etiam Regulares, aut quicunque alii sacer-

sacerdotes secūs egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis IESU, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per sedem Apostolicam specialiter attributā.

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua approbavit, ac præsens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c. Datum Roma 12. Februarii 1679.

F. CARD. COLUMNA PRAEF.

S. Archiepisc. Brancaccius Episc.
Viterbiensis Secr.

Die 15. Mensis Februarii 1679. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per urbem ad valvas Curiae, & in acie Campi Floræ, ut moris est per me Aegidium Felicem SS. D. N. PP. Cursorem. Pro D. Magistro Curforum Gregorius Staggius Apost. Curs.

S E C T I O XVI.

De Post-Communione & partibus sequentibus missæ.

DIENDUM primò : Postcommunio nihil est Quid Post-communio nisi gratiarum actio pro datis donis in hoc sacrificio : hanc exigit ipsa gratitudo. Quæ gratiæ utilius adhibentur, dum adhuc in stomacho durant species, cum eo usque vi Sacramenti melius in anima disponamus, cum Eucharistia sit sacramentum permanentia.

Dicendum 2. Benedictio & Evangelium Joannis cadunt sub obligatione, adeò ut Conc. Agathense c. 47. prohibeat populo ante illa templo egredi, uti fecit


204 DE COMMUNIONE.
fecit & Conc. Aurelian. & Arelatense 3. Levis tamen est illa illorum materia & levis culpa. Neque dici potest, verba illa, *ite missa est*, significare missam esse absolutam, sed solum significant, instare tempus discedendi.

Dicendum 3. recitare preces post missam, v. g. hymnum *Benedicite*, &c. Non cadit sub praeceptum, sed rubrica hucus est solum directiva. Præcipitur autem quandoque haec oratio, idque sub gravi poenâ ut in Concilio Tolet. 4. c. 13. sed notandum solum præcipi tales preces quæ olim post Missam solemnem a Choro decantari solebant, quas modo in dissuetudinem contrarius usus abduxit.

Lotio manuum post Missam, etsi merito adhibetur, ne manus, quæ paulò ante tanta mysteria tractarunt, tactu rei sordidæ cum indecentiâ profanentur, non tamen adhiberi debet, maximè cum ea ablutio facta sit in Missa: Unde neque illam lotionem rubrica præcipit, ut lotionem ante Missam.

Ire ad prandium à communione, etsi non deceat, tamen si causa adsit, non est illicitum, v. g. dum religiosi ultima sacra celebrantes, statim à sacro ad mensam divertunt.

Non licet quoque statim à communione provocare vomitum, expuere, &c. Ratio est, quod species aliquo tempore post sumptionem durent: Alii docent unius horæ minuto idest parte sexagesimâ horæ, formulam Laicis dare solitam, consumi: alii fide digni referunt econtrà post medium à sumptione horam, species fuisse evomitas: Unde præcisum tempus non potest hic determinari, maximè cum unius stomachus ad concoctionem sit efficacior & validior quam in alio.



CAPUT SEXTUM

SECTIO PRIMA.

De Defectibus Missæ.

DICENDUM primò, *Defectus* est carentia ^{Qui si defectus.} alicujus requisiti ad ritum & validam Mis-
sæ celebrationem. Alius est substantialis, ^{Alius est} alicujus requisiti, ut missa sit omnino invalida: *Accidentalis* est ca- ^{substan-} rentia alicujus, quod non spectat ad essentiam, sed acciden- ^{tialis.} solùm ad ornatum Missæ vel ejus integritatem, v. g. omis-
sio ritūs, aut sumptionis. Cùm verò irritare Sa-
cramentum sit gravissimum Sacrilegium, sequitur ^{Obligatio} Sacerdotem sub mortali debere cavere omnes defe- ^{Sacerdos} ^{cavendi} etus essentials; Unde si ante Missam talem defe- ^{defectus;} ^{ctum} prævideat, v. g. alteram speciem defuturam debet à Sacrificio abſistere, cavendo scandalum, quantum potest. Si verò non fuerit prævisus, sed solùm advertatur post Consecrationem, sub mor-
tali erit supplendus. Imò de se sub mortali tenetur cavere omnes defectus accidentales eo quòd Sacer-
dos perfectè & integrè teneatur juxta formam à Mis-
fali præscriptam celebrare.

In casu verò damni aut scandali ex abruptione Missæ oriſ soliti, hoc generaliter notandum est: quòd prudenter judicandum sit, quodnam sit levius ma-
lum, vel permittere defectum: vel ob illum absti-
nere, simul considerando ea, quæ consideranda sunt & regulariter agendum id, quod populum minus offendit.

Dicendum 2. Qualis beat esse materia hic re-
quisita, diximus in antedictis: Si autem ante Con-
secre-

secrationem advertat v. g. Hostiam esse corruptam non esse triticeam, &c. Aliam debet supponere, & factâ oblatione saltem mente concepiâ, debet prosequi ubi desierat. Si verò id advertat post Consecrationem, etiam post sumptionem Hostiæ, aliam assumat, & à verbis, *Qui pridie*, incipiens pergit: Si verò prior Hostia non fuerit sumpsa, eamdem post aliam suppositam & sanguinem sumat, vel alteri celebraturo eam tradat, aut alibi reverenter ponat. Ratio prioris est, quod talis etiam non jejunus debeat sumere aliam hostiam, eo quod præceptum de perfectione Sacrificii prævaleat præcepto jejuniæ. Si verò defectus ille deprehendatur, etiam post sumptum sanguinem, debet alia Hostia, & aliud vinum cum aquâ adhiberi & consecrari incipiendo à verbis *Qui pridie*.

Si verò Hostia consecrata miraculosè dispareat, debet alia Hostia consecrari à dictis verbis incipiendo, factâ prius oblatione. Ita de dictis casibus rubrica.

Hoc tamen notatum velim, plurimos docere, quod si post sumptum sanguinem deprehendatur Hostiæ defectus, v. g. quod non sit triticea, quod hoc casu non debeat consecrari aliud vinum sed sola Hostia: Debet enim solùm suppleri, quod incaute fuerat prætermissum, non itidem novum Sacrificium inchoari. Deinde, etsi aliud rubrica præscribat, ut dictum est: Tamen notandum rubricas de defectibus directivas, esse solùm doctrinales, nullam inducentes obligationem, ultra doctrinam, quam continent. Idem est, si defectus advertatur in vino, quod scilicet debeat sumi aliud vinum, non itidem alia Hostia.

Dicendum 3. Si defectus materiae essentialis deprehendatur antequam missa sit finita, debet dicto modo suppleri defectus: Si verò missa jam sit absoluta, & advertat talem defectum Sacerdos. V. g. in Sacrificia; non debet defectum suppleturus reverti, sic enim jam esset novum Sacrificium.

Si

Si verò Hostia Consecrata miraculosè mutetur in Carnem aut puerum, de quo antea. Debet hostia immutata reservari, uti habet Ecclesiæ praxis, quæ in re tanti momenti, indubie debet observari. Unde si in una specie fiat talis mutatio, censem plurimi, non debere aliam speciem ad Consecrandum resumi, eò quod Christus ponat se in tali specie, in qua sumi non potest: adeoque censetur dispensare in lege, qua debet integrè sacrificium sumi. Si verò talis mutatio fieret in utraque specie, non deberet alia resumi, aliàs esset aliud Sacrificium, adeoque aliàs binaret. Neque hic aliquid potest dici suppleri, ubi nihil ex una parte est positum.

S E C T I O II.

De Defectibus forme.

DI CENDUM primò, Si Sacerdos sit certus se defecisse in formâ debitâ, debet eam iteratò proferre, cum sit defectus substantialis, aliàs foret Sacrificium mutilum. Debet autem resumi tota forma, nec solum id, quod erat omissum, unde rubrica ait, quod debeat repeti forma, non autem pars formæ. Prolatâ autem formâ, debet pergere ab eo, ubi desierat. Forma autem panis debeat repeti à verbis, *Qui pridiè*: forma Calicis à verbis *similimodo*.

Dicendum 2. Si super hostiam quis proferat formam Calicis, non manet vinum Consecratum, cum *Forma casu* desit intentio vinum consecrandi eâ formâ: unde postea *licet prolata* forma Calicis hoc casu deberet teperi. Si verò eo *tâ super* casu postea hostia ritè consecretur, si semel *antea panem*, fuerit elevata, non potest postea ritè consecrata rursum elevari ob scandalum.

Dicendum 3. Si dubitet an commiserit defectum *Dubitans* formæ essentiale, idque ex sufficientibus motivis: *an risèpro-* debet formam repeteret sub conditione saltem mente *nuntiatur* conceptâ. Si verò non adsint motiva *sufficientia*, *de-* *mam,* *bet*

bet dubium illud ut scrupulus rejici. Unde si dubitet an formam protulerit, ex eo præcisè, quod non recorderur se ritè eam protulisse, nihil debet repeti, cùm dubium illud careat omni fundamento.

Si verò omissa fuerint in formâ illa verba, de quibus est dubium an sint de essentia formæ, v. g. *Novit eterni testamenii*, debet forma iterari, quia in re tanti momenti, est assumendum illud, quod est tu-tius, & quam maximè possit, à periculo recedere, unde sub conditione forma debet repeti.

S E C T I O III.

De Defectibus ex parte Ministri.

DI CENDUM primò, Defectus ü, vel oriuntur defectu intentionis debitæ ex parte dispositionis animæ vel corporis, & ex parte vestium. Ex parte intentionis quidem, si v. g. non intendat seriò consecrare: ad debitam enim Consecrationem, requiritur intentio Ministri, eò quod actio consecrandi ob diversos fines fieri possit, adeòque per intentionem Ministri ad certum aliquem finem restringi debet, ut sit Sacramentalis. Etsi autem actualis intentio hic sit optima, & ad quam Sacerdotem niti oportet: tamen sufficit virtualis, quæ sufficit, ut homo dicatur humano modo & liberè agere. Habitualis tamen intentio hic est insufficiens, qualis potest esse & in dormiente, neque facit, ut actio prodeat humano modo. Et licet illa habitualis intentio sufficiat ut quis suscipiat Sacramentum, nihil dictis obstat, cum major perfectio requiratur in agente, quam in paciente: unde pueri rectè baptisantur, non autem baptisant.

Dicendum 2. Si quis exterius proferat formam super materiam debitam, sic ut in animo intendat non consecrare, juxta plurimos non consecrat, cum requiratur intentio consecrandi, saltem importata in intentione.

tentione faciendi id, quod facit Ecclesia; unde & Conc. Trid. ses. 14. can. 9. definit Sacerdotem joco absolvientem, nil efficere, et si intendat proferre verba absolutionis: adeò ut aliqui doceant contrarium non posse sustineri absque errore in fine. Alii tamen docent; quòd ille, qui exterius ponit debitam formam super materiam debitam, et si adsit talis intentio, validè confidere Sacramentum, eo quòd sicut malitia ministri, non officit valori Sacramenti, ita nec talis intentio; deinde sicut si minister, dum vult dare Sacramentum, simul intenderet non conferre effectum Sacramenti, non ideo non daret illum effectum: ita etiam si exterius serio proferat formam super materiam debitam, et si interius intendat non consecrare, non ideo non consecrabit, cum significatio & efficacia formæ sint ex institutione Christi. Vide quæ dicta sunt lect. 3. de Sacramentis in genere.

Dicendum 3. Cum ad valorem consecratiōnis requiratur determinata materia, ab intentione ministri debet illa determinari; debet enim materia consecrandā demonstrari per to hoc & hic. Hinc si quis ante se habens 10. hostias, & vellet consecrare ex eis 8. non determinando quas 8. nihil efficeret, quia non est major ratio pro illis, quam pro aliis, adeoque nullas. Idem dicendum, si vellet consecrare illas 8. quas vult Deus. v. g. Idein dicendum est, si vellet consecrare medium partem hostiæ, non determinando, quam medietatem. Aliud est in applicatione Missæ, quæ applicari potest illi, cui Deus volet, cum applicatio sit donatio præsupponens rem donatam, non itident effectivè ad sacrificium concurrit. Deinde, in consecratione materia debet designari per to hoc & hic, unde debet consecranti esse determinata: in applicatione autem non debet designari anima, cui sit applicatio.

Dicendum 4. Si Sacerdos putet habere in manibus unicam hostiam, & postea comperit se habere duas simul junctas, si tamen velit consecrare id, quod ante se est, validè consecrata erit utraque hostia. Si vero

velit consecrare unicam solum, quam videt, alia non erit consecrata. Debet tamen Sacerdos, ut huic periculo obveniat, ita formare intentionem suam, ut velit consecrare id, quod consecrabile ante ipsum existit, sive sit una, sive plures sint hostiæ.

Si verò hostiæ sint posita loco indebito, v. g. extra aram, & jusserrit Sacerdos illas dari consecrandas, non præsumitur eas esse consecratas, eo quod non præsumatur Sacerdos velle consecrare aliquam materiam indebito modo & contra ritum gravem Ecclesiæ. Alii tamen oppositum tenent, eas esse consecratas, eo quod adlit intentio sufficiens, puta virtualis, neque valori Sacramenti obstat, quod sint in loco indebito, maximè cum ob inadvertentiam culpâ caret. Hinc particulae illæ, post sanguinem sumendæ erunt, cum saltem dubium sit, an non sint consecratæ, vel etiam si sint plures hostiæ, v. g. in pixide, poterunt postea sub conditione consecrari.

Dicendum 5. Quoad particulas à toto segregatas, v. g. guttulas vini calici adhærentes, particulas ab hostiæ decidentes, &c. Notandum est, si solum totum illud contiguum velit Sacerdos consecrare, non consecrare particulas à toto segregatas: si tamen velit consecrare totum id, quod est consecrabile ante ipsum Sacerdotem, sic quoque dictas particulas consecrabit, posito quod sint sensibiles, & possint consecrari. Debet tamen Sacerdos similes particulas advertens ante consecrationem, eas statim amovere: & de cæterò quoad hæc dicta, formare suam intentionem faciendi juxta institutionem Christi, & Ecclesiæ usum.

S E C T I O IV.

De defectibus ex parte dispositionis corporis.

*Debet Eu-
charistia
sumi à je-
junio.*

DI C E N D U M. primò, primus defectus, quem as-signat rubrica, est defectus jejuni. Jejunium exigit Ecclesia, partim ob reverentiam Sacramento debitam,

bitam, ne ore impuro illud sumatur, ne adesset aliquando periculum vomitus, & ut fideles liberiori mente ad Sacramentum hoc accederent: partim ad significandum, cibum hunc cœlestem aliis cibis longè præcellere, & eis anteponendum. Jejunium illud debet esse *naturale*, quod in eo situm est, quod communicans à mediâ nocte nihil sumperit per modum cibi aut potus: unde reliquiæ, quæ intra dentes hærent, & deinde deglutiuntur, non violant jejunium naturale, eo quod sumantur per modum salivæ, non per modum cibi aut potus. Idem est de guttulis ori adhærentibus post oris lotionem. Idem est de eo, qui aromata dentibus terendo, aliquid succi salivæ mixtum sumunt. Idem est si quis respirando in os pertrahat pulverem, muscam, &c. Cum illa sumantur per modum respirationis.

Porro, ut aliquid sumatur per modum cibi vel potus, debet activè cibus vel potus extrinsecus per os summi in stomachum: unde si quis aquam v. g. sumat per nares, non frangit jejunium: idem est de humore illo ex capite defluente in os, quem quis ita trajicit in stomachum. Aliud esset de sanguine v. g. quem quis fugit ex digito, eumque sumit. Hinc ulteriùs sumptio cretae, &c. quæ non nutriunt, non frangit jejunium, eo quod jejunium hoc solum vetet, ne quid cibi aut potus sumatur, illa autem non habent rationem cibi aut potus. Aliud est de medicinis, venenis, aquâ, &c. eo quod imprimis aqua sit verè potus, medicinæ autem & venena, etsi de se tendere videantur magis ad destructionem hominis, quam ejus nutritionem, tamen semper sibi mixtas habent particulas nutrientes aut nutritionem adjuvantes, quæ proinde solvunt jejunium naturale.

Qui vesperi ad sedandam raucedinem v. g. impausit ori suo saccarum, quod post medium noctem trajicit, violat jejunium. Neque hîc idem est, quod de reliquiis dentibus adhærentibus, neque sumptio saccari est reliquia cœnæ præcedentis, sed nova com-

mestio , quæ sit per continuam liquefactionem & trajectionein? commestio enim tam diu durat , quām diu durat liquefactio & trajectio. Unde idem est , ac de eo , qui partem carnis præmansam , post medium noctis illam deglutiret.

Lex jejuniæ. Dicendum 2. In violatione jejuniæ naturalis non datur parvitas materiæ. Ratio est , quod quantumvis parva quantitas sumeretur , tamen legi jejuniæ contraveniret , quæ lex directè præcipit , ut S. Eucharistia sumatur ante omne id , quod tamquam cibus aut potus sumitur. Neque hic objici potest , quod Ecclesia non possit prohibere materiam parvam , sub mortali , nam materia de se parvæ , potest fieri magna prout substat intentioni legislatoris , & aliis circumstantiis adjunctis , uti hic fit.

Sumptio tabaci facta , sive per fumum , sive per nares , sive per masticationem , ultra quod periculum quandoque crēet solvendi jejunium , tamen indecens est ac viris Religiosis ante celebrationem præsertim indignum : si tamen sumatur per fumum , non erit tantum periculum violandi jejuniæ , cum per modum respirationis sumatur , si quid fumi in stomachum descendat. Sumptum per nares nec tantum periculum violandi jejuniæ adfert , cum per nares attractio , non sit habenda commestio. Sumptum verò per masticationem , plus plurimumque periculi adfert , cum facili negotio masticatum per modum cibi in stomachum trajici possit , et si aliquando solùm per modum salivæ. Unde variæ Synodi sub gravi pœnâ sumptionem tabaci inhibuerunt , de quâ ita quoque laudabiliter Illustriss. Castoriensis fol. 15. constitut. Tabacum ut vocant , vel aliquid simile sumere ante celebrationem omnino probibemus quocumque pretextu , medicinae vel sanitatis idemnum fiat. Aliis verò temporibus non nisi urgentibus utantur ex causis : numquams verò , ut pareant voluptati , quæ illos decent , qui ambulant uti inimici Crucis Christi , &c.

Dicendum 4. tempus mediae noctis , à quo inchoare

are debet jejunium naturale, apud nostrates est hora duodecima. In Italiâ verò, ubi horologia primam sonant in principio noctis, & vigesimam quartam in occasu solis, videndum est quā horā incipiat dies artificialis, tunc enim nox desinit: Quo posito dividendum est tempus nocturnum ab occasu usque ad ortum solis in 2. partes æquales, & dimidium talis temporis erit media nox. Incipit autem media nox à primo pulsū horæ duodecimæ, quia pulsato primo ictu talis horæ, jam desit undecima, & reliqui ictus adduntur, ut significetur duodecima. Si verò horologia discrepent, poterit attendi ad illud, quod solet exactius pulsare, etsi serius sonet. Aliud eslet, si soleret variare & deficere, cui quis se conformando, censeretur in fraudem jejunii illi velle attendere.

Dicendum 5. Qui verò dubitat, an aliquid sumperit, poterit communicare, cum possessio stet pro libertate: si verò certus de sumptione facta, dubitet an sit facta post medium noctis, communicare non poterit, cum possessio hīc stet pro præcepto, & lex libertati sit imposita,

SECTIO V.

Quandonam quis possit communicare non jejunus.

DICENDUM primò, variæ causæ excusant comunicantem à jejunio: ac primò quidem reverentia Sacramenti, v.g. si sit periculum, quod Sacramentum malè tractetur, nisi quis etiam non jejunus illud sumat.

2. Necessitas vitandi scandali, vel alterius gravis damni, cum leges positivæ, non soleant obligare cuin tanto damno. Hinc si quis in ipso actu celebrationis, vel dum sedet in mensa communionis, recordetur se non esse jejunum, nec abire potest sine

gravi scandalo, poterit non jejunus communicare.

3. Sumptio viatici in articulo mortis, unde infirmus in tali necessitate poterit communicare non jejunus: neque hic scrupulosè indagandum, an infirmus sit in periculo sufficienti, ne dum morantur scrupuli, moriarur infirmus.

4. Dispensatio Papæ, quam dari docent in missâ nativitatis pontificiâ, ubi in facello Papæ celebratur ante mediam noctem. Nequedici potest, quod dicto casu anticipetur media nox ex justâ causâ: cum non possit anticipari tempus aliquod, quod nondum advenit.

5. Ut perficiat quis sacrificium jam inchoatum: v. g. si sacerdos deficiat, nec adsit alius qui suppleat nisi non jejunus: si sumptâ hostiâ sumat aquam, quam loco vini intenderet ex errore consecrare, poterit vinum iterum consecratum sumere. Idem est, de sumptione particularum hostiæ, de quibus antea.

Celebrare tamen, non jejunium ut moribundum quis communicet, non permittrit verior Theologorum opinio. Ratio est, quod sit major habenda ratio reverentiæ Sacramentū, ob quam indictum fuit jejunium, quam aliqualis necessitatis proximi, qui à præcepto quoque excusatur, si non adsit, qui possit ritè ministrare. Deinde, etsi communio eo casu sit de jure divino, & lex jejunii sit solùm ecclesiastica, tamen lex divina dicta, non obligat, quando non adest debita materia, id est hostia consecrata, & de cætero lex jejunii celebraturum constringit. Rursum, celebrare cum sacris vestibus est etiam tantum juris ecclesiastici, tamen sine illis neque in dicto casu licebit celebrare, etsi obsteret lex divina de Viatico. Et licet quis non jejunus possit communicare in mori articulo, tamen inde non sequitur, idem de celebrare volente, pro tali moribundo, eo quod prius Ecclesia declaravit licere, non itidem aliud.

SECTIO VI.

De aliis defectibus Corporis.

DI CENDUM primò , Alium defectum corporis assignat rubrica pollutionem præcedentem. Hæc, si vel in se, vel in causâ fuerit voluntaria, indubie ^{An pollu-} Communionem impedit, cum sit mortaliter mala. ^{tio noctur-} Si verò sit involuntaria, et si secundum se non im- ^{na impe-} pediat Coimmunionem, tamen illam impedit ratione ^{munie-} fœdi affectus, & divagationis phantasie ejusque per- ^{nem,} turbationis, quæ pollutionem sèpè comitantur. Idem est de copula carnali, et si consultissimum sit, Sacra- mentum illud purissimum post eadem ex reverentiâ omittere, nisi alia urgens ratio contrarium expostu- let.

Dicendum 2. Patientes vomitum vel tussim conti- ^{vomitum} nuam, ob periculum irreverentie communicare non ^{pericu-} possunt. Secluso autem periculo vomitus, nullus ^{lum.} morbus per se impedit communionem, pér accidens ^{morbi.} autem ratione irreverentie, & horroris aliquorum com- municantium posset quandoque eam impedire: unde leprosi, ulcerati, fluxu sanguinis vel feminis labo- rantes, facie aut corpore deformes, à communione non sunt arcendi.

Aliud est de Sacerdote, tali morbo laborante, ut ministerium missæ decenter peragere nequeat: hic enim stante tali defectu, fit irregularis; unde Sacerdos naso carens, habens labia corrosa, laborans morbo caduco, habens pollicem vel indicem ita de- bilem, ut sine periculo hostiam tenere non possit, celebrare non potest. Si verò quis non posset se com- municare manu dextrâ ob contractionem nervorum, posset se communicare manu sinistrâ: Unde & Patres Dominicanî, sese decenter sinistra communicant.

SECTIO VII.

De Ecclesiis & oratoriis.

DICENDUM primò , Sacrificium Missæ exigit locum sacratum , idest Ecclesiam , quæ erigitur , ut divinum mysterium ibidem ritè peragatur . Antiquo jure extra necessitatem yetum erat celebrare in Ecclesiâ non consecratâ , ut patet ex cap. nullus Presbyter . Post verò , quia consecratio templorum foret rarius , permisum fuit celebrare in Ecclesiâ benedictâ , et si non consecratâ . Consecratio Ecclesiæ fit ab Episcopo , benedictio etiam ab alio Sacerdote ab Episcopo ad hoc deputato , ritu quem præscribit Pontificale . Ecclesia autem benedicta gaudet iisdem privilegiis quibus gaudet Consecrata .

Oratoria vero privata , nec debent esse consecrata , nec benedicta , sed satis est , si ad sacrificium ibidem peragendum ab Episcopo sint approbata , per quam approbationem acquirunt sufficiens esse sacrum , ut in illis locis decenter peragatur Sacrificium . Oratoria illa debent esse publica , habere ostium in viâ publicâ , solentque habere campanam . Differunt verò dicta oratoria ab Ecclesiis propriè dictis in eo , quod

Differen-
tia Eccle-
sia ab ora-
toriu-
in Ecclesiis communiter soleant fidelibus ministriū Sacra menta : in oratoriis autem illud communiter fieri non soleat , et si per accidens raro id contingat .

In eo autem cum Ecclesiâ convenient , quod gaudeant iisdem priuilegiis , quibus gaudet Ecclesia . Extra dicta loca , id est Ecclesiis aut oratoria jure communi non licet celebrare : patet illud ex Capt nullus presbyter : & Conc : trid : ses. 22 . in decreto de observ : in celeb : mis : ita habet : ne patientur Episcopi privatis in domibus , atque omnino extra Ecclesiam , & ad divinum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda , & visitanda , sanctum hoc sacrificium à secularibus

C

Or regularibus peragi. Notandum, quod quidem iure antiquo poterant Episcopi dare facultatem celebrandi extra necessitatem etiam, in domibus privatis. Tamen extra necessitatem illa potestas Episcopis per dictum concilii locum, est abrogata: etsi etiamnum eā gaudeant in casu necessitatis, quo casu licet aliquando celebrare sub dio cum altari portatili, item in mari tranquillo, sic tamen ut periculo effusionis sanguinis provideatur, Diacono firmiter renente calicem &c. Imò in navis aliquando honestior suppedit celebrandi locus, quam in terrâ. Docent aliqui in casu evidenter necessitatis, non esse aedendum Episcopum, etsi contrarium sit Verius, si commode adiri possit. Casus autem necessitatis esse potest, v. g. quandò urget præceptum audiendi missam, &c.

Dicendum 2. Potest Episcopus domi sue erigere *Episcopi.* facillum ad celebrandum quovis die. Patet ex cap. Finali, in quo etsi solùm conditionatè hoc concedatur, si scilicet Episcopus non possit commode adire Ecclesiam, contrarium tamen censuetudo jam dudum obtinuit. Neque obstat Conc. Trid. supra allegatum, quod solùm agit de domibus privatis: Domus autem Episcopales sunt publicæ. Privilegia hoc extendunt etiam, usque ad domus Episcorum rurales. Ex eodem capitulo constat etiam, Episcopos posse in itinere secum ferre altare portatile, ut quovis decenti loco celebrare possint. Neque privilegium illud est personale, unde durat etiam Episcopo mortuo, cum detur loco non personæ: Aliud esset, si domus illa fieret sacerdotalis, quo casu desinit privilegium tali loco annexum. Eodem privilegio gaudent quoque Episcopi titulares, cum sint veri Episcopi, & eamdem Episcorum habeant dignitatem, excepto eo, quod dum celebrant in Pontificalibus in alienâ diœcesi, debeant petere licentiam ab Episcopo dioœcesano, uti constat ex Conc. Trid. sess. 22. c. 2. reform.

Regulares. Dicendum 3. Triplex quoad facella datum est privilegium Regularibus 1. Quoad Missionarios , potissimum à Gregerio XIII. Societati Jesu , quod cum sit posterius Concilio Trid. non videtur ratio , quare non valeat. 2. Privilegium datum est omnibus mendicantibus , sed ante Conc. Trid. cap. *In his , de Privilegiis.* Quòd negant plurimi per Conc. Trid. esse abrogatum , eo quòd Conc. id non prohibeat , sed solum dicit , *Ne Episcopi id patiantur :* Adeoque ante inhibitionem Episcopi , tali privilegio gaudent. Additamen hic potest , quòd privilegium illud datum sit religiosis post Conc. Trid. In quo proinde alii poterunt communicare. Hinc passim videmus , quòd religiosi sua facella erigant in infirmitoriis. Hoc dicto privilegio gaudent Moniales , eo tamen dempto , quòd in infirmitoriis eorum non possint habere altaria ad celebrandum.

3. Privilegium est , ut regulares possint in suis dominibus deputare oratoria privata , ubi per modum habitus possit fieri sacrum. Neque hoc privilegium per Conc. Trid. est abrogatum , maxime quòd domus religiosæ & monasteria non sint loca privata . quod proinde etiam extendunt ad domus religiosas suburbanas.

Dicendum 4. Abbates tamen , et si gaudeant pontificalibus , tamen non gaudent antedicto Episcoporum privilegio , eo quòd datum sit solis Episcopis , et si de cœtero possint sibi erigere facella , quatenus in privilegiis aliorum regularium communicant.

Dicendum 5. Oratoria secularium stabilia sola dispensatione Papæ possunt secularibus condonari : dico *Stabilia* , quia ut patet ex ante dictis , potest Episcopus justâ de causâ hoc secularibus concedere sed non ut ibidem stabiliter celebrent. Varia tamen in ejusmodi oratoriorum erectione sunt observanda : Ad quorum meliorem intelligentiam notanda est forma Brevis Pontifici hic dari soliti , quòd sic sonat.

Innocentius Papa XI. tibi N. Dia&fests Anverpiensis, qui ut afferis, de nobili genere procreatus existis, ut in private domus tuae solitae habitationis Oratorio, ad hoc decenter muro extructo & ornato, seu extruendo & ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per ordinarium loci prius visitando & approbando, ac de ipsis Ordinarii licentiâ, ejus arbitrio duraturâ, unam Missam pro unoquoque die dummodo in eadem domo celebrandi licentia, que adhuc duret alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem ordinario approbatum sacerularem, seu de suorum superiorum licentiâ regularem, sine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio, &c Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini N. Jesu-Christi, necnon aliis solemnioribus anni Festis Diebus exceptis, in tua & Familiae tuae, necnon hospitium tuorum nobilium presentia, celebrari facere liberè & licetè possis & valeas, iudigemus. Non obstantibus, &c.... Volumus autem, quod Familiares servitiis tuis non necessarii ibidem missæ interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesiâ Diebus Festis de præcepto minimè liberi censeantur. Datum Romæ, &c.

Notandæ sunt singulæ clausulæ, ac primò, si erraverit in personâ v. g. pro dicecesi Anverpiensi posita eslet Mechliniensis, equidem valeret privilegium, eo quod privilegia attendant merita personæ cuiuscumque statûs, urbis sit aut provinciæ, nisi aliud expresse constet: Adcõque error ille foret solùm materialis & accidentalis. Unde si privilegiatus mutet domicilium, posset eo ibidem uti, eo quod privilegium illud sit personale, sequens personam. Nobilitas autem hic requisita juxta DD. non debet esse rigorosa & absoluta, sed satis est, si per aliquot generationes non exercuit privilegiatus artem mechanicam: Deinde sufficit hic nobilitas ex parte matris. Denique, uti praxis docet, non ita strictè hæc qualitas in privilegiato desideratur.

Debet insuper privilegiatus privilegio suo uti in domo suæ solitæ habitationis: Unde in villâ non posset

set Sacellum erigi , uti potest ab Episcopis & aliis. Hoc tamen notandum est , quod capellæ & oratoria in curiis & domibus senatoriis sint mere privata unde æquè ac alia indigent indulto Papæ.

Debet etiam facellum muro esse extactum , & ab humanis usibus segregatum : unde graviter peccant , qui in talibus facellis dormiunt , commedunt , &c. Idque contra reverentiam loco sacro debitam.

Debet quoque locus ille ab Ordinario aut suo delegato visitari , & approbari , adeò ut si ordinarius locum illum indignum judicet , privilegium ante dictum non sortiatur suum effectum.

Debet etiam unicâ Missâ privilegiatus esse contentus , exceptis quoque Festis in bullâ dictis , & aliis solemnioribus , qui juxta Gavantum in rubric. sunt *Natalis Domini , Epiphania , Pascha. , Pentecostes , annuntiatio & assumptio D. Virginis , Festum SS. Petri & Pauli , Festum omnium Sanctorum.*

Neque potest eadem domus habere simile privilegium anteâ datum , ne in unâ & eâdem domo sint plura Oratoria. Aliud esset , si esset domus & familia moraliter diversa , etsi physice esset eadem , uti in magnis ædibus quandoque fit.

Cavetur quoque , ne ullatenus fiat contra jura Parochialia , puta exigendo decimas , primitias , neque in Paschate detur ibi S. Eucharistia , in articulo mortis viaticum , &c. Additur ulterius , *In tua & familia tua presentia* : Idest , qui obsequio & commensalitate Domino domus subsunt : Unde alii hic Dominum domus sive patrem familias considerant semel ut patrem , & semel ut Dominum. Hinc uxor , pater , avus , abavus , filii , nepotes , uxores fratrii , vir sororis , famuli , ancillæ , & omnes qui de salario Domini sustentantur , censemur hic esse de familia. His annexuntur hospites advenæ & alii ad mensam invitati : alii recludiuntur.

Potest autem privilegiatus , dum voluerit abnegare suum privilegium , Oratorium suum in usus prophanoꝝ convertendo ; & destruendo.

SE-

SECTIO VIII.

De Violatione Ecclesiae.

DICENDUM primò , Juxta rubricam , si violatio contingat ante canonem , debet Missa abrumpi , non item si fiat post Canonem . Solet autem Ecclesia violari . 1. Per voluntarium homicidium . 2. Per injuriosam sanguinis effusionem . 3. Per humani seminis effusionem modo illicito . 4. Per sepulturam excommunicati . 5. Per sepulturam infidelis . 6. Quando Ecclesia comburitur , muri ejus destruuntur . Patet id ex variis juribus .

Dicendum 2. Homicidium illud , debet esse mortaliter malum , unde homicidium casuale , factum in in amentia , auctiunde inculpabile , non violat Ecclesiam . Debet quoque Ecclesiae esse injuriosum , quale esse potest homicidium alias licitum , v. g. si iudex alium in Ecclesiā occidat . Debet quoque causa mortis data esse in Ecclesiā , unde si quis alterum lædat extra Ecclesiam , & alter in Ecclesiam fugiens , ibi moriatur , non violatur Ecclesia : uti etiam si quis in templo existens , alium foris existentem telo aut sclopeto occidat .

Dicendum 3. Sanguinis effusio debet hic esse voluntaria , unde si sit casualis , naturalis exabundantia sanguinis , si ab amente , puerō , &c. non violat Ecclesiam . Idem est , si fiat ob necessariam sui defensionem , si a medico fecetur vena , incidatur vlcus , dum pueri mutuò nasum contundunt pugnando : debet autem effusio illa esse aliquo modo copiosa : Item sanguinis humani , neque sufficit cadaveris , aut bestiarū , quæ non sunt homo .

Dicendum 4. Seminis effusio debet quoque esse mortaliter mala & indirectè saltem voluntaria . Hinc copula maritalis facta tempore necessitatis in Ecclesiā ,

sia, non violat Ecclesiam, eo quod Ecclesia non censeatur velle constringere conjuges, tali casu ad abstinentiam.

Dicendum 5. Sepultura excommunicati publici violat Ecclesiam: Unde si corpus ejus possit ab aliis secerni, debet exhumari & projici in locum prophatum. Quod etiam debet fieri cum interdicto sepulto, et si hujus sepultura non violet Ecclesiam, cum pena dicat solum de excommunicatis, non itidem de interdictis; neque penae sint extendenda. Debet quoque excommunicatus ille fuisse denuntiatus, alii neganda non est sepultura; Et ratio est, quod ratio juris, negandi sepulturam, sit illa, *Ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis.* Constat autem ex constitutione Martini 5. *Ad evitanda*, quod excommunicatis non denuntiatis comunicare possimus, de quo alibi egimus.

Huic additur sepultura infidelis, quibus addit Ecclesia sensus pueros sine Baptismo discedentes, eo quod sint negative infideles, quatenus fide habituali carent, unde ut tales, illi a jure habentur, adeoque nec in Ecclesia sepeliuntur.

Dicendum 6. Per parietum Templi destructionem deperditur Consecratio non item benedictio, quae inheret pavimento, parietibus Consecratio. Si vero vel sola superior crusta parietum abradatur, perit Consecratio, non itidem si parietes ruisum dealbentur, quia euidem manet subjectum Consecrationis. Si vero Templo consecrato adveniat pars magnitudine priorem Templi partem superans, requiritur alia consecratio: Aliud est, si sit pars Templi adveniens minor, eo quod major pars ad se trahere censeatur minorem, quo casu illa minor pars ab Episcopo debet solummodo adspergi aqua benedicta.

Dicendum 7. Loca sacra violationis dictae capacia sunt Templum consecratum & benedictum, chorus, Odeum, cæmiterium benedictum, claustrum benedictum; capellæ infra pavimentum, fornices

ad sepulturam: non item oratoria privata, cubicula annexa templo sacris officiis non deputata, non turris, non superficies extera templi.

Si locus facer consecratus, sit violatus, debet reconciliari per Episcopum; si verò sit benedictus tantum, poterit & per simplicem Sacerdotem. Extendunt aliqui privilegium reconciliandi Ecclesiam etiam consecratam, ad superiores ordinum, datum à Leone X. bulla 6. apud Rodrig. maximè si Episcopus absit aut obierit.

SECTIO IX.

De aliis Missæ deficiib[us].

DI CENDUM primò, Cùm quivis ex gravi obli-
gatione virtutis religionis, cavere debeat gra-
vem irreverentiam rebus sacris impudentem,
dum id commodè potest; sequitur quod quivis sa-
cerdos, debeat missam ab alio inchoatam supplere,
ita tamen ut melius dispositi h[ic] p[re]ferantur, v. g.
jejuni non jejunis &c. Si verò nullus sacerdos hic
possit reperiri, debet hostia reponi in sacrario, alio
die ab alio sacerdote sumenda. Porrò debet fieri
suppletio, ab eo, ubi alter desierat; item tam citò.
quām moraliter loquendo fieri possit.

Dicendum 2. si aliquid venenosum v. g. aranea
inciderit in calicem ante consecrationem, debet ca-
lix effundi, & aliud vinum resumi. Si verò post
consecrationem hoc fiat, debet illud extrahi, & re-
servari ad combustionem. Si verò illo veneno ex-
tracto, maneat nausea sumendi sanguinem, debet
dari alteri magis resoluto, qui si haberi nequeat,
debet reponi in sacrario, donec species corrumpan-
tur. Aliud esset in illis, qui ex instinctu Sp[iritu]s S.
totum calicem cum veneno vellet sumere, uti fecit
S. P. Norbertus, qui in cryptâ celebrans, araneam
non

non modicæ corpulençæ in calicem lapsam , vivâ fide sumpsit unâ cum sanguine , de quo antea. Si musca in calicem lapsa , sanguine tintæ avolet , si commodè sine scandalo capi possit , erit capienda , abluenda , & comburenda : aliâs erit divinæ providentiae tota res committenda. Si verò solùm tetigerit hostiam , nihil erit curandum.

Si hostia consecrata decidat in calicem , debet in calice relinqui , & simul sumi , dicendo , *Corpus & Sanguis Domini &c.*

Si Hostia consecrata ceciderit , in terram , tabulam , vel linteum , debent linguâ Sacerdotis lambi , locus radendus , & ratio mittenda in sacrarium. Si verò ceciderit super aram consecratam , solùm debet lambi & ablui , non item radi. Secus si solùm sit benedicta , linteum verò debet supposito calice ablui , & ablutio in sacrarium projici. Idem est de corporali , tapece , veste sacrâ vel non sacrâ. Idem est , si sanguis ceciderit in barbam , sufficit trina lotio , non item abradi debet & comburi.

Si Hostia ceciderit intra pectus mulieris , debet honestissimè & quantum sine scandalo possit , inde extrahi , vel manibus Sacerdotis , si commodè possit , vel manibus mulieris , & Sacerdoti danda , qui eamdem mulieri tradat , & pectus mulieris lavandum ita Doctores passim.

Si verò alibi inveniatur Hostia , de quâ dubitatur an sit consecrata , si dubium sit fundatum , debet poni in loco decenti absque solemnitate , & a Sacerdote sumi post sumptionem sanguinis , vel deferri ad tabernaculum sine stolâ , sine nolâ , sine lumine , & proximâ occasione , uti dictum est , a Sacerdote sumi.

SECTIO X.

De Altari, ejus paramentis & tempore Missæ.

DICENDUM primò, Quamdiu fuerunt Sacrificia & Sacerdotes, fuerunt & altaria. olim erant ex ligno, marmore, & aliquando ex argento : modo solent esse lapidea. Est autem altare duplex, fixum & portatile : fixum est, quod stabiliter in templo basi ædificatae superstruitur. Portatile est, quod pro voluntate amovetur ad commoditatem præcipue itinerantium. Debet autem utrumque altare esse ab Episcopo consecratum, & tantæ capacitatis, ut commodè Hostiam simul cum pede Calicis possit continere. Amittunt autem altaria consecrationem, fixum quidem si à sua basi arioveatur, aut ita frangatur, ut Hostiam simul cum Calice commodè capere desinat, quod idem est dicendum de portatili. Reliquæ verò altaribus omnibus annexæ non fuerunt; modò necessariò debent altaribus imponi, ut possit verificari illa Sacerdotis oratio, *Oramus te Domine per merita Sanctorum quorum Reliquæ hic sunt.*

Dicendum 2. Ad paramenta necessaria Altaris requiruntur duæ mappæ & una duplex, & quidem omnes benedictæ: Vel una saltem duplicata, & altera rū, mappæ grossior propter lapidis humiditatem. Requiritur in- ^{Paramenta} ^{Altaria} ^{Pæ.} ^{Corporale} super Corporale benedictum, idque ex lino puro, et si extremitas ejus possit esse serica. Requiritur quoque Palla, quâ Calix coöperitur, quam ab inferiori saltem parte convenit esse lineam, à superiori potest esse serica, aurea, &c. Olim corporale erat tam longum, quo simul Calix poterat tegi, quale apud Carthusianos etiamnum est in usu: Unde tunc pallâ non est opus. Palla verò non videtur debere esse benedicta, eo quòd neque Sanguinem neque Corpus Christi, immediate tangat. Requiritur in-

Tom. III.

P

super

Altaria

*Fixum &
Portatile*

Reliquæ

Corporale

Palla,

Corporale

super

Purificatorium. super purificatorium , quo Calix abstergi debitè pos-
torium. Opus quoque est Missali , de quo alibi actum
Missale. est : Neque sine Missali ulla tenus est celebrandum
Lumen. ob memorie lubricitatem. Sub mortali quoque exi-
gitur lumen , quod ordinariè solet esse cereum , et si
ex aliquâ causâ posset aliquando esse ex oleo vel
cevo. In templis quoque ante venerabile lumen sit
oportet , si non ex præcepto , saltem ex consuetu-
dine , ubi expensæ id permittunt. Tamen non esse
hanc consuetudinem ita universalem patet ex praxi
Ecclesiarum ruralium , vel ob penuriam , vel ob
difficultates litigantium , quorum sumptibus lumen
illud deberet procurari , vel Ecclesiæ vel eorum qui
decimas obtinent. Præscribitur tamen lumen nece-
ssarium , dum S. Eucharistia foras fertur , et si ites
Crucifixus. longius ab ea lege excusare videatur. Requiritur in-
super Crucifixi Christi imago , et si non ex tam rigo-
roso præcepto , ut esset per se mortal is ejus omis-
sio.

Tempus. Dicendum 3. ex rubricis missalis constat tempus
celebrandi esse ab aurorâ usque ad meridiem. In
Belgio tamen nostro aliquandò duabus horis ante
solis ortum in hyeme solet sine ullo scrupulo cele-
brari quæ praxis Episcopis satis nota est , neque
contradicunt. Post meridiem aliquantulum post ce-
lebrare justâ de causâ , non foret tam grave , et si
passim & sine causâ post meridiem celebrare , justissi-
mè à variis Belgii Episcopis sit interdictum. Excipi-
tur tamen nox Nativitatis , in quâ etiam ante or-
tum solis licet 3. missas ab uno sacerdote celebrari.
Imò diebus jejuniî quandoque celebrant ad ves-
peram.

SECTIO XL.

De Obligatione Sacerdotum celebrandi, & stipendio.

DIENDUM primò sacerdotem aliquando obligatum esse ad celebrandum, patet ex illo Christi mandato illis dato Lucæ 22. *Hoc facite in meas commemorationem*, in quibus verbis, juxta Conc. Trid. sess. 22. c. 1. Christus Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit. Hinc ^{Obligationis} celebrando idem Conc. sess. 23. c. 14. reform. ita ait: *Curet Episcopus, ut (Sacerdotes) saltem diebus dominicis & festis solemnibus: si autem curam animarum habuerint, tam frequenter, ut muneri suo satisfaciant, missas celebrent.* Unde patet implicitè saltem sacerdotes omnes singulis diebus dominicis & festis debere celebrare, quâ ratione cap. dolentes de celeb. miss. graviter reprehenduntur sacerdotes, qui vix dum quartus in anno celebraverant. Tempora quoque celebrandi Religiosis, prescribunt & limitant cujusque Ordinis statuta.

Dicendum secundò, Parochi & alii curam habentes animarum, toties debent celebrare, quoties populus debet missam audire, sive per se, sive per alium: non tamen tenentur tunc semper missam offerre vel applicare populo, nisi conventio aut obligatio id exigeret: quod convenit illis, qui paucis missis gravati, lauta satis stipendia recipiunt, quod illorum conscientiae relinquendum est. Unde & addit Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. reform. *Cum precepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro eis Sacrificium &c.*

Dicendum 3. solet Sacerdoti celebranti dari stipendium, non pro Sacrificio aut labore ejus intrinseco, ^{Stipendiis} ^{dissimiliis,} sed propriè pro sustentatione aut eleemosyna: aliàs erit simonia stipendium dare vel accipere pro re spirituali

rituali aut illi annexa. nullus tamen militat suis stipendiis umquam : & qui altario deservit, de altario vivat. Stipendii taxam aliquando statuunt Ecclesiæ præfules , attentis circumstantiis loci , temporis , &c. Plus enim meretur , quâm commune stipendum , qui ad extremum urbis , Ecclesiam mediâ horâ distantem celebraturus accedere debet , quâm qui domi suæ celebrare constringitur : item plus meretur , qui Missam cantare debet , quâm legere : plus denique , qui certo tempore , personaliter , certis ritibus , v. g. psalmis præviis , &c. Celebrare debet , quâm qui pro libitu , quando & per quos placet , celebrare potest.

Dicendum 4. Stipendia illa Episcopi taxare possunt consideratis considérandis , adeò ut etiam stipendia fundationis , si ratione aliquorum sint minora justo , possint paucioribus missis accommodare , & reducere missarum numerum. Illud idem possunt Abates & Generales Ordinum in suis capitulis generalibus : uti patet ex Conc. Trid. sess. 21. c. 4. reform. sic multorum obligationes passim videmus reductas , id exigentibus causis rationabilibus.

Dicendum 5. Capellanus v. g. qui quotidie per se celebrare debet aut ferè quotidie in certo loco , potest uti rationabili epykiâ fundatâ in eo , quòd si contingat eum vel per mensem agrotare , non debeat missas omissas superaddere. Unde synodus mediolan. 7. tit de missâ , ita statuit : *si Capellanus saltem per annum functus sit munere celebrandi in aliquo loco si etiam per mensem agrotet , adhuc integrum elemosynam judicio Episcopi , accipere potest.* Si verò non debeat personaliter illa sacra peragere , debet eadem per alios curare , ut fiant.

Dicendum 6. debet sacerdos , quantum potest , satisfacere ordinationi dantis stipendium , adeò ut debeat certo loco , horâ , missam determinatam celebrare , si ad illud sit dantis stipendium intentio. Etsi autem sit erecta capellania , v. g. ad honorem D. Virginis ,

non

non debet ideo de illa semper dici Missa, sed satis est, quod Sacerdos se missali accommodet, nisi fundatio aliud requirat. Si vero fundatio nec locum, nec tempus, nec sacra determinet, satis est, si Sacerdos fundatoribus Missam quocunque die, loco, &c. dictam, applicet.

Dicendum 7. Qui stipendia Missarum accipit ad 20. asses, v. g. non potest alium conducere, qui eas celebrat pro 10. ratio est, quod etsi danti stipendium satis fiat a quocumque Missa celebretur, tamen eo quod haec praxis redoleat turpe lucrum, plane interdictitur, & novissime per Urbanum 8. bullam, *cum sepe*, & alibi. Aliud docent plurimi, de eo qui beneficium habet, cui annexa est obligatio 6. missarum in septimanâ, faciens fructus annuos ad 400. florenos: poterit inquam beneficiatus ille curare, ut fiant ab alio pro 150. florenis, eo quod beneficiatus sit dominus sui beneficii, non item ille, qui ab aliquo stipendium majus accipit, & minori pretio alteri missas imponit.

Dicendum 8. Qui Missas, pro quibus stipendia accipit, nimium differt, graviter peccat. Unde quoque peccant illi, qui aliquando 100. imò 400. Missarum stipendia recipiunt, quibus non nisi longo tempore subsequenti possent satisfacere, nisi forsan dantes stipendia, in talem dilationem consentiant.

Dicendum 9. Potest Capellanus v. g. obligatus celebrare pro defunctis, illa sacra anticipare, cum citius animæ illi satisfiet solutione anticipata. Si vero celebrare debeat pro vivis, non poterit illas Missas anticipare, eò quod Sacrificium pro vivis offeratur, ut præsenti necessitatí Deus succurrat, vel satisfiat poenitentiæ debitis: cui intentioni sepe non satisfiat per anticipata sacra, cum tunc nondum aliquando adsit necessitas, & fructus Sacrificiū suspendi nequeat.

*Dilatatio
missarum.*

SECTIO XIL

An licet uno Die plures Missas celebrare.

DICENDUM primò, cum Alexandro Pontifice
Cap. sufficit de consec. dist. I. Sufficit sacer-
Quot missas de die celebrare licet. dotti unam missam in die unâ celebrare, quia Christus se-
mel passus est, & totum mundum redemit, & valde fe-
lix est, qui unam dignè celebrare posset. Quidam tamen
unam pro defunctis faciunt, alteram de die, si necessè sit.
Qui verò pro pecuniâ aut adulacionibus sacerdotalium una
die præsumunt plures celebrare missas, non existimo eva-
dere damnationem. Quam ultimam concessionem
in usu fuisse S. Alberto testatur Molanus 2. Maii.

Varia tamen excusant à dicendâ unicâ dumtaxat
missâ, v. g. concessio Ecclesiæ in die Nativitatis,
, quo die 3. missas celebrare licet, ob multitudinem
beneficii eo die à Deo nobis præstitam. Sic in His-
paniâ quandòque licitum erat in die animarum dicere
plura sacra. Hanc concessionem si alicui indulgeat
Ecclesia alio tempore, id non facit, nisi urgenti de
causâ: puta ne fideles missâ careant die festo, ne aliqui
illâ priventur ob templi arctitudinem, penuriam pe-
cuniae, sacerdotum &c. Unde Ecclesia concedens alteri
talem potestatem concedendi scilicet potestatem bi-
nandi, semper addit, ne eam concedat nisi raro, &
urgentissimâ de causâ: quare in suis constitutionibus
conformiter Illustriss. D. Castoriensis fol. 16. quantâ-
vis, ait, animi puritate quis instructus videatur, nequa-

Potestate binandi quam tamen bis in die celebret, nisi ad hoc aut à sede
non est Apostolicâ, aut à nobis habuerit potestatem. Qui autem
secundum eam habent à sede Apostolicâ, scire debent, quod eâ fa-
misi exgra- cultate uti non possint, nisi rarissime, & ex gravissimis
us causa. & urgentissimis causis, & nisi eæ cause à Vicario Apo-
stolico examineate & probata fuerint, & quidem in scrip-
tis. Nec aliter ista facultas concessa intelligi debet, quam
juxta

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI. 231
juxta moderationem ab ipso Vicario Apostolico apponendam, cuius etiam Vicarii conscientia oneratur, ut non nisi ex urgentissimis causis, & ad breve tempus ead uti permittat, idque non omnibus indifferenter quibus facultas communicata, sed paucis dumtaxat, eisque maturioris prudentiae, ac zeli, & qui absolute necessarii sunt, nee pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, facultatem quoad hoc communicatam approbet &c.

S E C T I O XIII.

De obligatione Fidelium audiendi Missam.

DICENDUM primò, cum cap. Missas de consecr. d. 1. Missas die Dominico secularibus totas audire spe- Missa tota quando sacerdos egredi populus non presumat. Quod si ficerint, ab Episco- po publicè confundantur. Unde patet, accedente Eccle- sia totius sensu, esse peccatum mortale, diebus Domini- nicis & festis non audire sacrum, nisi justo impedimen- to quis excusetur. Porro auditio Missæ exigit, ut quis morali & Religioso modo Missæ intersit, quatenus interesse debet ad orandum, & sacrificio coöperan- dum, non ex sola curiositate, &c. Unde missam non audiunt ut oportet, qui bonâ missæ parte fabulantur, huc & illuc voluntarie divagantur, & illa agunt, quæ Religiositati hîc requisitæ repugnant.

Ad auditionem Missæ requiritur quoque attentio, ut saltem attendere sufficienter possit, quid in Missa aga- missam, tur: quo pacto non audiunt quoque missam, qui tem- pore missæ dormiunt, & alia huic intentioni contra- ria peragunt.

Dicendum 2. Missa hæc debet audiri integra, saltem ab Evangelio usque ad communionem, quæ & pro- missa, priè dicitur Missa Fidelium. Qui tamen vel alteri con-secrationi abesset, non audiret sacrum, eò quod in consecratione Sacrificium Missæ essentialiter consi-

stat. Nec totam missam audit, qui unam partem unius Sacerdotis audit, aliam alterius superaudit: ut nec ille, qui simul diversas Missæ partes à diversis Sacerdotibus dictas audit: unde illud nuperrimè condemnavit Ecclesia: *Satisfacit præceptio Ecclesie de audiendo sacro, qui duas ejus partes: imd̄ quatuor simul à diversis celebrantibus audit.* Porro idem est, si ne Missa solemnis, an privata, ut huic præcepto satisfiat.

*Actiones
cum audi-
tione mis-
sa compa-
gibiles.*

Dicendum 3. Licitum est, sub missâ audiendâ legere horas, & pœnitentiam injunctam. Ratio est, quod recitatio horarum, non modò non obsit intentioni & attentioni ad auditionem missæ requisitæ, sed eas juvet, quatenus attentionem in Dei cultum dirigit. Idem est de lectione pœnitentiaæ.

Variant tamen, an tempore missæ liceat confiteri.

Confessio.

Pro quo notandum est, sub missâ solemnî pauco tempore confiteri, non impedire auditionem missæ, modò non fiat sub consecratione: non enim video, quomodo ille qui confitetur, simul habere possit debitam attentionem ad ea, quæ in sacrificio peraguntur. Unde qui magnâ missæ parte confessioni insistunt, præcepto audiendi sacrum non satisfaciunt, quare aliam missam (si possunt) audire debent. Si verò non possint excusantur, non idèò præcisè, quasi obligationi audiendi missam satisfecerint, sed quod confessione necessariâ, tamquam justo impedimento ab audiendâ missâ excusentur.

*Collectio
et temosynæ*

Dubitant quoque de collectoribus eleemosynarum tempore missæ, quos probabilior opinio excusat, eo quod illorum ministerium, cum attentione debitâ sufficieret stare possit, dum ad honorem Dei, & sustentationem pauperum eleemosynas congerunt, & simul satis percipere possint, quid in sacrificio fiat. Idem iudicium sit, de ministris missæ, ex choro quandoque abeuntibus, ut necessaria missæ præparent & acquirant.

*Exitus è
choro &c*

Dicendum 4. Excusant ab audiendo sacro impotentia, quâ fit, ut alicui omnino aut moraliter impossibile

sibile sit, missam audire, v. g. si quis graviter decum-
bat, qui mare navi-gant, qui sunt in locis, ubi deest
Sacerdotis copia; item qui sine gravi damno aut pe-
riculo, Missæ interesse nequeunt, v. g. si timeatur pe-
riculum vitae, recidiva morbi, aut aliud grave dam-
num, sive in vita sive honore, sive in bonis fortunæ,
unde excusantur, qui sine periculo infamiae missæ in-
teresse non possunt: si ad sacrum accedant, domi
prædones metuunt, &c. Quæ omnia prudenti judicio
sunt disjuncta.

Excusat quoque lex charitatis, cui simul cum audi-
tione missæ satisfieri non possit, v. g. si quis ægro in-
serviat, quem solum relinquere non possit: si occu-
petur extinguendo incendio, &c. Excusat quoque Ratio of-
ficii, cui satisfacere nequeunt simul audiendo *ficti*,
missam. Sic milites tempore missæ excubii & stationi-
bus licet insistunt; sic famuli in officinis fusoriis licet
tempore missæ persistunt suo operi, cum fornace se-
mel accensâ, ex naturâ artis ad evadenda gravissima
damna, operi suo debeant necessariò & permanenter
insistere. De Pastoribus ovium aut jumentorum alia
est ratio, cum vel possint tempore alterius missæ, si
plures alibi fiant, alii substitui, vel non: si possint
Heri alias substituere, omnino tenentur Pastores illi
ad audiendum sacrum; alias si non possint alii substi-
tui, ratione periculi gravis damni, aut etiam officii,
possent tales excusari. Hoc tamen circa dicta obser-
vandum est, quod sincerè considerandum sit pericu-
lum damni, lex charitatis, &c. Et an illis aliter suc-
curri non possit, nisi omittendo missam. Deinde, an
obligatio vitandi damni, scandali, legis charitatis
obligationi præponderet, legi audiendæ missæ, con-
siderando circumstantias concurrentes, & juxta ea-
rumdem considerationem judicium ferendum.

Dicendum 5. Qui ratione mercaturæ v. g. com-
morantur in partibus infidelium, ubi Sacerdotis copia
deest, si justâ de causâ ibidem morentur, v. g. ad
conservanda bona temporalia, vel causâ publicæ uti-
litatis,

litatis, excusari possunt ab auditione missæ. Si tamen satis commode in illis partibus audire missam possint (uti sœpè fit) omnino obligantur: uii etiam si æquè commode, in aliis Catholicorum partibus mercari possint, quo casu omnino tenentur se eximere ab illis locis, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciant, alias voluntariè illud prævaricari velle censerentur. Idem conformiter dicendum est, de servis & Ancillis servantibus Dominis hæreticis in hæreticorum partibus: qui si apud Catholicos æquè commoda servitia habere possint, omnino eo divertere obligantur, et si salarium apud hæreticos aliquantò excedat aliud, cum nihil prodest universum mundum lucrari, & animæ suæ detrimentum sustinere, nec dari possit commutatio pro animâ suâ.

APPENDIX.

De Sanctificatione Diei Festi.

DI CENDUM 1. Etsi præcipua festi obligatio Missæ auditionem imponat, de qua egimus, tamen varia superaddit; ac in primis abstinentiam ab ope-
re servili. Dicuntur verò opera servilia, quæ cor-
poris commoditatibus inserviunt, v. g. arare, futo-
riam agere, fabricare & alia opera mechanica. His
Opera ser-
vilia. adjunge mercari, &c actus forenses. Scribere verò,
venari recreationis causâ, piscari tali motivo, &c.
Non censentur servilia. Si verò ejusmodi principa-
liter ob quæstum & lucrum fiant, servilia reputan-
tur.

Audi tamen quid de pictoribus dicat Exim. D. Mo-
ianus l. 2. de imag. c. 71. in admonitione ad pin-
gentes: Nullus pictorum temerario ausu attentet Dies
Sacros pingendo prophanare, quasi ei in Die Festo, ne
scribere, sic & pingere liceat. Audio enim quosdam eo
temeritatem venisse: Sed quia peccatum, dum negligitur,
An etiam
pictores. sue

suo pondere ad aliud trahit : Scio illos eosdem Paulo post Catholicæ fidei naufragium perppersos esse..... Con-suetudo (Quæ ut Innocentius III. est optima legum inter-preps) hanc licentiam pictoribus non admittit , ut istis no-vatoribus merito objici possit , quod est apud Esdram : Quæ EST HÆC RES MALA , QUAM VOS FACITIS , ET PRO-PHANATIS DIEM SABBATHI ? NUMQUID NON HÆC FECERUNT PARENTES NOSTRI ? Et adduxit SUPER NOS OMNE MALUM HOC ET SUPER CIVITATEM HANC. Et VOS ADDITIS IRACUNDIAM VIOLANDO SAB-BATHUM. Hæc ille , cuius authoritati magis auscul-tare malumus , quam quibusdam laxitatum patro-nis pictores illos excusantibus.

Dicendum 2. Licitè servilia opera fieri possunt *Quando ea exerce-re liceat,* Diebus Festis, ratione cultus divini uti & ratione gravis necessitatis; Sic serviliter licitè laborant, in præparendo necessaria ad Dei cultum ; Etsi talia, si commodè pos-sint , debeant quoque præveniri. Sic quoque ratione necessitatis , licitè coquus condit cibos, aurigæ vehunt viatores, obseSSI fossas faciunt, pugnant, &c. In dubio autem , an sit sufficiens causa eadem committendi, securius aditur superior , qui in illis justâ de causâ poterit dispensare. Hoc tamen usu didici , in obser-vantia festorum hæreticos nostros , nos Catholicos sæpè confundere & antecellere.

Dicendum 3. Etsi fideles talibus interesse non de-beant, tamen peccant , si tali tempore ad tabernas *Dies festus sanctifi-candus est . non prepha-nandus.* crapulas, choræas divertunt. Unde laudabiliter va-riæ regiones stricte inhibent , ne tempore Missæ , ve-sperarum , laudis , &c. Officiorum divinorum, po-cula misceantur , aut tabernarii compositores recipiant. Moderata recreatio post Officia persoluta minimè est condemnanda , tamen ut olim dixit S. Cyrillus Alex. l. 8 in Joan. c. 5. *Quam plurimos Chri-stianorum Diebus Festis , aut ludis illiberalibus , crapulæ , choræis , aut aliis mundi vanitatibus deditos , cum Deo ob-sequium diligentius exhibere , cum Templo Dei frequenta-re , orationibus insisterre , atque Ecclesiastico officio inter-esse*

esse deberent, tunc maximè Deum suis dissolutissimis moribus irritare. Id ne est & Christiani, celebrare Diem Festum, indulgere ventri, & inconcessis voluptatibus habendas laxare?.... Diebus ad exercenda servilia opera concessis, unusquisque suo intentus est operi, & abstinet à crapulâ, ludis & vanitatibus: diebus autem Festis passim concurritur ad cauponam, ad ludos, ad spectacula, & choreas, in derisionem divini nominis & diei prævaricationem. Hæc ille.

*Honesta
recreatio
licita.*

Quænam verò honesta recreatio dici debeat, declarat S. Chrysost. Hom. 8. de resur. ubi ait: *Ita Sanctorum Dierum Festivitas agi debet, ut relaxatione Corporum puritas non corrumperetur animorum, sed potius abstinentes ab omni luxu, ebrietate, lascivia, dantes operam sobria remissione & Sancte sinceritati, id efficere sentimus, ut quidquid tunc corporali abstinentiâ non adipiscimur, mentium puritate queramus.* Vide quæ alibi diximus de Choræis.

*Fabula
in templo.*

Dicendum 4. Festorum reverentiae præjudicant, qui templa quidem adeunt, sed ut se mutuo salutent, ne dicam ad libidinem inflamment, qui ex curiositate eantui Ecclesiastico solùm intendunt, qui velut in foro fabulas miscent, &c. his ita intonat præfatus Doctor hom. 37. in Epist. ad Corinth. Quid enim? *Domus ad nungandum non habetis? Ecclesiam Dei contemnitis?* si quis est, qui modestus, qui tacitus esse velit, corruptus? at qui dicitur jucundum esse colloqui cum familiari. Esto sane: non vedi: sed domi, sed foris fiat. Ecclesia enim non differendi, sed discendi & orandi locus est. Unde & Conc. Trid. ses. 22. inter alia jubet actiones omnes sacerdtales, vana atque prophana colloquia ab Ecclesiis eliminari. Videri quoque potest D. Chrysost. hom. 40. ad pop. digna lectu & ad rem nostram apposita. Sed hæc aliquando sæculi nostri perversitas, ut aliquando tragediæ attentius & decentius intersint, quam admirando huic sacrificio: quo fit, ut quod omnibus est institutum ad salutem, plurimis vergat ad ruinam.

Dicendum 5. Sicut tenetur Parochus diebus Dominicis

minicis & festis solemnibus plebem suam instruere sa- Quando
lutaribus verbis ita & subditi tenentur illis diebus eum tenentur
audire. De obligatione illâ Parochi constat ex Conc. subditi au-
Trid. ses. 5. c. 2. ubi ita dicitur: *Archipresbyteri quoque ciones.*
dire con-

Plebani, & quicunque Parochiales, vel aliâs curam ani-
marum habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per
se vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus sal-
tem Dominicis & Festis solemnibus plebes sibi commissas
pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis,
docendo que scire omnibus necessarium est ad salutem. Ne
verò prætendat quispiam h̄c non esse rigorosum Ec-
clesiæ præceptum Parochis datum, videndum est
quid sequatur, dum addit continuo concilium: *Id ve- rò si quis eorum præstare negligat, etiam si ab Episcopè*
jurisdictione quavis ratione exemplum se esse prætenderet:
etiam si Ecclesia quovis modo exempta dicerentur, aut alicui
monasterio, etiam extra diœcesim existenti, forsan annexæ
vel unitæ, modo re ipsa in Diœcesi sint, provida Pastoralis
Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur, par-
vuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Ita-
que ubi ab Episcopo moniti 3. mensium spatio muneri suo de-
fuerint, per censuras Ecclesiasticas seu alias, ad ipsius Epis- copi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire vi-
suum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet,
bonesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse
resipiscens officium suum impleteat. Hucusque Concilium.
Ex quibus clarè patet cuiusvis Parochi stricta obliga-
tio, in primis per se iplos prædicare verbum Dei, ni-
si legitimè impedianter, juxta hoc quod statuit idem
Concilium ses. 24. c. 12. ref. dicens: *Omnes verò divina*
per se & non per substitutos, compellantur obire officia.
Unde & S. Damac. Epist. 5. Qui curam, ait; *fusciunt*
animarum, ipsi ministerium suum peragant, ipsi manipulos
Domino repræsentent: nam ipse ovem perditam diligenter
quaesivit, ipse invenit, ipse propriis humeris reportavit.
Quid nos miseri & desideri dicturi sumus, qui etiam pro
ovibus nobis commissis curam impendere negligimus, &
aliis eas educandas tradimus. Ex quo patet, quomodo

Paro-

Parochi illi minimè satisfaciant suæ obligationi , qui totum prædicationis munus vel vicarii vel aliis relinquunt.

Patet secundò , Parochos omnes ad prædicationis munus diebus Dominicis & festis solemnioribus esse obligatos. Et quamquam Conc. Trid. pœnam dictam illis tolùm imponat , qui 3. Mensium spatio muneri suo defuerint : non sequitur inde , quòd sint immunes à gravi culpâ , qui infra dictum temporis , terminum aliquando verba faciunt aut prædicant : eò quòd Ecclesia solùm illam pœnam apponat tali negligentiae , tamquam crassiori & intollerabili , prout ex appositis poenis satis colligitur , quæ non nisi culpis enormibus solent apponi.

Hinc ex eodem concilio sequitur , quòd , qui vel unico die Dominico vel festo solemniori , sine ullo legitimo impedimento , prædicare negligit , esse culpabilem & contraire constitutioni Ecclesiæ ; quæ contrarium prorsus statuit in eodem concilio. Quoties tamen graviter peccet differendo prædicationem Parochus , incertum est præcisè determinare. Regulam aliquam dat Bonacina de leg. 9. de observantia Sabb. puncto 2. §. 30. ubi rogat . Quandonam mortaliter peccent Pastores verbi Dei prædicationem pratermitentes , & Resp. quotidie peccare , quoties populus graviter indiget prædicatione. Et infia : ego arbitror Pastorem mortaliter peccare , si uno integro mense continuo aut etiam si duobus vel tribus mensibus totius anni discontinuis non concionetur : Ratio est , quia hec videtur materia gravis , non solùm secundum se , sed etiam respectivè. Ita ille . Hoc interim verius videatur , quòd hic non possit regula tam generalis statui , pro determinatione ejus , quando Parochus omittendo prædicationem mortaliter peccet : sed potius considerandum est , an subditi graviter indigeant instrutione , prout alibi plus , alibi minus accidit , & ex ea consideratione pensari poterit gravitas obligationis prædicandi , & consequenter gravitas ejus omissionis. Ex quo fieri potest , quòd quis grauius peccet , qui

paucioribus vicibus, quam aliis, prædicare neglit, si populus ejus instructione magis indigeat, quam populus alterius. Sitamen ad Sanctorum Patrum & Pastorum exempla quis respicere velit, comperiet clarissimè, eos instruendo populo semper fuisse intentissimos: sic de S. Augustino legimus, *Verbum Dei usque ad ipsam suam ægritudinem, imprætermissee, & alacriter prædicasse*: Cujus hæc erat sententia serm. 3. de commun. *Quamvis assidue verbum Domini prædicamus, minus tamen reddimus, quam debemus.* Hæc enim est obligatio Apostolica, de quibus legimus act. 5. *Omnis die non cessabant in templo & circa domos, docentes & Evangelisantes Christum Jesum.* Alias in hoc puncto negligentes attendant hanc S. Basilii sententiam quam tradit in reg. brev. interrog. 48. ubi ait: *Cui docendi munus commissum est, is si annuntiare neglexerit, perinde ut homicida judicatur.* Quod verò docendi munus Pastoribus Commissum sit, perse patet; quare S. Aug. Ep. 59. ad 9. qq. Paul. ad Eph. 4. in illud, *Dedit quosdam quidem Apostolos....alios autem Pastores & Doctores, illos eodem putat ut non alios Pastores, alios Doctores esse intelligamus, sed ideo cum prædixisset Pastores, subjunxit Doctores: Ut intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam.* Si ergo Pastor annuntiare neglexerit, perinde ut homicida judicatur, juxta illud, *Si non pavisti, occidiisti, pavisti, idest Verbo Dei, in quo vivit homo, non in solo pane.*

Dicendum 6. Ex illa parochorum obligatione prædicandi diebus Dominicis & festis solemnioribus: sequitur obligatio subditorum ad audiendum verbum Dei eodem tempore, quo debet prædicari. Hæc enim obligationes prædicandi & audiendi, sunt reciprocæ: & ut ait Aug. serm. 1. de divers. *Par docens & discensem causa constringit.* Frustra enim tenetur Parochus prædicare, nisi subditi tenerentur audire. Sicuti enim Malach. 2. dicitur, *Labia Sacerdotis custodiens scieniam; ita & continuo additur, & legem de ore ejus requirent.*

ObR^b

SECTIO XII.

An licet uno Die plures Missas celebrare.

DICENDUM primò , cum Alexandro Pontifice Cap. sufficit de consec. dist. I. Sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare , quia Christus semel passus est , & totum mundum redemit , & valde felix est , qui unam dignè celebrare potest. Quidam tamen unam pro defunctis faciunt , alteram de die , si necessè sit. Qui verò pro pecunia aut adulationibus secularium undie præsumunt plures celebrare missas , non existimo evadere damnationem. Quam ultimam concessionem in usu fuisse S. Alberto testatur Molanus 2. Maii.

Varia tamen excusant à dicendâ unicâ diuntaxat missâ , v. g. concessio Ecclesiæ in die Nativitatis , quo die 3. missas celebrare licet , ob multitudinem beneficii eo die à Deo nobis præstitam. Sic in Hispaniâ quandòque licitum erat in die animarum dicere plura sacra. Hanc concessionem si alicui indulget Ecclesia alio tempore , id non facit , nisi urgenti de causâ : puta ne fideles missâ careant die festo , ne aliqui illâ priventur ob templi arctitudinem , penuriam pecuniae , sacerdotum &c. Unde Ecclesia concedens alteri talem potestatem concedendi scilicet potestatem binandi , semper addit , ne eam concedat nisi raro , & urgentissimâ de causâ : quare in suis constitutionibus conformiter Illustriss. D. Castoriensis fol. 16. quantâvis , ait , animi puritate quis instructus videatur , nequam tamen bis in die celebret , nisi ad hoc aut à sede Apostolicâ , aut à nobis habuerit potestatem. Qui autem eam habent à sede Apostolicâ , scire debent , quod eâ facultate uti non possint , nisi rarissimè , & ex gravissimis & urgentissimis causis , & nisi eae cause à Vicario Apostolico examine & probata fuerint , & quidem in scriptis. Nec aliter ista facultas concessa intelligi debet , quam juxta

Potestate
binandi
non est
niendum
nisi exgra-
uis causa.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI. 231
juxta moderationem ab ipso Vicario Apostolico apponendam, cuius etiam Vicarii conscientia oneratur, ut non nisi ex urgentissimis causis, & ad breve tempus eā uti permittat, idque non omnibus indifferenter quibus facultas communicata, sed paucis dumtaxat, eisque maturioris prudentie, ac zeli, & qui absolutè necessarii sunt, nee pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, facultatem quoad hoc communicatam approbet &c.

S E C T I O XIII.

De obligatione Fidelium audiendi Missam.

DICENDUM primò, cum cap. Missas de consecr. d. 1. Missas die Dominico sacerdotalibus totas audire spe- Missa tota quando fide- ciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdo- audienda, tis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab Episco- po publicè confundantur. Unde patet, accedente Eccle- siæ totius sensu, esse peccatum mortale, diebus Domini- nicis & festis non audire sacrum, nisi justo impedimen- to quis excusat. Porro auditio Missæ exigit, ut quis morali & Religioso modo Missæ intersit, quatenus interesse debet ad orandum, & sacrificio coöperan- dum, non ex sola curiositate, &c. Unde missam non audiunt ut oportet, qui bonâ missæ parte fabulantur, huc & illuc voluntariè divagantur, & illa agunt, quæ Religiositati hic requisita repugnant.

Ad auditionem Missæ requiritur quoque attentio, ut saltem attendere sufficenter possit, quid in Missa aga- missam, tur: quo pacto non audiunt quoque missam, qui tem- pore missæ dormiunt, & alia huic intentioni contra- ria peragunt.

Dicendum 2. Missa hæc debet audiri integra, saltem ab Evangelio usque ad communionem, quæ & pro- missa, priè dicitur Missa Fidelium. Qui tamen vel alteri con-secrationi abesset, non audiret sacrum, eò quod in consecratione Sacrificium Missæ essentialiter consi-

stat. Nec totam missam audit, qui unam partem unius Sacerdotis audit, aliam alterius superaudit: uti nec ille, qui simul diversas Missæ partes à diversis Sacerdotibus dictas audit: unde illud nuperrimè condemnavit Ecclesia: *Satisfacit præceptio Ecclesie de audiendo sacro, qui duas ejus partes: imd quatuor simul à diversis celebrantibus audit.* Porro idem est, sit ne Missa solemnis, an privata, ut huic præcepto satisfiat.

**Actiones
cum audi-
tione mis-
sa compa-
gnae.**

Dicendum 3. Licitum est, sub missâ audiendâ legere horas, & pœnitentiam injunctam. Ratio est, quod recitatio horarum, non modò non oblit intentioni & attentioni ad auditionem missæ requisitæ, sed eas juvet, quatenus attentionem in Dei cultum dirigit. Idem est de lectione pœnitentia.

Variant tamen, an tempore missæ liceat confiteri.

Confessio.

Pro quo notandum est, sub missâ solemnni paucō tempore confiteri, non impedire auditionem missæ, modò non fiat sub consecratione: non enim video, quomodo ille qui confitetur, simul habere possit debitam attentionem ad ea, quæ in sacrificio peraguntur. Unde qui magnâ missæ parte confessioni insistunt, præcepto audiendi sacram non satisfaciunt, quare alias missam (si possunt) audire debent. Si verò non possint excusantur, non ideo præcisè, quasi obligationi audiendi missam satisfecerint, sed quod confessione necessariâ, tamquam justo impedimento ab audiendâ missâ excusentur.

**Collectio
e cœmosynas**

Dubitant quoque de collectoribus eleemosynarum tempore missæ, quos probabilior opinio excusat, eo quod illorum ministerium, cum attentione debitâ sufficienter stare possit, dum ad honorem Dei, & sustentationem pauperum eleemosynas congerunt, & simul satis percipere possint, quid in sacrificio fiat. Idem iudicium sit, de ministris missæ, ex choro quandoque abeuntibus, ut necessaria missæ præparent & acquirant.

**Exclusi
e choro &c**

Dicendum 4. Excusant ab audiendo sacro impotentia, quâ fit, ut alicui omnino aut moraliter impossibile

sibile sit, missam audire, v. g. si quis graviter decum-
bat, qui mare navingant, qui sunt in locis, ubi deest
Sacerdotis copia; item qui sine grayi damno aut pe-
riculo, Missæ interesse nequeunt, v. g. si timeatur pe-
riculum vitæ, recidiva morbi, aut aliud grave dam-
num, sive in vitâ sive honore, sive in bonis fortunæ,
unde excusantur, qui sine periculo infamiae missæ in-
teresse non possunt: si ad sacrum accedant, domi
prædones metuant, &c. Quæ omnia prudenti judicio
sunt disjudicanda.

Excusat quoque lex charitatis, cui simul cum audi-
tione missæ satisfieri non possit, v. g. si quis ægro in-
serviat, quem solum relinquere non possit: si occu-
petur extinguendo incendio, &c. Excusat quoque Ratio of-
ficii officii, cui satisfacere nequeunt simul audiendo fiscis,
missam. Sic milites tempore missæ excubiis & stationi-
bus licet insistunt; sic famuli in officinis fusoriis licet
tempore missæ persistunt suo operi, cum fornace se-
mel accensâ, ex naturâ artis ad evadenda gravissima
damna, operi suo debeant necessariò & permanenter
institere. De Pastoribus ovium aut jumentorum alia
est ratio, cum vel possint tempore alterius missæ, si
plures alibi fiant, alii substitui, vel non: si possint
Heri alias substituere, omnino tenentur Pastores illi
ad audiendum sacrum; alias si non possint alii substi-
tui, ratione periculi gravis damni, aut etiam officii,
possint tales excusari. Hoc tamen circa dicta obser-
vandum est, quod sincerè considerandum sit pericu-
lum damni, lex charitatis, &c. Et an illis aliter suc-
curri non possit, nisi omittendo missam. Deinde, an
obligatio vitandi damni, scandali, legis charitatis
obligationi præponderet, legi audiendæ missæ, con-
siderando circumstantias concurrentes, & juxta ea-
rumdem considerationem judicium ferendum.

Dicendum 5. Qui ratione mercaturæ v. g. com-
morantur in partibus infidelium, ubi Sacerdotis copia
deest, si justâ de causâ ibidem morentur, v. g. ad
conservanda bona temporalia, vel causâ publicæ uti-
litatis,

Mercato-
res in par-
tibus infi-
delium.

litatis, excusari possunt ab auditione missæ. Si tamen satis commodè in illis partibus audire missam possint (ut sæpè fit) omnino obligantur : uii etiam si æquè commodè , in aliis Catholicorum partibus mercari possint , quo casu omnino tenentur se eximere ab illis locis , ut Ecclesiæ præcepto satisfaciant , aliàs voluntariè illud prævaricari velle censerentur. Idem conformiter dicendum est , de servis & Ancillis servientibus Dominis hæreticis in hæreticoruī partibus : qui si apud Catholicos æquè commoda servitia habere possint , omnino eo divertere obligantur , et si salarium apud hæreticos aliquantò excedat aliud , cum nihil prodest universum mundum lucrari , & animæ suæ detrimentum sustinere , nec dari possit commutatio pro animâ suâ.

APPENDIX.

De Sanctificatione Diei Festi.

DICENDUM 1. Etsi præcipua festi obligatio Missæ auditionem imponat , de qua egimus , tamen varia superaddit ; ac in primis abstinentiam ab ope-
re servili. Dicuntur verò opera servilia , quæ cor-
poris commoditatibus inserviunt , v. g. arare , futo-
Opera ser-
vilia. riām agere , fabricare & alia opera mechanica. His
adjunge mercari , & actus forenses. Scribere verò ,
venari recreationis causā , piscari tali motivo , &c. Non censentur servilia. Si verò ejusmodi principa-
liter ob quæstum & lucrum fiant , servilia reputan-
tur.

Audi tamen quid de pictoribus dicat Exim. D. Mo-
ianus l. 2. de imag. c. 71. in admonitione ad pin-
An etiam
pictores. gentes : Nullus pictorum temerario. ausu attentet Dies Sacros pingendo prophanare , quasi ei in Die Festo , ut scribere , sic & pingere liceat. Audio enim quosdam eo temeritatem venisse : Sed quia peccatum , dum negligitur ,
suo

suo pondere ad aliud trahit : Scio illos eosdem Paulo post Catholicæ fidei naufragium perppersos esse..... Con-suetudo (Quæ ut Innocentius III. est optima legum inter-pretes) hanc licentiam pictoribus non admittit , ut istis ne-vatoribus merito objici possit , quod est apud Esdras : QUA-EST HÆC RES MALA , QUAM VOS FACITIS , ET PRO-PHANATIS DIEM SABBATHI ? NUMQUID NON HÆC FECERUNT PATRES NOSTRI ? Et ADDUXIT SUPER NOS OMNE MALUM HOC ET SUPER CIVITATEM HANC. Et VOS ADDITIS IRACUNDIAM VIOLANDO SAB-BATHUM. Hæc ille , cujus authoritati magis auscul-tare malumus , quam quibusdam laxitatum patro-nis pictores illos excusantibus.

Dicendum 2. Licitè servilia opera fieri possunt Diebus Festis, ratione cultus divini uti & ratione gravis necessitatis; Sic serviliter licitè laborant, in præparando necessaria ad Dei cultum ; Etsi talia, si commodè pos-sint , debeant quoque præveniri. Sic quoque ratione necessitatis , licitè coquus condit cibos, aurigæ vehunt viatores, obfessi fossas faciunt, pugnant, &c. In dubio autem , an sit sufficiens causa eadem committendi , securius aditur superior , qui in illis justâ de causâ poterit dispensare. Hoc tamen usu didici , in obser-vantia festorum hæreticos nostros , nos Catholicos sœpè confundere & antecellere.

Dicendum 3. Etsi fideles talibus interesse non de-beant , tamen peccant , si tali tempore ad tabernas crapulas , choræas divertunt. Unde laudabiliter va-riæ regiones stricte inhibent , ne tempore Missæ , ve-sperarum , laudis , &c. Officiorum divinorum , po-cula misceantur , aut tabernarii compotitores reci-piant. Moderata recreatio post Officia persoluta minimè est condemnanda , tamen ut olim dixit S. Cyrillus Alex. l. 8 in Joan. c. 5. *Quam plurimos Chri-stianorum Diebus Festis , aut Iudis illiberalibus , crapulae , choreis , aut aliis mundi vanitatibus deditos , cum Deo ob-sequium diligentius exhibere , cum Templo Dei frequenta-re , orationibus insistere , atque Ecclesiastico officio inter-esse*

esse deberent, tunc maximè Deum suis dissolutissimis moribus irritare. Id ne est à Christiani, celebrare Diem Festum, indulgere ventri, & inconcessis voluptatibus habendas laxare?.... Diebus ad exercenda servilia opera concessis, unusquisque suo intenus est operi, & abstinet à crapulâ, ludis & vanitatibus: diebus autem Festis passim concurritur ad cauponam, ad ludos, ad spectacula, & choreas, in derisionem divini noninis & diei prævaricationem. Hæc ille.

*Honesta
recreatio
licita.*

Quænam vero honesta recreatio dici debeat, declarat S. Chrysost. Hom. 8. de refur. ubi ait: *Ita Sanctorum Dierum Festivitas agi debet, ut relaxatione Corporum puritas non corrumpatur animorum, sed potius abstinentes ab omni luxu, ebrietate, lascivia, dantes operam sobrie remissio & Sanctæ sinceritati, id efficere tenemus, ut quidquid tunc corporali abstinentia non adipiscimur, mentium puritate queramus.* Vide quæ alibi diximus de Choræis.

*Fabula
in templo.*

Dicendum 4. Festorum reverentia præjudicant, qui templo quidem adeunt, sed ut se mutuo salutent, ne dicam ad libidinem inflammet, qui ex curiositate cantui Ecclesiastico solum intendunt, qui velut in foro fabulas miscent, &c. his ita intonat præfatus Doctor hom. 37. in Epist. ad Corinth. *Quid enim? Domus ad nungandum non habetis? Ecclesiam Dei contemnitis?* si quis est, qui modestus, qui tacitus esse velit, corrumpitis? at qui dictis jucundum esse colloqui cum familiari. Esto sane: non verò: sed domi, sed foris fiat. Ecclesia enim non differendi, sed discendi & orandi locus est. Unde & Conc. Trid. ses. 22. inter alia jubet actiones omnes sacerdtales, vana atque prophana colloquia ab Ecclesiis eliminari. Videri quoque potest D. Chrysost. hom. 40. ad pop. digna lectu & ad rem nostram apposita. Sed hæc aliquando sæculi nostri perversitas, ut aliquando tragediæ attentius & decentius intersint, quām admirando huic sacrificio: quo fit, ut quod omnibus est institutum ad salutem, plurimis vergat ad ruinam.

Dicendum 5. Sicut tenetur Parochus diebus Dominicis

minicis & festis solemnibus plebem suam instruere sa- Quando
lutaribus verbis: ita & subditi tenentur illis diebus eum tenentur
audire. De obligatione illâ Parochi constat ex Conc. subditi au
Trid. ses. 5. c. 2. ubi ita dicitur: *Archipresbyteri quoque ciones.*

Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam ani-
marum habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per
se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus sal-
tem Dominicis & Festis solemnibus plebes sibi commissas
pro sua & earum capacitatem pascant salutaribus verbis,
docendo que scire omnibus necessarium est ad salutem. Ne
verò prætendat quispiam h̄c non esse rigorosum Ec-
clesiæ præceptum Parochis datum, videndum est
quid sequatur, dum addit continuò concilium: Id ve-
rò si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab Episcopè
jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætenderet:
etiamsi Ecclesia quovis modo exempta dicerentur, aut alicui
monasterio, etiam extra diœcesim existenti, forsan annexæ
vel unitæ, modo re ipsa in Diœcesi sint, provida Pastoralis
Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur, par-
vuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Ita-
que ubi ab Episcopo moniti 3. mensum spatio muneri suo de-
fuerint, per censuras Ecclesiasticas seu alias, ad ipsius Epis-
copi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire vi-
sum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet,
bonesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse
resipiscens officium suum impleteat. Hucusque Concilium.
Ex quibus clarè patet cuiusvis Parochi stricta obliga-
tio, in primis per se iplos prædicare verbum Dei, ni-
si legitimè impedianter, juxta hoc quod statuit idem
Concilium ses. 24. c. 12. ref. dicens: *Omnes verò divinae*
per se & non per substitutos, compellantur obire officia.
Unde & S. Damac. Epist. 5. Qui curam, ait; suscipiunt
animatorum, ipsi ministerium suum peragant, ipsi manipulos
Domino repræsentent: nam ipse ovem perditam diligenter
quaesivit, ipse invenit, ipse propriis humeris reportavit.
Quid nos miseris & desideris dicturi sumus, qui etiam pro
ovibus nobis commissis curam impendere negligimus, &
aliis eas educandas tradimus. Ex quo patet, quomodo

Paro-

Parochi illi minimè satisfaciant suæ obligationi , qui totum prædicationis munus vel vicarii vel aliis relinquunt.

Patet secundò , Parochos omnes ad prædicationis munus diebus Dominicis & festis solemnioribus esse obligatos. Et quamquam Conc. Trid. pœnam dictam illis tolùm imponat , qui 3. Mensium spatio muneri suo defuerint : non sequitur inde , quod sint immunes à gravi culpâ , qui infra dictum temporis , terminum aliquando verba faciunt aut prædicant : eò quod Ecclesia solùm illam pœnam apponat tali negligentia , tamquam crassiori & intollerabiliori , prout ex appositis pœnis satis colligitur , quæ non nisi culpis enormibus solent apponi.

Hinc ex eodem concilio sequitur , quod , qui vel unico die Dominico vel festo solemniori , sine ullo legitimo impedimentoo , prædicare negligit , esse culpabilem & contraire constitutioni Ecclesiæ ; quæ contrarium prorsus statuit in eodem concilio . Quoties tamen graviter peccet differendo prædicationem Parochus , incertum est præcisè determinare . Regulam aliquam dat Bonacina de leg. 9. de observantia Sabb. puncto 2. §. 30. ubi rogat . *Quandonam mortaliter peccent Pastores verbi Dei prædicationem prætermittentes, & Resp. totes peccare , quoties populus graviter indiget prædicatione.* Et infia : *ego arbitror Pastorem mortaliter peccare , si uno integro mense continuo aut etiam si duobus vel tribus mensibus totius anni discontinuis non concionetur : Ratio est , quia hæc videtur materia gravis , non solùm secundum se , sed etiam respectivè . Ita ille . Hoc interim verius videatur , quod hic non possit regula tam generalis statui , pro determinatione ejus , quando Parochus omitendo prædicationem mortaliter peccet : sed potius considerandum est , an subditi graviter indigeant instrutione , prout alibi plus , alibi minus accidit , & ex ea consideratione pensari poterit gravitas obligationis prædicandi , & consequenter gravitas ejus omissionis . Ex quo fieri potest , quod quis grauius peccet , qui pau-*


paucioribus vicibus, quam aliis, prædicare neglit, si populus ejus instructione magis indigeat, quam populus alterius. Sitamen ad Sanctorum Patrum & Pastorum exempla quis respicere velit, comperiet clarissimè, eos instruendo populo semper fuisse intentissimos: sic de S. Augustino legimus, *Verbum Dei usque ad ipsam suam agitudinem, imprætermissee, & alacriter prædicasse*: Cujus hæc erat sententia serm. 3. de commun. *Quamvis assidue verbum Domini prædicamus, minus tamen reddimus, quam debemus. Hæc enim est obligatio Apostolica, de quibus legimus act. 5. Omnes die non cessabant in templo & circa domos, docentes & Evangelizantes Christum Jesum.* Alias in hoc punto negligentes attendant hanc S. Basilii sententiam quam tradit in reg. brev. interrog. 48. ubi ait: *Cui docendi munus commissum est, is si annunciare neglexerit, perinde ut homicida judicatur.* Quod verò docendi munus Pastori-bus Commissum sit, per se patet; quare S. Aug. Ep. 59. ad 9. qq. Paul. ad Eph. 4. in illud, *Dedit quosdam quidem Apostolos....alios autem Pastores & Doctores, illos eodem putat ut non alios Pastores, alios Doctores esse intelligamus, sed ideo cum prædixisset Pastores, subjunxit Doctores: Ut intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam.* Si ergo Pastor annuntiare neglexerit, perinde ut homicida judicatur, juxta illud, *Si non pavisti, occidisti, pavisti, idest Verbo Dei, in quo vivit homo, non in solo pane.*

Dicendum 6. Ex illa parochorum obligatione prædicandi diebus Dominicis & festis solemnioribus: sequitur obligatio subditorum ad audiendum verbum Dei eodem tempore, quo debet prædicari. Hæc enim obligationes prædicandi & audiendi, sunt reciprocae: & ut ait Aug. serm. 1. de divers. *Par docensem & discensem causa constringit.* Frustra enim tenetur Parochus prædicare, nisi subditi tenerentur audire. Sicut enim Malach. 2. dicitur, *Labia Sacerdotis custodiens scientiam; ita & continuo additur, & legem de ore ejus requirent.*

Obl.

Obligationem hanc imponit illis idem concilium ses. 24. c. 4. ubi dicitur, *Moneat Episcopus populum diligenter; teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Ex quo clare patet populum non impeditum legitimè, teneri ad audiendum verbum Dei, idque eo certè tempore, quo illud tenetur prædicare Parochus, puta diebus Dominicis & Festis solemnioribus, cum (uti dixi) obligationes illæ sint reciprocæ & mutuae. Neque verum est, ut quidam somniant, concilium per to teneri solum dare admonitionem, quid fieri conveniat, cuius planè contrarium docet Conc. Mediol. 6. tit. de Parochiis in admonit. de freq. paroch. dum ita scribit: *Nuper S. Tridentina Synodus ecumenica ab Episcopis fideles, non solum hoc moneri voluit, ut frequenter ad proprias Parochiales Ecclesias, saltem Dominicis diebus Festisque accedant, sed etiam illud diligenter ostendit, unumquemque teneri, ubi commodè fieri potest, Parochiae suæ interesse, ad audiendum verbum Dei, ac proinde id præterea statuit à Parochis animarumque curatoribus inter Missarum solemnia, aliquid ex iis, quæ in missa leguntur, exponi, & sanctissimi illius Sacrificii mysterium aliquod explanari, plebes sibi commissas salutaribus verbis pasti, eademque doceri, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; in lege Domini erudiri, & S. eloquia illis explanari, tum in unaquaque Ecclesiâ Parochiali, pueros fidei rudimentis instrui.* Hactenus Concilium. Ex quo satis colligitur stricta obligatio fidelium ad audiendum verbum Dei, saltem Dominicis festisque diebus, si non sint legitimè impediti. Inio antiquitas tam stricta erat hæc audiendi verbi Dei obligatio ab Ecclesia indicta, ut hæc fuerit Concilii Carthag. 4. constitutio: *Sacerdote Verbum faciente in Ecclesia, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.* Obligatio illa audiendi verbum Dei eo major est, quo verbum Dei magis necessarium est animæ spirituali educationi & conservationi: nam ut ait Innoc. III. in Con. Later. c. 10. *Sicut corpus materiali sic anima spirituali cibo*

cibo nutritur, eo quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Unde consequenter rogit Cæsarius Arelat. hom. 26. *Si caro bis in die reficitur, quare molestum & ineptum judicet aliquis, si vel post 7. dies anima verbo Dei pascatur?* Ubi & addit, quod sicuti agnelli ubera matrum inquietare non desinunt: ita & populi Christiani Sacerdotes, qui sunt Ecclesiæ ubera, assiduâ debent interrogatione provocare, *Ut sibi possint cibum salutis acquirere, & viatum anime suæ necessarium providere.* De quibus autem teneatur Parochus plebem sibi commissam instruere, diximus agendo de fide.



CAPUT SEPTIMUM.

De Sacramento Pœnitentia.

S E C T I O I.

An pœnitentia sit virtus, & qualis.

DICENDUM primò, *Pœnitentia est virtus,* quâ peccata detestamur, & eadem sponte *Quid virtus pœnitentia.* vindicamus: virtutem hanc passim commendat Scriptura S. utpote maximè consentaneam naturæ rationali, peccata naturæ illi maximè contraria detestari, eaque dignâ satisfactione compensare. Unde patet, proprium pœnitentia actum esse detectionem vitæ præteritæ, ac vindictam de peccatis, non solam vitam novam, ut volunt sectarii: qui enim serio pœnit, non solum sese emendare proponit, sed de offendâ dolet, eamque detestatur.

Dicendum secundò, pœnitentia prout fit ob motivum alicujus virtutis violatæ, reducitur ad talem vel *Cuius virtutis fit alius* talem virtutem. Sic pœnitentia concepta de peccato

Tom. III.

Q

ob

ob offensam Dei, spectat ad charitatem, quam violatam studet restaurare: poenitentia de peccato quia Deo injuriosum est, spectat ad iustitiam, quatenus injuriam Deo illatam restituere & compensare satagit.

Remissio mortaliæ. Dicendum tertio, secundum sententiam Dei ordinariam peccatum mortale non potest remitti sine poenitentia. Clarè illud tradit Conc. Trid. sess. 14. c. 4. ubi docet motum contritionis omni tempore necessarium fuisse ad remissionem peccatorum. Quæ quidein debet esse poenitentia formalis in eo, qui habet conscientiam peccati mortalis, ubi rursus docet S. Synodus, ad remissionem talis peccati necessariæ esse detestationem peccati, & novæ vitæ propositum. Aliud est de illo, qui inculpabiliter se ignorat esse in statu peccati mortalis, poterit ille sine formali detestatione & poenitentiâ justificari, cum de se a thibet totum id, quod ad amicitiam Dei recuperandam est necessarium.

Omnia peccata deleri possunt per suorum per poenitentiam. Dicendum quartò, quaecumque peccata, quantumcumque gravia, poslunt deleri per poenitentiam. Peccatum tamen in Spiritum S. dicitur esse irremissibile, eo quod difficulter remittatur, vel quod illi, qui agnitam veritatem oppugnant, raro convertantur & communiter ad primita revertantur. Unde & D. Thonias hoc loco ait, *erroneum esse afferere, esse aliquod peccatum in hac vita, de quo quis pauci non potest.* De quo rursus postea.

Unum mortale non potest remitti nisi per alterius ordinariam, quidquid aliqui anxiè inquirant de extraordinaria. Ratio est, quod peccatum mortale non remittatur nisi per infusionem gratiæ, gratia autem cuilibet peccato mortali directè repugnat, & illud excludit. Deinde alias possit quis esse filius Dei per gratiam, & filius diaboli per peccatum mortale.

Post remissam penitentiam. Dicendum sexto, post remissionem culpe sibi malum status poenitentia temporalis. Patet hoc ex dicto Iam. 1. Nathan

Nathan prophetæ ad Dávid 2. Reg. 12. ubi dixerat, *net luens
transfluit Dominus peccatum tuum, id est poenam aeternam
da pax.* condonavit, sed illam vertit in temporalem, aufe-
rendo filium. Idem docet Con. Trid. sess. 6. c. 14. &
sess. 14. can. 12. ubi dicit: *Si quis dixerit totam pa-
nam simul cum culpâ remitti semper à Deo anathema
fit.* Deinde inors est poena peccati originalis, quam
baptisati etiam sustinere debent. Eisi verò Deus dum
remittit culpam, fiat nobis amicus, tamen amici re-
missâ offensâ, quandoque exigunt satisfactionem.

Remissio
Dicendum septimò, peccatum veniale remittitur *venialum*
per poenitentiam saltem virtualem, non item habi-
tualem, quæ & in dormientibus esse potest. Non
tamen requiritur expressa & formalis poenitentia,
cum neque ad remissionem mortalis illa requiratur,
dum memorie non occurrit. Sacramentalia verò,
etsi remittere possint peccata venialia ex opere ope-
rantis, quatenus fidem & poenitentiam in illis exci-
tant, quibus adhibentur; tamen non remittunt illa *Sacramen-*
talium
vii.
ex opere operato, quod Sacramentis est proprium &
singulare: imò alias non facile concipi posset, quo-
modò Sacramentalia non escent Sacraenta. Sacra-
mentalia autem censemur, *Oratio Dominica, Confiteor,*
tunstis peccatoris, affersio aquæ benedictæ, eleemosyna, co-
mestio panis benedicti, benedictio Episcopi, vel Abbatis
consecrati, &c.

Peccata venialia non solent remitti sine mortalibus, *Venialia*
eo quod peccata venialia non remittantur, nisi infu-
*non remit-
tuntur si-*
sione gratiæ, quæ expellit mortalia. Unde patet & *ne mortia-*
ratio, quare unum veniale remitti possit sine alio, eo libus.
quod gratia non opponatur continuo onini veniali. *Potest*
Perflat tamen illud D. August. Epist. 48. sub finem, *unum ve-*
Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quoquam matis fine
seu magno, seu parvo peccato ad correctionem fine paeniten-
tia posse transire. *altu.*

SECTIO II.

De reviviscentia peccatorum per pænitentiam remissorum.

*Quomodo
peccata
redeant.* **D**I CENDUM primò, peccata semel remissa non redeunt secundum se neque reatu, neque pœnâ, redeunt tamen ratione ingratitudinis. Ratio prioris est, quod homo à peccatis per pœnitentiam mundetur, purgetur, dealbetur, &c. Neque remissio peccati est conditionata pendens à conditione non amplius peccandi, sed absoluta. Hinc ait Benedict. XI. extrav: inter cunctas de privileg. ubi ait: *Absurdum esse, ut quis peccata per pœnitentiam dimissa, rursus debeat confiteri, & ut debitor liberatus adhuc maneat ad solvendum obligatus.*

Probatur posteriorius, eo quod remissio peccati sit sumnum Dei beneficium, quod per subsequens peccatum parvi pendit, adeoque tunc quasi peccatum antea remissum, censetur redire: & hoc sensu intelligenti sunt SS. PP. docentes peccata remissa, per subsequens peccatum, redire.

*Revivis-
centia o-
perum.* **D**icendum 2. Opera mortificata reviviscunt per pœnitentiam, sive consequuntur suum effectum, quem antea ob aliquod impedimentum non poterant consequi. Pro cuius intelligentia prænotandum est opera alia dici *viva*, quæ fiunt ab homine in gratia existente: alia *morta*, quæ fiunt ab homine extra statum gratiæ: & *mortificata*, quæ quidem fiunt ab homine in gratia constituto, sed ob peccatum subsequens non sortiuntur suum effectum. Opera ergo mortificata, ne frustrentur omnino suo præmio, remanent in divina acceptatione, adeo ut sublato impedimento præminentur. Et quidem reviviscere ultra dispositionis gratiam, est omnino verisimile: cum ultra gratiam quæ præsenti dispositioni competit, alia correspondens operibus reviviscentibus sit admittenda: alias semper deberent dici manere mortificata:

*Opera vi-
va.*

Morta.

*Mortifi-
cata.*

Imo

Imo videntur reviviscere secundum totam gratiam operibus illis correspondentem, cum Deus cuique operi bono suam gratiam sublato obice impertiatur.

Dicendum 3. Opera mortua, non possunt reviviscere, cum numquam vixerint per gratiam. De congruo tamen promereri possunt ejusmodi opera dona temporalia, divitias, famam, &c. Quomodo juxta S. Aug. l. 5. de civit. c. 15. Deus remunerauit Romanos amplitudine imperii.

Opera verò mortificata reproborum vero simili. *Opera re- ter non pereunt, sed reponuntur in thesauro Eccle- proborum. siæ, per Ecclesiam applicanda.*

SECTIO III.

Undenam detur Virtus Pœnitentia & quomodo.

DI CENDUM primò, Virtus Pœnitentiae, uti est ^{Pœnitentia est à} omnis vera virtus, à Deo sit oportet. *Perditio Deo.* *tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum,* ait Oseas c. 13. & S. Bernardus serm. 1. Pentec. *Initium,* ait, revertendi ad Deum Pœnitentia est, quam sine dubio Spiritus operatur, non nosler, sed Dei. & rursus de grat. & lib. arb. *Lapsus,* ait, *Ex voluntate homo non aequa ex voluntate resurgere jam liberum habet, quia etsi datus fuit voluntati posse stare ne caderet, non tamen resurgere, sic caderet.* Non enim tam facile quis valet exire de fo- *Affinere* vea, quam facile in eam labi. Ex quo palam fit, quod à viriū est difficilior homini sit virtus veræ pœnitentiae, quam à facilius, peccatis abstinentia, etsi ad utrumque sit opus Dei *quam ex illu resur-* *gente.* Adquæ ita S. Fulgentiusl. 1. ad Monim: *Pre-* *venit,* ait, *gratia Dei impium, ut fiat justus: subsequi- tur justum, ne fiat impius.* *Prævenit cœcum,* ut lumen quod non invenit, donet. *Subsequitur videntem,* ut lumen quod contulit, servet. *Prævenit elatum,* ut surgat, sub- sequitur elevatum ne cadat.

Dicendum 2. Cum per peccatum ratio humana

Modus quo Deus dicit pœnitentiam. obtenebretur, dum supercedidit ignis peccati, & non videt solem justitiae, & insuper obduretur peccatis anima peccatoris: Deus est, qui illuminat cæcos, & auferit cor lapideum, ut donet carneum, tenebras dispellens, & cordis duritiem emolliens. Hoc sit, cum nobis ob oculos ponit peccata nostra, & contra faciem nostram, ut peccatorum fœditatem considerantes, salutari Pœnitentiâ crimina nostra detestemur. Unde S. August. l. 8. confess. c. 7. *Constituebas me ante faciem meam, ut viderem, quam turpis essem.* Et Psalm. 118. *cogitavi vias meas & converti pedes meos in testimonia tua.*

Pœnitentia virtus nos est a te facili. Dicendum 3. Pœnitentiae virtus, non est omnibus adeò facilis, ut Deus offerat gratiam veræ pœnitentiae omnibus peccatoribus; falsum quoque est, quod illam ultrò offerat, neque sit mulio tempore vel labore requirenda, sed illi dumtaxat consentiendum. Deus enim miseretur, cui voluerit. Deinde, si tam obvia cuique pœnitentia grata, quare tam anxiè à Deo rogat Ecclesia, *Ut ad veram Pœnitentiam nos perducere dignetur?* quare tam sollicitè petimus, *Deus converte nos?* Quid enim stultius, quām orare id, quod in nostrâ est potestate? aliter & modestius S. August. in Psalm. 84. *Nonne ille, qui te vocavit aversum, ipse præstítit, ut convertereris?* noli ergo tibi arrogare, nec ipsam conversionem, quia nisste ille vocaret fugientem, non posses converti. Propterea & ipsius conversionis beneficium Deo tribuens Prophetæ orat & dicit: *Deus tu convertens vivificabis nos.* Et non quasi nos ipsi nostra sponte, sine misericordia tua convertimur ad te & tu vivificabis nos: sed tu convertens vivificabis nos: ut non solum vivificatio nostra à te sit, sed etiam ipsa conversio, ut viviscimur. Vide quæ ad rem præsentem diximus de justificatione.

SECTIO IV.

An Pœnitentia sit Sacramentum.

DICENDUM primo, Cum Conc. Trid. ses. 14. *Sacramen-*
can. 5. Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Paenitentia *Pœnitentiam non esse verò & propriè Sacramentum pro fidelibus, uterūque.*
quoties post Baptismum in peccata labitur, ipsi Deo re-
conciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathe-
ma sit. Quo Canone damnatur Novatus Episc. Afri-
can. Qui nullum volebat post Baptisma relapsis re-
conciliandi remedium, sed solaci Dei misericordiam
illis esse expectandam: quem errorem postmodum
mitigare stuluit, Vicens hoc solum se intelligere de
lapsis in criminis graviora. Hunc pro parte secuti sunt
Lutherani & Calvinistæ, abnegantes Pœnitentia
Sacramentum, illudque confundentes cum Baptis-
mo memoriam repetito, quo peccata omnia remittan-
*tur: quā ratione volunt Baptisma vocari Sacra-*mentum Pœnitentiae: quem errorem condemnat idem**

Differencia

Conc. can. 2. Rationem præbet c. 2. ubi ait: Ceterum baptismo
hoc Sacramentum multis rationibus à baptismo differre & Pœni-
dignoscitur. Nam præterquam quod materiæ & formæ,
quibus Sacramentum efficiuntur, longissimè diffideat:
constat certè, Baptismi ministrorum judicem esse non oportet.
Quamodo
*&c. Dicitur verò Baptisma aliquid quando Sacra-*Baptis-*
tum Pœnitentiae, non cuiusvis, sed ejus, que ante nos dici-
Baptisma agi oportet, de qua dicitur act. 2. Pœnitentia
*agite, & Baptisetur unusquisque vestrum.**

Dicendum 2. Institutum est hoc Sacramentum *Quando*
Joan. 20. ubi Christus Discipulis ai eis insuflando: *Pœnitentia*
Accipite Spiritum Sanctum quorum r. miseritis peccata,
*remituntur eis, &c. Hic enim instituitur ri. us exter-*ritua Sacra-*
nus, quo inter homines peccata dimittere possint ius.
Apostoli, & eorum in Sacerdotio successores. Signa
*autem illa externa tenent se tam ex parte ministri,**

quam ex parte pœnitentis, de quibus postea sigillatim. Quod autem dictis verbis non detur solummodo potestas prædicandi, definit Conc. Trid. sess. 14. can. 3. ubi ait: *Si quis dixerit verba illa Domini salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, &c. Non esse intelligenda de potestate remittendi & regnandi peccata in Sacramento pœnitentiae, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti, ad authoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.*

*Necessitas
Pœnitentia.*

Dicendum 3. Sacramentum pœnitentiae, non est in re necessarium ad salutem, uti constat in parvulis post susceptum baptisma discedentibus, & in adultis qui non sunt lapsi in mortale. Illis tamen qui post baptismum in mortale lapsi sunt, necessarium est in re vel in voto, quale importatur in desiderio generali, servandi omnia præcepta divina, inter quæ est præceptum pœnitentiae.

*Nomina
Pœnitentia.*

Ut autem sequentia melius intelligantur, notandum est, quod Sacramentum hoc variis nominibus soleat appellari, ut puta, *Pax, reconciliatio, secunda post naufragium tabula, lapsorum remedium, imposuimus manus, communio, ex eo quod ad Ecclesiam per pœnitentiam admitterentur, & ad communionem fidelium, & quod lapsis pax & venia per illam redonaretur.*

S E C T I O V.

De formâ Pœnitentiae.

*Forma Pax
nominis.*

DIENDUM primò, Ad formam hujus Sacramenti requiruntur verba propriè dicta, nec sufficit Scriptura, nutus aut aliud quodvis signum. Sic videmus quoque ex dispositione juris, aliquas sententias non valere, nisi fiant scripto; Ita nec hæc sententia valet, nisi fiat verbis, quod à voluntate Christi

Christi provenit, quam voluntatem Ecclesiæ traditio & praxis manifestat. Unde docentes olim, licitum esse querere absolutionem ab absentibus in scriptis, Clemens 8. condemnavit tamquam docentes dogma falsum, scandalosum, &c.

Dicendum 2. forma hujus Sacramenti juxta Conc. Trid. ses. 14. c. 3. est hoc: *Ego te absolvō*, &c. Preces autem aliæ, quæ secundum morem Ecclesiæ laudabiliter adjunguntur, ad formæ essentiam non pertinent, nec ad ministracionem hujus Sacramenti sunt necessariae, ut ibidem docet Concilium. Ubi notandum non requiri necessariò *to ego*, nec *tō omnibus*, nec juxta quosdam à *peccatis tuis*, unde aliqui totam formæ essentiam absolvī docent in voce *absolvō*, quod in his circumstantiis, satis significat remitti à Sacerdote peccata. Quod etsi fortè verum sit, tamen juxta præscriptum Ecclesiæ forma illa erit proferenda.

Dicendum 3. Sensu hujus formæ, *Ego te absolvō*, &c. est hic: *Ego tibi remitto peccata, quantum est ex parte mea, vel ex parte Sacramenti, vel ex parte ministerii officii mei, quod exerceo*. Hinc, quia peccata non possunt remitti, nisi infusione gratiarum, ideo significat quoque talis forma, Sacerdotem conferre gratiam remissivam peccati. Hoc dicto sensu forma semper obtinet suam veritatem etsi pœnitens non sit dispositus. Ex quo etiam patet, quoniodo Sacerdos verè remittat peccata, sed ut est minister Dei, qui solus propriâ potestate peccata dimittit, unde quesitum, *Quis potest peccata dimittere nisi solus Deus?* Marci 2.

Dicendum 4. forma illa cadere potest in peccata alias prævie remissâ ratione contritionis. Item dari potest sub conditione. Ratio est, quod peccata semel remissa, possint iteratò & saepius remitti, quatenus Sacerdos vice Christi saepius remittere potest jus, quod habet ad alteri indignandum, eumque punendum, & peccata dimittere: uti professionem Religiosam renovans Religiosus, potest cedere juri saepius etiam, ad ineundum matrimonium. Ubi tamen illud recte.

Remissio

peccati

alias re-

missio

recte.

recte notant aliqui, remissionem peccati non esse si-
tam nudè in tali cessione, sed etiam in affectu aliquo
positivo ejus qui offensus est ad alterum: quo si, ut
affectus ille sape augeri possit, atque adeo idem sæ-
pè remitti. Hinc aliqui eo sa pius reniūtionem petunt,
quo sentiunt affectum offensi magis intendi.

*Ad solatio
fus. oads.* Probatur quoque posterius, quia potest quis absolu-
tus esse. vi sub conditione de præsenta vel præterito, si quid
v. g. subsit: non tamen potest sub conditione de fu-
turo, eo quod effectus formæ pœnitentiae non poslit
suspendi, adeoque nec pendere à conditione futura.
Neque ideo promiscue conditionatè absolvendum
est, sed solùm occurrente necessitate. Unde qui pro-
miscuè absolvunt sub conditione, mortaliter peccant.
Rationem ejus dat Hesselius Catechism. p. 2. cap. 6.
dum ait: *Gravius multo peccant, qui sic dicunt: abfolvo te, si fides penitens; si tu es capax
absolutionis; aut si ego possim, aut quantum in me
est, &c.* *Sacrilegium est hoc dicere & præterquam quod
hoc modo à prescripto Ecclesia & Evangelicis verbis rece-
datur, etiam ministrum ipsum hoc dubium facit, an Sa-
cramentum Christii contulerit & pœnitentem an receperit.*
Imò nequidem in casu dubii olim absolvebatur sub
conditione, sed semper absolutè, ut refert Morinus
lib. 10. Pœnit. cap. 12. Denique si omnes promiscuè
sub conditione liceret absolvere, munus Confessarii
foret facilissimum, nullis periculis obnoxium, cuius
tamen contrarium est manifestum. Videri potest El-
lius in 4. Dist. 15. parag. 3.

Forma
Pœnitentia est si sit Dicendum 5. forma hæc est actus verè judicialis,
etiam quæ non tantum declaratoria, quod peccata sint remissa,
est l. s. po- uti expreſſie definit Con. Trid. ſef. 14. c. 6. Inde tamen
te. II. II. non sequitur, quod forma hujus Sacramenti non pos-
nem esse fit esse deprecatoria, si talis institueretur ab Ecclesia.
deprecato- Imò teste Morino l. 8. de pœnit. c. 12. ait ſeſe Romæ
tua. interrogasse Græcum præſidem ibidem exiſtentem,
de forma illorum, & quod hanc receperit: *Ipsi Do-
mine, remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia tua
est*

est potentia, tuum regnum, Patris & filii, &c. Idem variis potest confirmari, unde absolucionis forma, s̄epe nuncupatur *oratio, rogatio, &c.*

Nec refert formam hanc esse judiciale, quia profertur à Sacerdote tamquam judice subalterno, efficaciter deprecante, supremum judicem, pro absolutione pœnitentis: verè etenim & ille absolvit, qui aliquem absolvit, sed cum respectu ad superiorem. Neque talis solum roget conferri veniam peccatorum, verum & significat quoque se illam conferre, ut sit in forma Extremæ Unctionis: unde implicitè saltem et si non expressè significat se remittere quoque judicialiter peccata: adeò ut in forma deprecativa sensus sit, *Absolvat te Deus, sed per meum ministerium.* Denique, quando Florentinum & Trident. Concilium prescribunt formam judicariam & minimè deprecativam, non assignant formam esenialem & omnino ad valorem Sacramenti necessariam, sed formam cui se debeant omnes conformare,

S E C T I O VI.

De Materia Pœnitentie.

DIENDUM primò. Materia remota & circa quam versatur forma, sunt peccata: mortalia quidem materia necessaria, venialia sufficiens. Versatur autem Sacramentum hoc circa peccata, sicut Medicina circa morbos, ignis circa lignum, ut eadem tollat & consumat. Quomodo autem peccata sapè remissa, possint quoquè esse materia hujus Sacramenti, jam iam diximus.

Dicendum 2. Materia proxima hujus Sacramenti *proxima* sunt actus pœnitentis, Contrito Confessio & satis factio. Patet ex Concil. Trid. ses. 14. c. 3. & can 4. ubi ita ait: *si quis negaverit ad integrum & perfectam peccatorum remissionem requiri 3. actus in pœnitente, quasi*

**Quid sit
esse quasi
materiam** *quasi* materiam Sacramenti pænitentiae, videlicet contritionem, confessionem & satisfactionem, quæ tres pænitentiae partes dicuntur &c. anathema sit. Porro dicuntur illa à Concilio *quasi materia*: non quod revera materia non sint: sed quod non sint materia ita grossa & materialis uti aqua in baptismo, oleum in confirmatione, panis in Eucharistiâ &c.

**Quomodo
Pænitens
non sibi
remitat
peccata,
etsi ponat
partes Sa-
cramenti.** Nec ideo admitti debet, quod pœnitens sibi remittat peccata, dum ponit partes Sacramenti remissivi peccatorum, eò quod totam vim tales partes accipiant à formâ absolutionis, & virtute clavium, & ab illis constituuntur in esse sacramentali. Unde etsi pœnitens ponat partes Sacramenti, non tamen per illas partes dicitur conferre remissionem peccati, sed ille qui formam addit, quique solus dicitur esse minister, pœnitente solùm subministrante materiam: nec enim ille, qui materiam ministrat, potest dici eatenus minister: aliás pistor deberet dici minister Eucharistiæ, qui ministrat panem.

**Partes
Pænitentia
sunt
sensibiles** Dicendum tertio, prædictæ partes, ut constituunt hoc Sacramentum, sunt quoque sensibilia: de confessione & satisfactione constat. Contritio autem, etsi videatur interius latere in animâ: tamen ut est pars Sacramenti pœnitentiae, sic exterius debet patet fieri per confessionem & alia doloris signa, adeò ut, si alicui sacerdoti per divinam revelationem innotescerent peccata alicujus, de quibus quoque alter doleret; absque eò quod dolor ille ullo externo signo manifestaretur, non posset sacerdos taliter dolentem absolvere.

SECTIO VII.

De Contritione.

**Quid sit
Contritio.** DICENDUM primò, Contritio est dolor animi ac de testatio de peccato commisso, cum proposito non pec candi de cætero: Ita Conc. Trid. sess. 14. c. 4. debet autem

autem contritio esse *Dolor animi*, idest partis rationalis, non solum sensitivæ. Debet quoque detestari peccatum, non solum proponi nova vita, nec solum terreri minis legis. *Propositum quoque illud* debet esse serium & efficax, *in tantum ut excludat voluntatem peccandi.* Requiritur h̄ic insuper *propositum confitendi & satisfaciendi saltem implicitum*, cùm requiratur h̄ic votum præstandi ea, quæ ad dignam Sacramenti pœnitentiae perceptiōnem exiguntur. *Propositum verò non peccandi de cætero, videtur debere esse expressum & formale,* cùm à Conc. Trid. expressè distinguatur à dolore & detestatione, quæ tale propositum implicitè complectuntur; Non tamen requiritur reflexa cognitio talis propositi, cùm multa soleat homo propone-re, quæ tamen homo reflexè & signatè non noscit se proponere. Sufficit ergo tale propositum quale in aliis voluntatis actibus formalibus debet re-periri.

Dicendum 2. Alia est Contritio perfecta, alia imperfecta sive attritio. *Quomodo differant Contritio & imperfetta, conantur explicare Theologi, nec umquam ita clarificare possunt, ut animus scrupulosus conquiescat, ait quidam.* Alii enim volebant attritionem differre à contritione, sicut foetus ab homine: Alii ut gradum remissum ab intensiori: Alii, quod contritio deberet oriiri ex amore Dei benevolo, attritio ex timore pœnæ. Nos autem, qui ut statim probabitur, censemus nullam attritionem esse sufficientem, ut cum Sacramento justificet, nisi ex amore Dei prodeat, docemus attritionem distingui à contritione, quod Contritio procedat ex amore Dei perfecto, attritio verò ab imperfecto. Quid sit amor perfectus, videri potest in dictis de Charitate.

Dicendum 3. Ad Sacramentum pœnitentiae non requiri-
tur contritio perfecta. Ratio est 1. Quod cùm
contritio perfecta sit actus maximè arduus & rarus,
pauci pœnitentes possint absolyi. 2. quod alias pœnitentia

nitentia non esset Sacramentum mortuorum , sed vivorum 3. Quod alia opinio enervet vim hujus Sacramenti , quæ est reconciliare hominem Deo. 4. Conc. Trid. sess. 14. c. 4. dicit contritionem aliquando hominem Deo reconciliare , antequam Sacramentum pœnitentiae suscipiat , quæ verba fatus indicant , id non semper fieri. Quomodo vero non omnis charitas justificet , videri potest in materia de charitate. Unde quando ad pœnitentiae sacramentum exigitur contrito , intelligi potest saltem imperfecta.

S E C T I O VIII.

An Contrito salutaris possit esse sine Charitate.

*Contrito
debet esse
supernatu-
ralis.* **S**UPPONIMUS primò , Attritionem salutarem & ad Sacramentum sufficientem , debere necessariò esse supernaturalem , cùm sit propinqua ad justificationem dispositio , & ut ait Concilium Trid. sess. 14. cap. 3. *Sit donum Dei , & Spiritus Sancti impulsus.*

Supponimus secundò , Attritionem illam contine-re odium vitæ anteactæ & peccatorum detestationem : Omne autem odium oriri ex affectu ad oppositum ejus quod odiuin.

Supponimus tertio conjunctam huic attritioni necessariò esse spem veniæ : Spem vero sine charitate saltem imperfecta esse non posse alibi declaratum est.

Supponimus quartò , Attritionem illam debere esse adeò efficacem , ut voluntatem peccandi excludat , ut docet Concilium Trid. loco supra citato.

*Salutaris
attritio
non potest
omni cha-
ritate de-
stolus ait :* His ergo suppositis , dicendum primitò , Attritionem salutarem omni prorsus Charitate non posse destitui : Probatur ex Scripturâ 2. cor. 7. ubi Apostolus ait : *Quæ secundum Deum tristitia est pœnitentia ad saltem stabilem operatur :* Ex quo deducimus

mus, formidolosam attritionem, pœnitentiam ad salvandum probatur
stabilem non operari, cum non sit tristitia ex seruitudine
secundum Deum, sed secundum nos ipsos, & oratur directe ex amore proprio, de quo latius in se-
quentibus.

Idem docet Scriptura Sacra Epist. 1. ad cor. 13.
ubi Apostolus & Martyrium, & distributiones om-
nium bonorum in pauperes sine charitate posse pro-
delle negat, quem Scripturæ locum de actuali cha-
ritate intelligit D. Augustinus Serm. 53. de tempo-
re.

Denique id satis confirmingant præallata in 1. 2. Scri-
pturæ loca, quæ in omnibus actibus Dei charitatem
exigunt, quæ actus in Dei gloriam referantur: prout
est ad Collus. 3. & 1. Cor. 10. de quibus latè egimus
agendo in 1. 2. Consentunt & SS. Patres passim om-
nes, præcipue S. Augustinus, qui innumeris pœnæ lo-
cis idem confirmat, ex quibus accipe sequentia: In
primis serm. 7. de temp. Pœnitentiam, ait, certam non
facit, nisi odium peccati & amor Dei.

Et Tract. 6. in Joannem respiciens ad Apostoli lo- Ex S. Ma-
cum 1. cor. 13. ubi charitatem deprædicat, de qua gustans,
ante, ita subdit. I Nunc Donare & clama: disertus,
sum: i nunc & clama: doctus sum: quantum disertus,
quantum doctus? numquid linguis Angelorum locutus es? &
tamen si linguis Angelorum loquereris, charitatem autem non
habeas, audies æra sonantia Cymbala tinnientia. Sed inquietus
habeo Sacramentum: verum dicas Sacramentum divinum
est: habeas baptismum, & ego confiteor: sed quid idem A-
postolus dicit? Si sciero omnia Sacra menta, & habuero
Prophetiam & omnem fidem ita ut montes transferam, cha-
ritatem autem non habuero, nihil sum.

Idem assérit sermone 3. de natali Domini: vos ait,
modò debetis satis amare Deum, & à timore jam ad dilec-
tionem transire, quia sic legimus in Evangelio de peccatrice
illa, cui multum dimittitur, multum diligit: & ideo DEBE-
TIS multum diligere Deum. Ubi notandum S. Doctorem
agere de charitate actuali & sermonem dirigere ad
pœni-

pœnitentes sese ad justificationem disponentes, cum Paulo ante ita dicat : *Ad vos loquor pœnitentes, qui pœnitentiam in Ecclesia accepistis, & agitis : perseverate in fætu, in compunctione, &c.*

Denique manifestè S. Doctor formidolosam attritionem proscriptit ut insufficien tem cum Sacram ento, dum clarissimè docet, solum gehennæ meum non excludere voluntatem peccandi, quod tame necessario exigit Concilium Trid. ses. 14. c. 3. ut attrito sit salutaris. Loca verò illa hoc §. adducam.

Ex S. Bernardo. Idem sentit Doctor Mellifluus variis locis, signanter Epistolâ 11. ubi ita ait : *Sola Charitas est, que ab amore sui & mundi avertere potest animum & in Deum dirigere.* Et sermone 5. in octava Paschæ. *Sola (charitas) Classified animum, sola purgat intentionem.* Variis locis idem tradit S. Doctor : Charitatis quoque necessitatem exigit in attritione S. Thomas à Villa nova Sermone in Dominicâ Passionis, dum ita loquitur attritionem describens : *De peccato (dolor) non de damno vel de infamia, vel de turpitudine peccati : sed dolendum est de peccato, prout est offensa Dei, sic ut etiam si nullum incommodum de peccato proveniret, neque esset infernus, aut judicium, neque aliquis sciret, etiam displiceret peccatum, quia Deus fuit offensus..... nam ut ait Clemens, vera contritio ex amore Dei debet procedere non ex timore aut amore sui.* Unde Augustinus : *oporet pœnitentem non solum Deum timere judicem, sed & justum diligere.* Et hoc valde advertere debet peccator.

S. Bernardinus Senensis ex Ordine Minorum : hic enim tom. 3. in tractatu confessionis requirit, ut confessio sit pura, id est, ex timore, ait, *non servili, sed filiali vel saltu initiali, quia timor servilis non est in charitate, non dico perfectâ, sed necessaria ad salutem : sine charitate impossibile est placere Deo.* Et ostendo in quo timor servilis situs sit, addit : *quod si bonum fiat ex tali timore, non tamen fiat bene.* Denique subdit, *quod si peccata solum timore plorent & confiteantur, nihil illis prospicit, quia, ait, solum est timor*

mors sine charitate. Idem docet de amore conterente, quod causa contritionis debeat esse dilectio. Et in Apocalyp. c. 1. v. 17. in illud, *noli timere*, ita ait: *quaratus timor est servilis, quando timore pœna cessat quis à peccatis, de quo dicit Augustinus, qui timet serviliter, regnat in eo peccandi potestas & voluntas.* Et clarus tom. 1. serm. 12. a. 2. c. 2. ubi ita scribit: *Ex his aperiè elici potesi, quod quæ conteritur principaliter propter timorem inferni & non propter amorem Dei, non est in statu salutis, quia non dolet amore Dei, sed amore sui, ut si cessaret damnatio ex perpetrata culpâ, cessaret & contritio illa.* Sed secundum Scotum in 4. dist. 20. licet ad veram contritionem concurrat timor humilians, debet tamen concurrere amor inflammans. Quæ omnia scotistico discipulo recolligenda relinquimus.

Eamdem sententiam confirmat ratio, ex ipso Concilio Tridentino desumpta, cuius in hac parte sensum specialiter indagabimus infra; quæ est ejusmodi: ex supposito quarto patet, attritionem adeo debere esse efficacem, ut voluntatem peccandi excludat, sed attritio formidolosa, voluntatem peccandi excludere se solâ non potest, ergo est insufficiens.

Minor, quam totis viribus oppugnant adversarii, *solus ita* probanda est: sed ante omnia notandum, duplicum esse alicujus rei exclusionem, positivam unam, aliam negativam. *Negativa* est mera absentia rei, quæ dicuntur excludi. *Positiva* vero est talis rei absentia, quæ praesentemente aliâ re per quam dicitur excludi, repugnet eam adesse. Prima est impropriæ dicta exclusio, cum exclusio aliquid positivum sonet, & illa in solâ negatione, absentiae scilicet, absolvatur. Requiritur ergo inter illud, quod aliud positivè excludere dicitur, & illud aliud, quod excluditur, aliqua incompatibilitas si-
ve repugnantia, quâ fit, ut unâ re positâ, alia ut secum incompatibilis excludatur. Exemplo res fiet clarior: v. g. si lac album desinat esse dulce, dulcedo, non potest dici excludi per albedinem, quæ nullam habet cum dulcedine repugnantiam aut incompatibilitatem,

sed per amaritudinem excludi dicitur dulcedo. Idem evenit, in cogitatione & volitione alicujus rei, per illa enim aliquando cessare possit voluntas peccandi, non ideo tamen propriè dici posset cogitationem illam positivè excludere voluntatem peccandi, sed merè id occasionaliter accidit, ut fieret per somnum aut distractionem. Requiritur ergo repugnantia aliqua inter excludens positivè & id, quod positivè dicitur excludi.

Quod ergo formidolosa attrito se solâ non possit excludere voluntatem peccandi positivâ & propriâ exclusione, probatur 1. authoritate D. Augustini l. 2. cont. advers. leg. c. 7. ubi ita loquitur. *Prohibitio peccati, quod est lex, auget profectum desiderium peccati, quod non extinguitur, nisi contrario DESIDERIO RECTE FACIENDI, ubi fides PER DILECTIONEM operatur.*

Et iterum in Psalm. 118. *Timor iste, quo non amatur iustitia, sed timeretur poena, servilis est, & ideo non crucifigit carnem.*

Rursum Epist. 144. *Inaniter putat vultorem se esse peccati, qui parac timore non peccet.*

Et in Ps. 77. *Videntur, inquit, ambulare in lege Dei, sed nolunt ambulare; non enim ex corde faciunt, ex corde enim nullo modo fieri potest, quod sit formidine paenae, non amore iustitiae.*

Deinde serm. 19. de N. D. c. 9. *Si timore gehennæ non facis malum, nondum perfectus es: es quidem in te fides, gaudeo fidei tue, sed timeo malitiæ tue.*

Idem tradit l. de natura & grat. c. 57. ubi ait: *Qui non amore iustitiae se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber est, nec alienus à voluntate peccandi.*

Hicce adde illud ejusdem Doctoris generale axioma quod tradit l. 21. De civitate Dei c. 16. *Tunc vici vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.*

Rationem hujus sententiae assignat Epist. 144. *Quod qui gehennas metuit, non peccare metuat, sed ardere.*

Quin imò, inimicum iustitiae vocat, qui timore paenæ non peccat; & amicum ejusdem, qui ejus amore

amore à peccato abstinet, uti docet Epist. citata.

Clarissimè idem tradit l. 6. Musicæ c. 16. ubi disertè docet, voluntatem peccandi, quæ nihil est aliud, nisi inordinatus amor creaturæ, non posse excludi nisi aliquâ suavitate æternorum bonorum, quæ suavitas & delectatio nihil aliud est Augustino, quam aliqua Dei propter se dilectio, ut docet locis innumeris idem Doctor. Verba ejus hæc sunt *Hoc esse arbitror, quod agitur in his virtutibus* (scilicet Cardinalibus, de quibus est sermo) *Quæ ipsa conversione animam purgant. Non enim amor temporalium rerum expugnaretur, nisi aliquâ suavitate æternarum. Virtutes ergo ipsæ juxta S. Doctorem non purgant animam, nisi ipsæ conversiones. Quid autem est conversio animæ ad Deum aut ad æterna, nisi quadam charitas, quâ animus convertitur ad illud, quod amat? Notandum denique, dicere eumdem S. Patrem, amorem temporalium scilicet inordinatum amorem facili in omni peccato tam interno quam externo inclusum, nullatenus expugnari aut excludi posse, nisi suavitate æternorum: & quid aliud Augustino suavitas illa, nisi amor & charitas, quâ contemptâ cupiditate facili dulcescit æterna?*

Quæ omnia S. P. Augustini testimonia, et si alia plurima adferre possem, satis innuunt animo non præoccupato, voluntatem peccandi, excludi non posse solâ poenæ formidine, sed amore justitiae, cum non excludatur nisi desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur; cum timor ille non crucifigat carnem cum concupiscentiis ejus, nec timore poenæ obtineri possit victoria, nec ex corde in viâ Dei ambulari, si solo timore à peccatis recedatur.

Quæ in speciem videntur hisce repugnare, postmodum in refellendis adversæ partis argumentis discutientur.

Probatur vero ulterius ex ipsâ ratione, solo timore non posse excludi voluntatem peccandi. Primo quidem, quod etsi talis timor gehennæ v. g. aliquandò timeret

*reflēctē ori-
tur ex
amore sui* non habeat annexam voluntatem peccandi , potest tamen eamdem habere annexam : ratio est , quod talis timor directè oriatur ex amore sui : quarè enim pœnam timeo , nisi quia carnem diligo , cui timeo pœnam infligi ? amor autem ille sine dubio annexam habere potest voluntatem peccandi : quidni & ille timor , qui directè ex tali amore pullulat ?

*Non est
repugnan-
tia inter
peccatum
& timo-
rem solum* Secundò , ut ante prænotatum est , ad exclusio- nem alicujus propriè dictam , requiritur aliqua re- pugnantia aut contrarietas , inter excludens & id quod excluditur : ex quo illud consequitur , quod prætendimus , eò quod nulla sit repugnantia inter voluntatem peccandi & ejusmodi timorem . Probatur assertio : quia ratio formalis peccati mortalis sita est in contemptu saltem interpretativo amicitiæ divinæ ; cum illa autem ratione timor ille nullam habet repugnantiam , non magis quam ipse amor sui , ex quo directè timor nascitur . Patet clarissimè , quia potest quis timere gehennam & contemnere interim Legislatorem Deum , peccatis gehennam interminantem : Deinde potest quis gehennas timere , & interim delectari venereè , &c.

*Solus
amor re-
pugnat
peccato.* Talem ergo repugnantiam cum voluntate peccati ejusque formalis ratione , habet solus amor , qui animum ad Deum convertit , a quo per peccatum avertitur , qui amicitiam Dei considerat , cuius contemptum peccatum induxit , prout illum importat & secum subinfert .

Opponit quispiam primò ad primam confirmationem sententiæ nostræ ex S. Augustino l. 2. contra adversarium legis c. 7. adductam , & ait , quod quamvis verba illa videantur probare voluntatem , sive ut Aug: loquitur desiderium peccandi non posse excludi per timorem sed per amorem : non ita tamen clare hoc præstant , quin si cum toto contextu conferantur evasioni sit locus . Verum hic omnino fallitur . Clarissimè id patet ex ipso contextu , ex quo patrocinium querit : dicto enim , prohibitiō enim peccati &c. ita sequitur : hoc au-

Item non præstat littera jubens; sed Spiritus juvans, non est ergo Lex, sed gratia, non V. T. in servitutem generans quod est Agar, sed novum in quo non sunt ancille filii sed liberæ..... Bona est ergo lex quæ hoc dicit, sed ubi non adest vivificans Spiritus, hæc ipsa lex quam bonam dicit, occidit. Quia peccati virtus est, cum per illam operatur omnem concupiscentiam, inflammando prohibitionem: quod non extinguitur per jubentem litteram timore pœna, sed per juvantem Spiritum dilectione iustitiae. Ex quo clarè patet, apertam esse S. Præsulis doctrinam, desiderium peccandi non extingui, nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur: hoc autem desiderium non præstat Nisi gratia, nisi spiritus juvans, lex nova, per juvantem spiritum dilectione iustitiae. Dicere autem hic aliud esse, Lex amoris & ipse amor, aliud amor, aliud gratia, novum testamentum, est à Sancti Patris mente aperte deviare. Nam ut ait l. 4. ad Bonif. c. 5. Quid gratia, nisi inspiratio dilectionis, ut cognita Sancto amore faciamus? Et rursum: quid S. Augustino novum testamentum, nisi amor seu lex amoris, dum ait l. cont. Adimant. c. 17. Hæc est brevissima & apertissima differentia duorum testamentorum, timor & amor? Deinde, ecquid apertiùs & pro sententiâ datâ solidius, nisi dicere: Desiderium peccandi non extinguitur, nisi desiderio recte faciendi, &c. Quod idem est, ac si dicat: desiderium peccandi numquam excluditur, nisi per amorem? si aliud quidpiam quisquam intendat, vim infert clarissimus S. Augustini verbis, adeoque qui hic ex contextu evasionem querit, arctias pro nostrâ sententiâ se implicat & decertat. Totius quidem capititis principale intentum est, uti & libri, afferere quod Deus sit author legis veteris, quod eadem sit bona, simul tamen ostendere ejusdem insufficientiam, & adstruere gratiæ & dilectionis necessitatem ad eamdem adimplendam.

Objices 2. Posse dari desiderium ita efficax beatitudinis, ut vi illius velim efficaciter removere omne

illud, quod retardat desiderantem à consecutione beatitudinis, quale est peccatum. Idem quoque opponunt de timore, qualis dari posset adeò efficax.

*Timor non ut voluntatem peccandi se solo excludat: Imo hoc est efficax aperte docet Concilium Tridentinum. Ad quæ Resp̄ respellit exclusio. pondeo: in primis posse dari ejusmodi desiderium adeò efficax ut prætenditur, lubens admitto, si desiderium illud vivificetur per aliquem amorem, qui so-
candi, lus peccatum excludit. Idem dico de timore illo, quem fingunt ita efficacem. Quid verò doceat Tri-
dentinum in hoc puncto, declarabo speciali §. Hoc interim addo, posse aliquando per tale desiderium & per talem timorem excludi voluntatem peccandi, verum non positivâ exclusione: ad illam enim re-
quiritur aliqua repugnantia inter excludens & exclu-
sum, qualis non est inter timorem illum, & peccan-
di voluntatem, ut superius confirmatum est: neque talis repugnantia admittenda est inter tale desiderium & peccandi voluntatem, quod clare patet ex eo, quod quis possit sperare & desiderare beatitudinem, & tamen de facto mortaliter peccare. Spes enim quæ est efficax desiderium beatitudinis, non habet con-
trarietatem cum peccato mortali, ejusque volunta-
te, cùm illa cum spe simul consistat, sed tantum spes repugnat cum desperatione similiye vitio, ra-
tione cuius spes dicitur positivè excludi, dum intrat desperatio aut aliud simile oppositum spei vitium.*

*Quomodo spes dicatur esse de nisi quia adeò firmum, ut omnia impedimenta beatitudinis removere possit? Respondeo: spem Theo-logicam necessariò exigere charitatem aliquam, pluri-
bus ostendi agendo de spe. Deinde spes ideo di-
citur desiderium efficax, quod non sit tantum aliqua velleitas, sed absolutum in beatitudinem desiderium, vel etiam, quia innititur divinæ promissioni & bo-
nitati, quæ omnipotens est, & efficacissima, quâ ratione spes quoque dicitur firma &c.*

Ne quis. Oppones ulterius: potest dari timor adeò efficax

efficax , ut excludat peccatum externum , ergo dari ^{dum solo} potest adeò efficax , ut excludat quoque internum si ^{timore po-} ve voluntatem peccandi. Quòd autem timor ex- ^{test abſi-}
cludere possit peccatum externum , probat expressè ^{nus a pe-} Docto^r Angelicus : dicens timorem manum cohibe- ^{terne.}

re , et si non animum. Ad illa ita respondemus , nequidem per solum timorem excludi posse positivè peccatum externum : quod vel inde colligitur , quòd stante timore gehennæ , possit in nobis exurgere tam vehemens in peccatum externum , præfertim illecebrosum , ut puta luxuriæ affectus , ut etiam stante tali timore , illud committamus.

Petes : Ex quo ergò fiat , quòd timentes poenam v. g. gehennam , se aliquando à peccato tam interno quam ^{Dum ab-} externo cohibeant ? Resp. hoc non timoris efficaciam ^{invenitur} sed affectui ^{ab aliquo} sepe coniuncto adscribendum est. Pro quo notandum , plerunque cum timore concurrere & ^{peccato ,} coujungi amorem aliquem ad bonum , quod est op- ^{hoc sit per} positum malo quod timetur : v. g. timeo infamiam ^{aliquem} incurrere per peccatum ad quod inclinor seu inducor : timore illo infamiae à peccato illo abstineo , & vo- ^{amorem} luntatem illam abjicio , non quod timor ille infamiae sit ita efficax ut illa excludat , sed hoc sit ratione af- fectus ad famam , qui affectus oppositus est infamiae quam timeo , & ideo excludit affectus ille ad famam omne id , per quod infamiam possem incurtere , quale est peccatum. Tota ergo efficacia in excludendo peccato , est in tali affectu , minimè verò in timore ; adeo ut voluntas peccandi tali timore excludi dici posset ad summum , ut causa occasionalis & per ac- cidents , prout aliquando voluntas illa excludi posset , per somnum , per distractionem , &c.

Illud ergo est quod prætendit axioma D. Thomæ : quod scilicet , dum timemus per peccatum externum poenam , ut puta per furtum patibulum , aut apud homines infamiam , soleat in nobis exurgere affectus ad vitam vel ad famam vehementior , vi cuius cohi- bemus manum à peccato : in peccato autem interno ,

non ita sœpè solet adjungi talis affectus , cùm pœna temporalis & infamia soleant vivacius apprehendi & timeri , quam æterna & temporalis per externa peccata causentur , alia autem per interna .

Liquet ergo ex dictis , solo timore non posse positivè excludi voluntatem peccandi , adeoque vel ex hoc puncto formidolosam attritionem esse insufficientem ad justificationem etiam in Sacramento .

Olium importat affectum ad oppositum, quod edimus. Probari ulterius posset ejus insufficientia ex eo quòd attritio salutaris continere debeat vitæ antea-ctæ odium & detestationem peccati ut est offensia Dei . Ex quo sic procedo : Omne odium oritur ex aliquo affectu ad oppositum : Ergo etiam omne odium peccati ex aliquo affectu ad illud , quod est oppositum peccato : Peccatum verò ex sua ratione formalí opponitur amicitia divinæ , cuius contemptum secum trahit , adeoque attritio illa , odium tale necessariò includens , oritur ex amore ad divinam bonitatem ejusque amicitiam quam perdidit , recuperandam . Patet hoc ex eo quòd doceat Trid. debere esse dolorem de peccato ut est offensia Dei .

Probari posset insuper doctrina nostra , quòd attritio salutaris debeat habere annexam spem veniæ , quâ ad Dei misericordiam confugimus , spes autem sine omni amore esse nequit , ut Tract. de spé ostensum est .

In omni salutari attritione debet fieri conversionis voluntatis avertit, ita per pœnitentiam voluntate suâ debet se ad Deum, ad Deum convertere. Postremò ad majorem hujus doctrinæ confirmationem advertendum est , in omni salutari attritione fieri debere veram ad Deum conversionem ; Sicut enim peccator se per peccatum suâ voluntate à Deo avertit , ita per pœnitentiam voluntate suâ debet se ad Deum , ad Deum convertere . Ex quo deduco , quòd etsi timor gehennæ voluntatem à peccato averteret , adeoque excluderet (quòd tamen admitti neutquam debet nec potest , ut probatum est) non ideo tamen attritio formidolosa esset sufficiens ad justificationem . Ratio ejus est clara , cùm per solum timorem non possit haberi voluntatis ad Deum conversio , quæ in

in amore & affectu aliquo consistit, & tamen ad salutarem poenitentiam est necessaria.

Dices, non potest fieri aversio à creatura sive peccandi voluntate, quæ inordinatum creaturæ amorem includit, absque conversione ad cretorem, maximè in nostra fententia, quæ non agnoscit actus in individuo indifferentes. Respondeo & dico primo dato etiam posse per timorem fieri aversionem (quod timori soli neutquam admittendum) à creatura inordinate amata, non tamen idèò tali timore continuò habebitur ad Deum conversio. Poterit enim voluntas gehennas timere, & se à voluntate peccandi cohibere, sibi, & suæ cui timendo, ad quod amor proprius abundé sufficit. Requiritur ergo voluntatis affectus erga Deum, quâ possit obtineri talis conversio, qui affectus est amor aliquis erga Deum: et si hoc fateri possit, tali timore posse aliquid induci talem affectum quod plerumque fit. *Timor inducit charitatem.*
Hinc S. Augustinus alibi timorem setæ comparat, quæ filum charitatis subinducit.

Instabit aliquis, si per timorem hoc casu non convertatur ad cretorem, sistet indubie in creatura, adeòque non poterit dici exclusam esse voluntatem peccandi, per timorem, quod tamen concessimus grati. Resp. verùm quidem esse juxta Genuina S. August. principia, & aliorum SS. PP. voluntateni deliberatam semper aliquid amare & diligere, aut Dei aut mundi esse amatorem, amoreni mundi esse noxiū, &c. Ex quo consequitur, si talis timens ad Deum per amorem aliquem non convertatur, talem amare creaturam, saltem se ipsum suamque carnem: Talis ergo timens in ejusmodi amore sistens, procul dubio juxta dicta sp̄c̄iū principia peccabit, defectu relationis operum ad Deum, ad quam ex præcepto, tum naturali, tum divino constringitur: Non tamen ideo consequitur voluntatem peccandi non esse eo casu exclusam: Agimus enim de voluntate peccandi mortali- ter, uti passim in hac materia loquendum est, dum agitur

agitur de voluntate peccandi quæ dicitur excludi. Posset enim fieri si exclusio voluntatis peccandi timori concederetur tali timore excludi voluntatem peccandi mortaliter, & interim venialiter peccare, sistendo in creatura venialiter mala, aut in seipso hærendo & actum timoris ad Deum non dirigendo. Quomodo tamen inde non sequatur, timorem gehennæ esse malum, peccatores pejores facere, &c. Prout prætendunt aliqui, etsi ex dictis sufficienter peti posset, & intellegi, speciatim tamen illud ostendam in sequentibus.

SECTIO IX.

Quid in hac parte sentiat Concilium Tridentinum.

MI R U M quantopere se fundant in hoc Concilio attritionis formidolosæ patroni: Ubi tamen ipsos manifestè confundit, ut patebit ex mox dicendis. Primum tamen videndum, an sufficienter in hoc Concilio sit definitum, aut saltem satis declaratum attritionem formidolosam sufficere in Sacramento ad justificationem. Enim verò hoc neutiquam declaratum esse in hoc Concilio, manifestè patet ex eo, quod Concili mens fuerit ab illius declaratione abstinere: cuius probationem suppeditat nobis maximè opportunè historia Pallavicini ex actis originalibus ejusdem Concilii ut ipse testatur, concinnata. Hic ergo author l. 12. c. 10. refert acta sess. 14. in qua se fundant potissimum adversæ partis patroni, & inter alia hæc subdit. *In Pairum conveniu id pauci attigerunt: Aliquod tamen vestigium dumtaxat comperio opinionis negantis necessitatem amoris, in iis que Granatensis disputavit. At verò Joannes Emilianus Tudetanus antiates, extremum oppositum sententie tenuit; hoc est, opus esse contritione perfectâ: nec tamen hinc argui, per Sacramentum peccata non remitti: Quippe quæ Sacramen-*

tum jam invenit remissa, praecuntis contritionis efficacitate. Si quidem ajebat ipsa contritio id praestat virtute Sacramentii, cuius votum in ea continetur. Præterea oportet scire, postea decretis doctrinam complexis verba hæc fuisse adjelta: Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, & solum vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenne & pœnaru[m] metu qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat, statuit hæc S. Synodus & declarat, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, (ut quidam blasphemare non verentur)

VERUM ETIAM SUFFICERE AD SACRAMENTI HUJUS CONSTITUTIONEM; Ac donum Dei esse, ac impulsu[m] Spiritu[s] Sancti verissimum, non adhuc quidem inhabitantis sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur. Sed laudatus Episcopus monuit falsò dici hujusmodi dolorem sine amore vix umquam concipi posse; Quid autem hæc attritio satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare authorum sententias, adeoque esse id tollendum. Namobrem decretum sicut nunc extat, reformatum est. Hactenus Pallavicinus.

Ex quibus manifestum fit, decretum prius conceputum, docuisse attritionem formidolosam sufficere ad Sacramenti constitutionem, sed ad instantiam Emiliani, dicentis in hac parte variare Doctorum sententias, decretum illud praconcepsum cassatum esse & reformatum, Cassando illa verba: Sufficere ad sacramentu[m] hujus Constitutionem. Unde clarè liquet, Concilium Tridentinum id noluisse definire, quod prætendit pars ad versa.

Si verò quis urgeat, Concilium agere de attritione ex metu concepta sed cum aliquo amore, in decreto praconcepto, ut patet ex illis verbis: Cùm sine ali-

aliquo dilectionis in Deum motu vix queat; adeòque nihil de formidolosa concludere liceat: respondebitur omnino concludi posse, quod prætendimus: Si enim Concilium noluerit definire, quod ejusmodi attritio sufficiat, si aliquis Dei amor adsit: Multò minus profecto, noluit illud definire, de attritione omni profus amore destituâ: Si enim sufficeret servilis, quidni multò magis sufficeret initialis?

Deinde quod concilium illud definire noluerit, clare patet ex eo, quod aliqui qui concilio illi interfuerant, non longo post celebratum concilium tempore aperte docuerint, in Sacramento requiri attritionem, quæ charitate perfectâ saltem existimata esset formata; alii, quod tantum probabile esset, quod sufficeret in Sacramento Pœnitentiæ attritio formidolosa ut docent Ruardus Tapperus, & Dominicus Soto: alii denique amorem aliquem in attritione exegerunt: quod si concilium definitivisset formidolosam attritionem sufficere, vel arrogantiæ summæ ejusmodi culpandi essent, docendo id, quod concilii definitioni adversatur & repugnat: vel saltem crassæ admodum ignorantiaæ, decretum contrarium concilii tam manifestum (ut alii urgent & dividunt) ignorando.

Attritio Opponunt tamen adversarii, sess. 14. c. 4. aperte *formidolosa-* definiiri, formidolosam attritionem disponere ad *sa- tanta-* stificationem in Sacramento pœnitentiæ. Respon-*disponit* sive remotè ad deo nihil inde pro aliâ sententiâ posse concludi: fi-*remotè ad* des enim etiam ad idem disponere potest, quæ ta-*remotè ad* men quoque non sufficit. Abstrahit ergo hic con-*remotè ad* cilium à dispositione proximâ & remotâ, cum ni-*remotè ad* hil aliud doceatur, quâm attritionem illam esse bo-*remotè ad* nam, non facere hominem hypocritam, magis pec-*remotè ad* catorem, Iprout volebat Lutherus, gehennæ metum ut pestem capitalem & Dei odium proscribens, nec pœnitentiam salutarem concipi posse, nisi amore solo, existimans.

Objiciunt secundò, concilium supponere suffi-
cien-

cientiam attritionis servilis eodem loco , dum dicit de eâdem , *si voluntatem peccandi excludit* , ex quo videtur supponere , eam attritionem posse voluntatem peccandi excludere , ex quo capite eam potissimum ut insufficientem proscribimus. Idem videatur tradere idem concilium sess. 6. can. 8. dum dicit per gehennæ metum nos à peccatis abstinere. Ad illa etsi utcumque in superioribus responsum sit , respondeo illâ suppositione nihil innui nec posse concludi pro sufficientia formidolosæ attritionis : supponit enim concilium aliquando tali metu excludi posse voluntatem peccandi , sed non *solo* metu , sed si amor comitetur , prout necessarium esse , præcedenti paragrapho ostensum est & probatum.

Quòd verò Can 8. ejusdem sessionis doceat , nos per abstine-
gehennæ metum abstinere à peccato , nihil prorsus ^{nous per}
obstat ; cùm à peccato quandoque abstineamus per ^{tsmorem à}
somnia, distractionem, aut similem causam occasio- ^{peccato, ut}
nalem , ut ibidem quoque confirmavimus : nihil verò ^{per cau-}
definit ibidem concilium , an proximè ad justifica- ^{sans occasionem.}
tionem disponat , & an propriè & dispositivè vo-
luntatem peccandi excludat , sed potius contraria ,
prout mox ex eodem concilio probavimus.

Oppones tertio : videtur equidem concilium hâc *Quomodo*
dictâ sess. 14. uelle innuere attritionem formidolo- *Conc Tri-*
sacramen-
ti, & sufficere se solâ ad justificationem , cum hâc ses-
sione velit tradere exactiorem & pleniorem instru-
ctionem de Sacramento Pœnitentiae , prout monet ^{ne det}
in procœmio hujus sessionis , quòd aliâs non præsti-
tislet , si illud non attigisset. Respondeo verum esse ^{pleniorem}
quod hic exactius agat de Sacramento pœnitentiae , ^{nem.}
sed respectivè ad sess. 6. quòd se in dicto procœmio re-
fert , ubi nihil de hujus Sacramenti partibus dixerat ,
nihil de expressione peccatorum , prout hic agit
Concilium : non ideo tamen adeo exactè de hoc Sa-
cramento differit ibidem Concilium , nec differere
volut , ut omnia etiam in scholis controyersa deci-
deret

deret ac definiret, prout constat ex plurimis in hac materia hinc inde controverti solitis. Potissimum ergo, quod hac sessione videtur concilium spectasse, est illud, quod nefarium Lutheri dogma damnaret, quo docebat, gehennæ metum malum esse, facere hominem magis peccatorem, hypocritam, &c.

Objiciunt ex dictis voluisse Concilium, hac sessione adstruere motum illum attritionis, quem destruebat & rejiciebat Lutherus, scilicet attritionem servilem. Occasione hujus sit.

SECTIO X.

Quid in hac parte senserit Lutherus, & in quo sit condemnatus.

ET si Alexandri VII. Constitutione data 5. Maii 1667. in virtute S. Obedientiae & sub anathemate S. Sedi reservato prohibitum sit, alteram hujus, de qua differimus, questionis partem censurare: sapientiam nostram in Luthero damnatam a Concilio Tridentino, de post experti sumus & dici audivimus. Verum ut notat quispiam, non est novum nec insolitum, ad veritatis vires subterfugiendas, objici nomen & doctrinam ab haereticis aliquando traditam. Pelagiani propemodum ab Augustino prostrati, objiciebant Augustino quod cum Manichaëis sentiret, uti constat ex l. 3. ad Bonif. c. 9. ubi ait: *Prius (Pelagiani) haeretici noti Manichaorum nomine objecto, vim subterfugere veritatis, sed non subter fugiunt.* Ejusmodi ergo censuræ & calumniæ repudiandæ sunt, cum sententia quæpiam ut haeretica proscribitur, aut ab authore condemnato tradita asseritur, & eo solo titulo condemnatur, sed matruis investigandum, an cum doctrina haeretica & condemnata concordet. Multa enim verissima & utilia tradiderunt haeresiarchæ, qui signanter de Luthero

thero tradit Eckius l. 3. de Pœnit. c. 2. Quâ ratione hoc Plautini Euclionis dictum Lutherò applicat : *Una manu fert lapidem, alterâ panem ostendit.* Videndum ergo quidnam de attritione senserit Lutherus, idque ex ipso aut ejusdem antagonistis, ut Eckio, Roffensi, &c.

In primis ergo supponendum, Lutherò prout & aliis hæresiarchis familiare admodum fuisse agere versipellem, & de uno extremo transilire ad aliud, cum inconstantia hæreticis observetur propria. Primo enim defectionis suæ tempore, in hac parte docuit, omnem omnino Pœnitentiam, quæ fit ex metu aut simili motivo ab amore distincto, esse re- jiciendam, solam verò pœnitentiam, quæ ex amo- re concipitur, esse venia & absolutione dignam. Clarissimè id patet ex gloriose Martyre Roffensi Lutherum oppugnante & ita differente, ad articulum 6. Luther. pag. 100. *cum contritio possit duobus pa- rari modis, hoc est vel per timoris vel per amoris viam,* tu timore poshabito, SOLO VIS AMORE contritionem à peccatoribus queri. Et iterum pag. 108. idem constanter doceat idem author; idem quoque aperte tradit Eckius l. 1. de Pœnitentiâ c. 2. Hinc profluebat famosum illud Lutheri dogma, quo docebat, pœnitere peccarum intuitu hypocrisim esse, facere hominem magis peccatorem &c. & iterum perniciosum esse docendi genus quo dicitur quempiam peccatorum pœnitere pœnarum intuitu &c. prout ad articulum 6. Luth. declarat idem Roffensis. Consequebantur hæc absurdâ ex infallibili & primo Lutheri principio, quo statuebat, omnia quæ agebat homo ante charitatem, peccata esse & hypocrisim, & consequnter et iam dolere de peccatis intuitu pœcarum.

Patet hoc evidenter ex eo, quod timorem servilem vocet, nunc consuetudinem desperandi, & odiendi Deum; unde Lutherus ad illa Augustini verba : *bonus est timor &c. hoc est, ait, meo iudicio con- fuetudo*

Omnem
timorem
deseritatus

Suetudo desperandi & odendi Deum, si excludatur gratia. Hunc euindem timorem item vocat *Fomitem peccati, charitatis vitium*, prout patet ex Roffensi pag. 86. adeoque peccatum ipsum prout concludebat idem author.

Item in assertione artic. 6. vocat intuitu pœnarum pœnitere, *Afflatum capitalem pessimum*, &c. Ex quibus colligitur, Lutherum docuisse pœnarum metum esse in substantia malum, *hypocrysim*, &c. In quo errore juxta quosdam fuit 16. annis aut citer.

De post conversus est Lutherus in oppositam fere partem, adeò ut qui ante timorem omnem penitus rejecerat, eumdem statuat Sacramenti partem. In hæc sententia vocabat pœnarum metum terrores conscientiae incusso ortos ex gehennæ & pœnarum metu, in quo includebantur odium peccati, novæ vitae propositum, & ad eumdem opus esse impulsu Spiritus Sancti cor hominis efficaciter moventis. Quod verò hæc ejusdem fuerit aliquando sententia patet ex ejus verbis serm. 2. de pœnit. al. latis, ubi ait: *Contritio (sic enim cœpit vocari pœnitentia interior) duplice viâ paratur: Primo per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, quâ quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, dannum, seditatem, multitudinem, deinde amissionem æterne beatitudinis, ac æterne damnationis acquisitionem & alia quæ possunt tristitiam & dolorem excitare, spe faciendi per opera bona.* Hæc autem contritio facit hypocritam & magis peccatorem, quia solum timore præcepti & dolore danni id facit, & tales omnes indignè absolvuntur & communicantur & si liberè deberent removis preceptis & minis pœnarum confiteri, certè dicerent sibi non disflicere vitam præteritam, quam sic coguntur disflicere confiteri. Imò quo magis timore pœnæ & dolore danni conteruntur eo magis, peccant. &c.

Hæc fuerunt capitales de servili metu Lutheri opiniones: In quibus, quæ consonantia cum nostra huc usque

usque tradita magis quam cum adversariorum sententiā fatemur enim poenitentiam ex alio motivo quam motivo Charitatis concipi posse, immo motivum spei necessariō requiri, docemus metum etiam servilem esse bonum secundūm substantiam, etiam ante justificationem, et si servilitas ejus mala sit ut ait Doctor Angelicus, quae omnia damnabat Luther & in quo pariter ab Ecclesia damnatus est.

Etsi ergo Luther voluerit attritionem debere concipi amore, quod & nos docemus, & eo titulo nos illi assident adversarii, notent postmodum docuisse Lutherum attritionem timore concipi, quod & tradunt adversarii, et si tamen longē discrepent à Lutheri dogmatē, prout manifestum est. Pro quo notandum, docuisse Lutherum, attritionem debere concipi amore, non omni prorsus, sed perfecto, & ut ipse ait, *Amore gratificante*, unde omnia, peccata statuebat, quae faciebat homo ante justificationem: Nos autem & imperfectum amorem sufficiēt in attritione admittimus.

*Docebat
solo amo-
re gratifi-
cante id-
est perfecto*

Opponunt tamen alii, Lutherum redarguere Catholicos docentes attritionem posse concipi, solo metu sine amore, prout statuunt adversarii nostri: In eo autem, dicunt, ab Ecclesiā condemnatur, & dicitur anathema Luthero ejusque affectis, & declarat hanc attritionem formidolosam sufficere, cùm Lutheri dogma rejiciat, & Catholicorum confirmet. Ad illa respondeo, aut Lutherum hoc therus Catholicis non objecisse, scilicet formidolosam attritionem sufficere ex ipsorum doctrinā, aut certè falsò & mendaciter, ut alia multa, Catholicis illud objecisse. Ultimum tamen videtur manifestum ex eo quod scribit Eckius l. 1. de poenit. c. 5. contra Lutherum: Ubi ait: *Fatentur & hoc Catholicī cum S. Paulo, si quis chariatē non habuerit, &c. Fatentur si quis vellet stare in timore servili dumtaxat, sicut Judas, quod veram pœnitentiam numquam adipisceretur.* Ex quo patet, si Lutherus Catholicis objecerit, quod tra-

*In quo Lu-
therus
damnet Ca-
tholicos.*

derent attritionem formidolosam sufficere, meram objecisse calumniam, cum teste Eckio Catholici charitatem ad salutarem pœnitentiam exigerent ut planè necessariam.

Sententia de sufficiencia formidolosa attritionis non va est. Confirmat illud idem egregius antiquitatis scrutator Morinus l. 8. de pœnitentiâ c. 4. ubi ita ait: *Quod attritio ex sola formidine concepta, talisque à pœnitente cognita, & immutata se habens, legitima & sufficiens sit preparatio ad gratiam, in Sacramento suscipiendam.* Authoræ fuerunt Melchior canus Francisci vittoriae Discipulus, & Henricus quidam Salmanticensis Doctor. Ante hos (N. B.) neminem legi, qui sic doceret aut docere perhibetur. Hæc quæstio planè nova est, & omnibus scholasticis ante hoc sæculum incognita, ut rectè annotavit Alexander Pesianus. Ita Morinus.

In quo Concilium Tridentinum docebat timorem servilem in substantia malum esse, siherum. Totum ergo quod in hac Lutheri condemnatione egit Concilium, est proscribere sententiam ejus, quam docebat timorem servilem in substantia malum esse, siherum. facere hominem magis peccatorem & hypocritam, quod hæreticum est & nemo Catholicorum consentire audet: & ulterius definire, timore illo attritionem posse concipi, esse utilem, esse bonum, nec facere hominem hypocritam, quod docent Catholicæ omnes. In hoc enim Luther redarguebat Catholicos, quod tamen Ecclesia confirmat & Lutherum anathematizat.

SECTIO XI.

An ex Concilio Tridentino probari possit attritionem formidolosam esse insufficientem ad justificacionem in Sacramento Pœnitentiae?

EX dictis liquet, Concilium Tridentinum noluisse definire, an attritio formidolosa ad constitutionem Sacramenti sufficiat, prout ex Pallavicino probavimus: Indagandum restat, an ex eodem concilio

celio pro sententia nostra, probatio aliqua aut confirmatio possit erui & obtineri.

Dico ergo ex illo Concilio abundé colligi, aliquem amorem ad veram & salutarem attritionem esse necessarium. Colligitur id pr. mō ex prædicto Tridentinæ Synod. Historico Pallavicino, qui ad sess. 6. c. 6. ubi Concilium inter alias ad justificationem obtinendam dispositiones necessarias in peccatore, statuit ut Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, ita dicit l. 8. c. 13. n. 13. *Visum esse cum Pœnitentia fide & spe jungere aliquem dilectionis actum: Quia si tia sine a- pœnitentia tota esset ex timore sine amore justitiae, & do- more est in lor esset propter pœnam tantum & non propter Dei offen- sam, infruituosa esset.*

Dices aliud omnino innuit Pallavicinus num. 12. proximè præcedenti, dicens: *Subditur eodem capite, homines ejusmodi timore fiduciâque excitatos, Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipere, ac propterea moveri adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Consultid postrema verba sunt apposita, quo discrimen haberetur inter hujusmodi pœnitentiam, & illam quæ in peccatore post Baptismum exiguntur, & de qua agitur can. 14. & qua spectat ad pœnitentia Sacra- mentum. Ex iis enim aperiè videtur vis dicti argu- menti enervari, cum expressè & consultò addita sint postrema verba, ut distinctio haberetur inter Sacramentum Pœnitentiae & Baptismatis, ad quod in peccatore requiritur ut Deum tamquam omnis ju- stitiæ fontem diligere incipiat, non itidem id requiri- reretur in peccatore ad Scramentum Pœnitentiae sese disponente.*

Respondeo tamen & dico, nihil inde confici pos- se contra dictum argumentum ex Pallavicino peti- tum. Quod enim consultò postrema verba (quæ utique sunt hæc *Quam ante Baptisma agit oportet*) sunt apposi'ta, verum est; sed quo fine? an ad innuen- dium quòd in peccatore ante Baptisma exigatur, quòd

Deum tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiat, non vero idem requiratur in peccatore, sese preparante ad poenitentiam? neutiquam sané, cum ipsa Poenitentia ab ipso Concilio dicatur *laboriosum Baptisma*: quæ maiorem requirit in peccatore post Baptisma dispositionem, propter speciale turpitudinem, ob amissam Innocentia stolam, contritam, quo titulo discrimen illud non est admittendum; nec Concilium, aut Concilii historia hoc pretendit, aut prætendere potest. Ideo igitur postrema illa verba apposita sunt, ut discrimen haberetur inter Poenitentiam ante Baptisma & ante Poenitentiae Sacramentum, eò quod plures & aliae requirantur dispositiones & conditiones in peccatore ante Baptisma & ante Poenitentiae Sacramentum, ut sufficenter colligitur ex ses. 6. c. 6. & ses. 14. c. 4.

Porrò sententiam nostram alio loco satis innuit idem concilium, dum docet attritionem illam concipi extimore gehennæ aliquando cum spe venia, ex quo colligitur quoque amorem necessariò prærequiri, cum spes sine amore esse nequeat, ut superius ex eodem Concilio probavimus.

Idem indicat eadem Synodus, dum follicite addit, si voluntatem peccandi excludat, quod timor se solo facere non potest, ut ex dictis abunde constat.

Eadem confirmat ses. 6. cap. 6. inter necessarias dispositiones ad justificationem ibidem exigens in poenitente ante Baptisma, ut Deum tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiat, de quo paulò ante. Ubi & illud notari velim Pallavicinum in titulo cap. 13. de quo supra, ita loqui *De actu Charitatis NECESSARIO ad justificationem etiam in Sacramento accipiendam*, Et eodem prosus modo haberi in Italico fonte: ex quo & illud collige, quod particula oportet in cap. 6. ses. 6. ubi dicitur de Poenitentia cum allatis eo capite dispositionibus, quam agi oportet ante Baptismum, importet necessitatem, non vero solam convenientiam ut contendunt aliqui.

Ex

Ex his & aliis satis liquet quænam fuerit Concilii Tridentini in hâc parte opinio, quam ex sequentibus fortè solidius eruemus.

SECTIO XII.

PRUDENS nuper Antverpiæ Theologia quædam triformis, multa datae doctrinæ proferens adversantia, plurima deducens ex sententiâ nostrâ dogmata planè absurdâ, quin & heretica & condemnata, quæ omnia, et si facili negotio sine probâ adstruantur, ita eadem omnia per se evanescunt. Juvabit tamen vacillantes conclusiones & dogmata falso affecta considerare parumper, & rejicere.

Inter alia Theologiæ puncta, quæ temporibus modernis controvertuntur, hæc ponit ut aliquorum principia, sed à Tridentino condemnata. *Peccat omnis qui de peccatis dolet ex metu gehennæ absque Charitate: Imò etiamsi doleat ex desiderio salutis eterne. Quia hic actus non concipitur ex amore Dei, sed ex desiderio salutis proprie. Doctrinam oppositam sonat, ait ille, Tridentini canon 8. ses. 6. Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.*

Subdit & hoc nobis secundum: *In Sacramento Pœnitentie non sufficit attrito, sive dolor de peccatis ex metu gehennæ, cum sp̄e venie, & proposito emendationis. Sufficere autem istam attritionem ex Tridentino ses. 14. c. 4. aliisque fusius ostendit alibi.*

Ostendit illud in decursu ad quæstiones particulares, ubi ita ad probam prædictorum ait: *Docent non nulli metum illum gehennæ non posse animum cohibere à pravo affectu, quamvis illum retrahere possit ne in peccatum exterritum prorumpat. Sic sensit Lutherus disput. lypſ. Eckio respondens: nec non scribens adversus Leonis X. articulum 6. sentio inquit, perniciosum esse genus docendi, quo intuitu*

pœnarum, præmiorum, peccatorum docentur pœnitere: his enim Doctrinis, coercentur quidem ab opere, &c.

Insuper probato, quod metus servilis non debeat necessariò habere conjunctam voluntatem peccandi, si posset impunè, probare conatur, dari metum gehennæ tam perfectum, ut per se & positivè voluntatem peccandi excludat.

Ad hæc, etsi sufficientissimè in antedictis responsum sit, respondeo tamen verum esse quod ille, qui ex solo metu agit, peccet, saltem contra præceptum omnia in Dei gloriam faciendi, idque per amorem, de quo fusè satis in 1.2. si verò doleat ex desiderio salutis æternæ de peccatis, absit ut peccet: cum juxta principia à nobis data, spes si sit vera & Theologica, in quâ tale desiderium involvitur, absque charitate esse non possit. Quod autem contrarium sonat canon 8. ses. 6. Conc. Trid. admittimus quidem sonare iis, qui animo præoccupato, nec maturius eundem legunt, aut indagant. Quid autem Canon ille velit, dixi præcedenti paragrapho, damnare scilicet Lutherum docentem, omnem omnino pœnitentiam, quæ alio motivo quam motivo amoris concepta foret, esse abominandam, peccatores pejores facere, hypocrisim esse, &c. In quo, absit, ut juxta principia nostra, eidem sententiae ab Ecclesia damnatae conveniamus, ut è contrario fa-

*Timor est
timu &
bonus.*

teamur, timorem gehennæ bonum esse secundum substantiam & utilem, locum præparare charitati, ad justitiam peccatores disponere, etsi se solo non disponat proximè; ad eundem nos salvatorem saepius fuisse adhortatum, &c.

*Servilitas
est timori
extrinse-
ca, intrin-
seca vo-
luntas.*

Etsi timor ille (ut verbis Doctoris Angelici rursum utar) habeat, Quod secundum servitatem ejus sit malus. Bonus ergo est timor, sed timens voluntas mala est, si actum timoris ad Deum non dirigat. Servilitas enim ejus in voluntate timente sita est, & actui timoris planè extrinseca, uti patet, quod idem actus timoris, nunc possit esse servilis, nunc initialis, prout affectum amoris annexum habet aut separatum. Quomodo verò illa optimè consistant,

auctum esse bonum, & operantem illum malum & male agere, ostendit idem in 1. 2.

Instabis: si talis timens peccet, ergo timor ille peccatores pejores facit, quod à concilio condemnatur.

*Timor
non facit
hominem
magis pe-
catorum.*

Resp. In primis, concilium ibidem non loquit tantum de timore servili, sed de omni prorsus, etiam initiali: agit enim de omni timore, quem reprobabat Luther, qui omnem omnino timorem rejiciebat, ut ex dictis patet: unde ex mente conciliū ferit canon ille, reprobantes & censurantes omnem omnino timorem ut malum, & hypocrisis causam, prout censurabat eum Luther, volens pœnitentiam solo amore deberē concipi.

Deinde, etsi timens timore servili peccet iuxta dicta, non ideo timor ille servilis peccatores pejores facit, cum hoc non proveniat ex illo timore, quod peccet timens, sed ex voluntate, auctum timoris ad Deum non dirigente per charitatem, ad quod obligatur.

Notandum insuper, ideo dogma hoc à concilio reprobatum, è quod Lutheri esset opinio, quod quidquid agebat homo peccator, ante charitatem & quidem perfectam, peccatum esset, & ideo idem tradebat de ejus inodi: imore, quod in Luthero ut & in aliis jure merito condemnat Ecclesia: cum variis actus boni & supernaturales, à peccatore ante justificationem possint exerceri.

Ad aliud quod adjungit praefatus Author, Responsum fuit in anterioribus & probatum, metum gehennæ se solo non posse excludere positivè voluntatem peccandi. Sed quo jure, Luthero hīc associat varios authores? Enim vero, quo pacto Lutherus timorem damnarit, & eā ratione ab Ecclesiā condemnatus sit, abundē. ex dictis constat. Deinde, quod serviliter timenti, in eādem voluntate lateat plerumque velleitas peccandi, si posset impunē, satis declarant SS. Patres, & ex iis Exim. P. Lupus de attritione cum aliis quibusdam. Solummodo attendat hoc D. Augustini dogma, quod tradit in Psalm. 32. *Impie legem, quam Dominus*

Dens tuus non venit solvere, sed adimplere. Implebis enim amore quod timore non poteras. Qui enim timendo non facit malum, mallet facere, si liceret. Itaque eis facultas non datur, voluntas tenetur. Sed age; quibusnam rationibus prædicta stabilire contentat, videamus. Primo quidem quod Tridentina Synodus ses. 14. cap. 4. dicat de attritione ex metu pœnarum conceptâ, si voluntatem peccandi excludat, quod ridiculè concilium adderet, si talis attritio voluntatem peccandi excludere non posset: nec minus ridiculè damnaret dictam Luiheri sententiam, ut potè in casu impossibili tantummodo falsam.

2. Quod idem Concilium ses. 6. can. 8. dicat, per gehennæ metum nos à peccatis abstinere. Neque dici potest hoc intelligi de metu qui amori conjungitur, cùm agatur de metu, quidilectionem antecedit, nam illum eundem metum c. 6. docet sternere viam ad speim & charitatem.

*Quin, quod tertio pro se adstruat S. Augustinum, ita in Psalm. 127. differentem de verme qui non moritur & igne qui non extinguitur. *Audiunt hæc homines, & quia vera futura sunt impiis, timent & continent se à peccato. Habent timorem & per timorem continent se à peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam. Cum autem per timorem continent se à peccato, sit consuetudo justitiae. Neque dici potest cum Lutherò, ait, intelligi tantum per peccatum, peccatum externum, quia internum intelligi cupit sermone 19. de V. Apost. Deus cor interrogat, non manum. Deinde peregrinum esset à mente S. Augustini de solo externo peccato illud intelligere. Ita author prædictus. Quid ad hæc? Ad primum quidem & secundum quod adfert, vide quod diximus sectionibus præcedentibus. Ad probationem vero secundi in contrarium, respondeo, agi quidem de metu charitati viam præparante, sed charitati perfectæ, quæ justificationi inseparabiliter conjungitur. Ponit quidem Concilium eo capite timorem ante amorem etiam inchoatum, quem innuit & declarat Concilium dicens,**

dicens, *Quod Deum tamquam omnis justitiae fontem diligere incipient*, uti etiam ponit idem Concilium spem, fidem, &c. Sed quid inde? Sequitur ideo fidem & spem posse subsistere sine amore? minimè vero. Quid ergo? Declarat igitur Concilium, quomodo *Timore per timorem pervenitur ad Charitatem*, dum timens *pervenitur ad partem intentionis salutarentur* gehennam respicit, & in spem misericordiae erectus fudit Deum sibi propter Christum propitium fore & tandem tamquam omnis justitiae fontem diligere incepit. Exprimit ergo S. Synodus, quo ordine peccator communiter concipiatur sese ad justificationem disponere, minimè intendens tradere aut docere, posse metum illum voluntatem peccandi excludere, fidem, spem, &c. posse esse sine omni charitate, etiam imperfectâ.

Pro cuius plenior intelligentia notari potest, fidem *Fides prae-
cedere spem & charitatem*, uti etiam eadem subsequi. Præcedit quidem eas, ordine generationis aut intentionis, ut loquuntur Theologi, cum nullus sperret aut etiam diligit, quod non credit, Charitas tamen præcedit illas virtutes ordine executionis, cum nemo speret, aut ex fide agat etiam timendo gehennam, nisi amet illud, propter quod operatur. Loquitur proinde Concilium de timore, fide, spe in hoc Capite, attendendo generationis ordinem, prout nemo diligit, nisi si quod credit, nisi quod sperat, nisi cujus contrarium timeat, non autem attendendo ad ordinem executionis, in quo charitas dominari debet & præcedere.

Tertiò loco pro se adducit Augustinum, quem innumeris locis in hac parte contrarium ostendimus in principio & decursu hujus questionis, quæ Lectori recolligenda relinquo. Quid ergo velit Augustinus videamus. Quantum ex textu hujus Doctoris colligi potest, dividit ibidem timorem S. Doctor, in timorem castum & non castum: hunc excludi docet charitate, illum timorem docet permanere in saeculum saeculi. Sed quâ charitate timor excludi dicitur? utique perfectâ, quæ foras mittit timorem, ut ait Evangelista & Apostol-

Apostolus Joan. 1. Epist. c. 4. quid igitur docet dicens,
Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt, continent se à peccato: habent timorem, & per timorem continent se à peccato. Timent QUIDAM (non, QUIDEM, quod notet adversarius) sed non amant justitiam: cum autem per timorem continent se à peccato, sit consuetudo justitiae, & incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, etiam incipit homo justè vivere, proprieret, non quia timet pénas, sed quia amat æternitatem? Hucusque S. Augustinus. Sequitur ergo ad summum, scopum Doctoris esse, docere quinam timor excludatur per charitatem, nec permaneat in saeculum saeculi. Deinde fatemur per timorem tamquam causam occasionalem excludi voluntatem peccandi, & continere se homines à peccatis: nec aliud S. Doctor prætendit, nec aliud prætendere posse dici potest: cum innumerus locis aperte doceat, voluntatem peccandi, solo timore servili si-vè non casto, non posse excludi, idque locis clarissimis, quæ obscuriori huic loco explicationem suppeditare debent, non è contra. Vele etiam intelligi potest S. Doctor, quod timor præcedat, & charitas perfecta seu justificatio subsequatur, cùm agat de timore qui antecedit charitatem quā foras mittitur timor, utique perfectā. Confirmatur illud, ex sensu subsequenti, dum dicit & subdit, quosdam timere & non amare justitiam, & cum per timorem continent se à peccato, fieri consuetudinem justitiae, & quod durum erat timore dulcescere per justitiam & amari. Tunc enim sit consuetudo justitiae & dulcescit eadem quā maximè, quando missò timore foras, subinferatur charitas quā timor pellitur, & vix Domini obambulant & percurruntur, dum dilatatur cor per charitatem perfectam.

At quo jure Luihero indignanter & temerè afflantur, qui hoc intelligunt de peccato externo à quo per timorem abstinetur (etsi & hoc solo timore propriè excludi posse pernegemus & ante probavimus) maximè, cùm aperte tradat idem S. Doctor, voluntatem

tatem peccandi, sive peccatum internum solo timore non posse excludi? certe, quod id senserit quoque Lutherus, sed longe dispari fundamento, ut ante videntur, non condemnat alios hac responsione utentes, idque conformiter ad Sanctorum Patrum documenta. Scilicet id est, quod alibi notavimus, nimium nempe familiare quibusdam, dogmata aliorum ut heretica proscribere & temere damnare: bene tamen se habet, censuras istiusmodi non esse infallibles. Aduerterat adversarius ipsum S. Augustinum illud idem comprobantem, nempe locum illum intelligi posse, immo debere de peccato externo, a quo se habentes continere posse Augustini allato testimonio contenditur. Docet enim ex corde non fieri, ex corde non averti a malo sola formidine poenae. Ait enim, in Ps. 77. *Ex corde nullo modo fieri potest, quod formidine sit poena, non dilectione iustitiae: nam quantum autem ad facta quae fornicatio aguntur, & qui timent poenam & qui amant iustitiam, non furantur, & ideo pares sunt manu, dispare corde, pares opere, dispare voluntate.* Vides, quomodo S. Doctor aperi doceat, timore peccatum externum quandoque omitti, sed voluntatem peccandi eodem minime excludi? An in eo quoque condemnatus erit Augustinus? sed notatum velim ne quidem solo timore excludi posse peccatum externum, ut ante probatum est.

Urget tamen & dicit de interno peccato intelligi id velle S. Augustinum, signanter serm. 19. de verbis Apost. ubi dicit. *Interrogat Deus cor, non manum.* Ita est: Deus magis affectum pensat, quam opus externum affectui correspondens, ut alibi saepe S. Doctor inculcat: non ideo tamen sequitur, idem pretendere hoc loco prænotato maxime cum alibi aperte negat, id competitere peccato interno, id est voluntatem peccati solo timore posse excludi. Enim vero, cur non eodem fundamento utitur, ut statuat præceptum speciale diligendi proximum actu interno, cum Deus cor interroget, non manum?

SECTIO.

SECTIO XIII.

Refutantur subsequentia ejusdem Authoris.

SUBDIT ulterius præfatus author, timorem gehennæ & dolorem ex eodem conceptum, per se honestum esse & supernaturalem: sed quo fundamento? primò quidem, quod illud exprefserit **Concilium** ciliq[ue]m Trid. ses. 14. can. 5. docens timorem gehennæ timor ser. Verum esse & uilem; idem præstat ses. 6. can. 8. ubi docet Concilium, timorem illum non esse peccatum, nec peccatores facere pejores: rursum, eundem timorem secundūm se supernaturalem esse, declarat ses. 14. c. 4. ubi dicit, timorem illum esse **Donum Dei** & **impulsus Spiritus Sancti**. Idem docuisse refert S. Augustinum, ita in Psalm. 127. differentem. **Timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplectens pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam.** Bonus est & iste timor, utilis est. Adde, quod argumentum ab ipso rationis lumine petitum idem demonstrat, cum naturæ rationali sit maximè consenteum, à se amoliri summum malum, quod per peccatum incurritur.

Ad hæc respondeo, à Concilio timorem, quo gehennam quis formidat, definiri bonum, utilem, verum; sed ubi hoc expressit de timore servili, aut ipso solo? damnat quidem oppositam Lutheri de timore Doctrinam, quā docebat, timorem illum esse peccatum, hypocrisis fomentum, &c. nec timore viam posse præparari ad poenitentiam, eò quod omne, quod agebat homo ante charitatem gratificantem seu perfectam, peccatum esset; & consequenter ille timor. Huic dogmati opposuit S. Synodus, timorem non esse peccatum, non facere hominem peccatum, sed utilem esse, & ad poenitentiam posse disponere.

nere, nullibi tamen tractat Concilium de timore, absque omni prorsus charitate etiam imperfecta, quasi doceret, eum esse se solo honestum & supernaturalem. Manifestius illa colligi poslunt ex dictis, ubi ostendi, in quo S. Tridentina Synodus condemnavit Lutheri de gehennæ metu Doctrinam.

Lutherò tamen rursum illos associat, qui docent timorem quidem secundùm se bonum esse & utilem, Timor potest esse timentem tamen peccare; cùm idem innuant, quòd Lutherus, docendo actum timoris induvlsè secum Timens trahere peccatum. Deinde, quomodo bonum nuncupabis actum, qui numquam possit per se sump-tus, benè & honestè elici, aut se solo hominem rectè agentem denominare? enim verò quām longè discrepent, docentes timorem se solo non posse hominem à peccandi voluntate eximere, timorem illum habere ex parte servilitatis, quod sit malus, ut ait Doctor Angelicus, à Luthero condemnato, liquet ex supradictis abundè satis, & ex Dotore Augustino, & aliis sufficientissimè constat. Quomodo tamen bonum nuncupare possis actum, qui nunquam se solo bene fieri possit, docet nos S. Augustinus, & plurima à nobis tradita in 1. 2. ubi ostensum est manifestè, actum aliquem bonum esse, sed non posse fieri bene sine charitate. Est enim actus aliquando de se bonus, id est ex officio, sed aliquando male fit, nec sicut opportet: Vide dicta ibi. Frustra tamen autoritatem D. Augustini rursum adfert in confirmationem suæ sententiæ, cuius aperta stat in Enchridio c. 121. sententia, quod illud, quod fit timore pœnae, nondum fiat, quemadmodum fieri oporteat; & epist. 54. ubi ait, non bonus est quispiam timore pœnae, sed amore justitiae: qui rursum inimicum justitiae asserit, qui timore pœnae non peccat. Quid igitur loco objecto velit S. Doctor diximus superiori §. 12. in eundem locum, ex quo responsio eadem, huic objecto ipso inserviat. Non enim agit de timore servili solo, sed & initiali, de quo

quo afferit, quod non maneat in sæculum sæculi, quod ille non sit castus: castum autem ibidem dicit hoc habere de charitate, utique perfectâ, cui conjungitur, quem dicit S. Doctor manere in sæculum sæculi. Unde subdit de timore non casto: *bonus est & ipse timor, utilis est: non quidem permanebit in sæculum seculi, sed nondum est iste castus permanens in sæculum seculi: totum ergo quod intendit S. Doctor, est docere quinam sit timor castus permanens in sæculum seculi, & quinam non sit castus, non itidem eousque perseverans, prout nec est servilis nec initialis, sed plus filialis.* Cui scopo satisfactum es-
set, & satis cum eo consisteret, illum loqui de ini-
tiali, si quando dicit timorem illum bonum esse,
& eo timore bonum fieri, quodcumque fit &c.
Deinde explicari poslet, ut innuat timore non casto
bonum fieri, sed non solo, occasionaliter & dispo-
sitivè, quod disponat ad bonum, uti fatemur per-
lubenter, quo pacto utilis est & bonus timor etiam
servilis: Adde timorem illum absolute bonum, quia
num est ex objecto proprio bonus est & utilis, cum bonum
honestum sit ex se, timere gehennam, & illud quod gehen-
niam meretur, scilicet peccatum,

Quod autem specialiter attinet ad dictum S. Au-
gustini locum ab adversario mox objectum, mecum
notet de quâ charitate id intelligi debere doceat S.
Bernard. Ille enim de modo bene vivendi sermone
4. allato eo ipso S. Augustini loco, ita concludit de
tali timore affecto. *cum incipit homo credere diem ju-
dicii, incipit timere. Si capii credere, capit & timere.*
Sed qui adhuc timeret, non haberet perfectam fiduciam in die
judicii. NONDUM EST IN ILLO PERFECTA CHARITAS,
*qui adhuc timeret: quia si in illo esset PERFECTA CHA-
RITAS, non timeret: PERFECTA CHARITAS ficeret in*
homine perfectam justitiam, & homo non haberet unde
*timeret: sed haberet unde desideraret, ut transeat iniqui-
tas & veniat regnum Dei: QUID EST PERFECTA*
*CHARITAS, nisi perfecta sanctitas? ille habet in se PER-
FECTAM*

FFECTAM CHARITATEM qui perfecte vivit. Qui perfecte vivit, non habet unde in inferno damnetur, sed unde in calo coronetur &c. Agit ergo ibi S. Augustinus de charitate perfectâ, quâ necessariò opus non est, ut voluntas peccandi possit excludi, uti profitemur, cùm detur amor hujus respectu efficax, etsi non efficax & perfectus, quòd foras mittat timorem.

Sed quo jure timor ille se solo est supernaturalis? Non est à quo jure dicitur hoc à Tridentino esse definitum; ^{Conc. Trid.} enim verò ad gehennam timendam naturæ vires ^{definitum} abundè sufficiunt, uti & ad se ipsum, & suam car-^{timorem} servilem ^{esse super-} nem amandam, ex quo timor ille directè nascitur. ^{natura-} natura enim quæ se pro cento tenet, propriis viri-^{timem.} bus adversa sibi timet, sicut propriis viribus sua com- moda amat & procurare satagit. Quod autem Con- cilium timorem, *Donum Dei* vocet & *impulsum Spi- ritus S.* nihil penitus abstat. Non enim imprimis ibi- dem agit S. Synodus de timore servili dumtaxat, magis quàm de initiali, imò agere de initiali vide- tur verosimilius, ut ex eodem Concilio ante nota- vimus, adeoque de eodem verificari potest, quod definit ibidem Concilium. Sed dices timor servilis *Donum Dei* est, cùm juxta Apostolum ad Rom. 8. dicatur *Spiritus timoris Domini, veteribus datus à Deo, initium sapientiae*: verùm ante omnia notandum velim illud D. Augustini lib. 15. de Trinitate c. 18. *Dantur & alia per Spiritum Sanctum Dei dona, sed sine Charitate nihil profuntr.*

Pro cuius majori intelligentia, opere pretium erit, discutere parumper quæ de timore, agendo de spe diximus ad hanc rem pertinentia. Obstat autem quo minus timor ille sit supernaturalis & se solo honestus, ita ut timor ille & peccati fuga, pro fine ultimato ha- beat amorem & commodum proprium. Affirmat qui- dem & docet adversarius posse dari amorem sui bonum & ordinatum, ad quem Deus ipse nos ad- hortatur Eccl. 30. *Miserere anime tue, placens Deo, dum nos monet intuitu præmii cœlestis operari mandata*

mandata sua custodire , quærere primū gloriā Dei , & justitiam ejus , &c. ad quæ , eis pluribus possim , breviter tamen respondeo , fatendum esse *Amor sui* & admittendum amorem sui bonum & ordinatum , ex quo ser vito time , sed talem in timore servili ut tali includi , aux ex eo nascitur . timorem illum exoriri , diffitemur . Scimus quidem non est or . Deum ad amorem proprium frequenter nos adhortatum , quo titulo amorem aliquem proprium , bonum & ordinatum admittendum esse convincitur : sed non ideo id recte de omni amore proprio statuitur , ut per se patet , alijs ordinatus erit amor , quem damnat Apostolus 2. ad Tim. 3. quem S. Augustinus malorum omnium vocat Scaturiginem . Quinam ergo amor proprius sit ordinatus , nos alibi docuit S. Augustinus , ille scilicet , qui ad amorem Dei tamquam finem ordinatur . Amor enim , qui proprium naturæ commodum querit , in eoque ultimè hæret , nec ad Deum derivatur , Augustino inordinatus est , neque rectus . Hinc est , quòd solemnis illi sit distinctio duorum amorum , mundi & Dei , quos ita segregat & adequate distinguit , ut unus sit malus , alter bonus , ut uno dominante , exulet alius . Audi S. Doctorem mediat c. 35. *Duo amores* , ait , *alter bonus* , *alter malus* : *alter dulcis* , *alter amarus* ; non se capiunt in uno pectore . Idem docet S. Leo ser. 5. de Jejun. 7. mensis . Quare rursus docet , quòd unus alteri cedat , nec esset alius nisi in una sede posse morari . *Duo* , ait , tract. 2. in Epist. Joan. *sunt amores* , mundi & Dei . *Si mundi amor habitet* , non est quæ intret amor Dei . *Recedat amor mundi* , & inhabitet Dei . Quòd autem amor proprius ad amorem mundi referendus sit , si in eo ultimè homo hæreat , manifestum est , cùni juxta S. Doctorem Regnet carnalis cupiditas , ubi non est Dei Charitas , & rursus , Charitas sit motus animi ad diligendum Deum propter seipsum ; & se , atque proximum propter Deum , ut ait de doctrina christiana l. 3. c. 1.

Deinde quomodo ordinatus erit ille amor sui , sine amore

amore Dei, ubi iterum stat illa S. Augustini sententia, l. 4. contra Julianum c. 3. *Sine amore Creatoris, nullus quisquam bene uisitatur creaturis?* quomodo ordinatus, cum Deum minus amet, qui cum Deo aliquid amat, quod non propter Deum amat, ut ait idem Doctor l. 10. confes. cap. 29.? appositiè huic nostræ sententiæ Petrus Blesensis c. 1. de dilectione Dei & proximi. *Cum dinarum Apostolus dicat, omnia secundum ordinem fiant, & omnia vestra in charitate fiant, patet ea ordinem non habere, que in charitate non fiunt.* Ecce igitur, quomodo amor sui, sibique haerens ultimataè, nec ad amorem Dei directus, sit ordinatus. Ecce quomodo nostri, ut & proximi misereri possis & Deo placere, cui non placet, nisi opus ordinatum; quomodo Deus, Dei justitia & regnum sit querendum propter ipsum Deum, qui solus in patria erit merces & præmium.

Quomodo autem timor servilis sit supernaturalis, & vera contrito ex eo orta, declarat Taulerus Ord. S. Dominic Theol. c. 1. institutus dicens. *Caterum dolor iste frue contritio, non ex servili quodam timore, pœnarum, videlicet Inferni frue Purgatorii, neque ex sensuali dolore cum amaritudine seipsum & damnum suum plus, quam Dei injuriam & offensam lugente procedet. Talis enim dolor hominem in quamdam desperationem adducit, quasi non sit Deo cura de ipso, nee unius saltem peccati meretur veniam, quantumlibet etiam magnus sit, eo quod ex vero Dei amore, QUI OMNIS VERÆ CONTRITIONIS CAUSA EST (N.B.) ET ORIGO, minime procedat, sed dolor atque contritio, divina prorsus ac supernaturalis erit, quia videlicet homo pro peccatis suis dolens, PLUS OMNIPOTENTIS DEI FIDELISSIMI PATRIS SUI, QUI IPSUM CREAVERA, REDEMIS, AC INNUMERA EX BENEFICIA EXHIBUIT, EXHIBETQUE, tam gravem multiplicemque in honorationem, contemptum & offensam, quam suum ipsius damnum ponderet atque deploret.*

Convertiscatur proinde ait S. Bernardus in capite jejunii. serm. 2. Amor tuus, ut nihil omnino diligas nisi ipsum, aut certè propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor.

Tom. III.

T

tuus,

290 DE CONTRITIONE.
tuus, quia perversus est omnis timor, quo metuis aliquid
præter eum, aut non propter eum. Hæc haud dubiè fa-
cile perspicet adversarius.

S E C T I O X I V.

Examinatur auctoris ejusdem subsequens responsio.

SE D unum est, quod speciosè obtendimus, ait; Unum quod perpetuò ingeminamus: *Tutiora semper esse sequenda.* Tutissimam verò esse doctrinam, quæ statuit, vi præcepti omnia opera ex pura charitate in Deum referenda. Quid obtendamus & ingeminemus aliquatenus ostendi, sed primò respondentem audiamus. Respondet ille, *Multò tutius esse non errare,* & doctrinam erroneam aliis non prædicare, persuadendo toties admitti novum peccatum, quoties opera ad Deum non referuntur ex puro charitatis moivo, plerisque hominum minimè arduo ac difficiili: suadenda omnino est charitas, sed minimè suadendus est error, ex quo cum perniciie animarum toties peccetur, quoties in operando charitas omittitur.

Quæro enim, si prædicandum quod tutissimum, cur ad singula opera actum Charitatis perfectissimæ non requirunt adversarii? hæc certè Charitas, operis bonitatem mulè reddit securiorem.

Aio igitur, Theologo inquirendum, non quid tutius, sed quid verius. Retinenda est firmiter hæc responsio in plerisque horum temporum controversiis, de attritione in Sacramento, de absolutione differenda, de usu probabilitatis, & aliis, in quibus pro vulgari argumento fallax securitatis species assumitur. Hucusque author præfatae Theologicæ triformalis.

Non sunt **t**u no Theologo hoc traditum, *Tutiora semper esse sequenda?* Norunt omnes perfectissimâ charitate peccato-rem ad pœnitentiam tutissimè disponi, omnia bona pauperibus elargiendo: tutissimè ad vitam ingredi;

Et

Et alia Evangelii consilia sequendo, tutiori viâ procedere: Quis tamen consilia illa semper ingominat esse sequenda? Porro quid doceant illi, quos stringit author, hoc est, docere in praxi viam securiorem, ubi opposita periculo subjacet, in tantum, ut nūquam ad opus progredi liceat, nisi moraliter certò constet de honestate & securitate actus. In quo, quid rogo damnandum? quid explodendum? certè, ita docet ipsa virtus prudentiae, qua nemini operari licet, nisi cum morali certitudine & securitate de honestate operis, quod exercet. Deinde docent, tutius non semper esse sequendum, si contrarium sit ita verum, ut sit quoque moraliter certum, in illo contrario, et si minus tuto, nullum subesse peccandi periculum. v. g. Sententia quæ docet contractum aliquem esse illicitum, erit aliquando tutior, cum in omissione contractus nullum possit esse peccandi periculum; altera sententia docet contractum illum esse licitum, idque solido fundamento, & alio motivo me moraliter de honestate & validitate contractus certificante: quo casu possum sententiam illam, et si minus tutam, prudenter sequi. Tale autem motivum certificans, sœpè concurrere posset, præsertim ubi agitur de contractu ex dispositione juris humani pendente quoad valorem, aut honestatem. Quo sensu, absit ut explodatur data doctrina, quin potius veris prudentiae regulis concordet & conveniat.

Multa tamen de charitatis necessitate condemnat author in sequentibus. Certè quod tutissima sit doctrina, omnia ex charitate in Deum esse referenda, ab unde alibi est confirmatum & ex scripturis & SS. PP. demonstratum: neque illâ doctrinâ tutius est non errare, quæ veritatem sanctorum præfert, & ab Ecclesiæ Doctoribus est stabilita. Sit autem plerisque hominum hoc mandatum maximè arduum ac difficile, uti clamat, ideo ne non erit admittendum? arduum est Confessionis præceptum, difficilis est lex inimicos diligendi: ideo ne præcepta illa erunt proscriben-

da? difficultissima est lex prohibens peccata omnia venalia, immo non nisi speciali Dei privilegio servari potest: an ideo ejusdem obligatio non erit agnoscenda? recolat author Dei mandata gravia esse charitate destitutis, difficultia esse & talia apparere eam oppugnantibus, sed charitati & charitatis vindicibus, levia & suavia jugum enim Christi, legis novae fundatoris, leve est, mandatum scilicet dilectionis, quod legi gratiae proprium est ac singulare, ita tamen ut onus sit & jugum, humeros premiat, sed charitate sublevetur, qui humeros supponit. Unum tamen notandum, præceptum illud omnia in Dei gloriam faciendi, hic dici ab adversariis, plerisque arduum ac difficile, quod alias proscriptum est ut impossibile.

Non est semper mortale peccatum opus non referre in Deum per charitatem

Suademus ergo in hoc punto charitatem non tantum, sed injungimus, nec ideo errorem consulimus ut satis declaravimus. Verumtamen quem errorem hic suaderemus? Ex quo, ait, *Cum pernicie animarum toties peccetur, quoties in operando Charitas omittitur.* Ita ne Theologus, qui docet toties peccare cum perniciie animarum qui hoc præceptum prævaricatur? Nam vero quo peccato peccet, qui illud neglit, ostendi in 1. 2. nec judico aliud ullibi doceri in hoc punto. Scilicet hoc rursum est, quod alibi notatum est adversariis familiare, doctrinas erroneas aliis affricare, de quibus ne quidem somniarunt. Nullus enim, qui juxta S. Augustini principia præceptum illud adstruit, ita docet, *Toties cum pernicie animarum, id est mortaliter peccare, quoties in creatura ultimata hæret quis nec amorem ejus refert ad laudem Creatoris.* Sed quâ fide concludit dicens: *Aio igitur Theologo inquirendum, non quid sit tutius, sed quid verius?* Itane Theologo, cui aliorum salus aliquando committitur, aut ex professione aliorum & suæ salutis cura committenda, non inquirendum quid sit tutius? Itane aliorum & propria pericula præmonere & præcavere non oportet? Aliud certè statuerunt

runt SS. PP. & Doctores, maximè ubi veritas investigari exactè non potest. Multi præsertim temporibus nostris in hac & aliis materiis controversis indagant veritatem, hinc inde argumenta converunt, partes disceptantes contrarium tradunt, an non erit eo casu indagandum quid Tutius? Nec ideo fallax obtenditur pro argumendo communi, securitatis species, sed propriæ & aliorum saluti pro debito consulitur, sed à contrario fallax impossibilitatis, gravitatis, hominum viribus improportionis, & id genus aliorum species obtenditur, ut fallax aucupium, quo volucris decipitur. Verum quidem est, dum certa veritas, Scripturis edocta vel à Conciliis & SS. PP. confirmata, liquido haberi potest, ipsa securitas per se comitatur: Aliud tamen in plerisque aliis, in quibus veritas aut haberi non ita clare potest, aut quando animo præoccupato habere quis illam arbitratur, quo casu non tantum Theologo inquirendum quid verius, sed & quid tutius.

Quidigitur Theologo agendum, in hac materia de formidolosa attritione, quam disputamus? Respondet continuò, retinenda est firmiter hæc responso (scilicet Theologo non inquirendum quid tutius sed quid

Idque maxime in materia Sacramentorum.

verius) In plerisque horum temporum controversiis, de attritione in Sacramento, de absolutione differenda, &c. Aliud profecto nos docet & suos jubet Illustrissimus & Reverendissimus D. Jacobus Boonen 26. Marii 1637. Ita decernens: *Cum ex omnium Theologorum sententia in eorumdem Sacramentorum administratione adhiberi semper debeant materia & forme certæ, determinatæ, ac quantum fieri potest securissimæ: nullo autem modo extra necessitatem dubiae vel controversie: intelligamus vero inter Catholicos Doctores adhuc disputari an inter alios pœnitentis, quos S. Concilium Tridentinum definit esse quasi materiam Sacramenti pœnitentia sufficiens censerit debeat illa contritio imperfecta seu attritio quæ tantum propter paenas peccata detestamur, pluribus quidem à Concilio Tridentino id affirmantibus, aliis nihilominim ab eodem*

Concilio id negantibus: ne in ista sententiarum diversitate salus pœnitentium periculo exponatur: vobis & unicuique vestrum qui ad Sacramenti pœnitentie administrationem estis admissi, & approbati, mandamus, quatenus omnem vestram industrias ed conferatis, ut omnes ad dicti Sacramenti perceptionem accedentes, inducatis, moveatis ac disponatis ad veram & cordialem detestationem ac dolorem suorum peccatorum non tam ex timore pœnarum, quam ex Dei amore quo ipsum velut summum bonum (quod maxima impietate peccando contempserunt) perfectè diligent, vel saltem ut fontem justitiae, qua scilicet justificamur, diligere incipiunt: si enim populus ille rudis sub veteri lege, qui acceperat tantum spiritum servitutis in timore, in tanta gratiae penuria non poterat justificari nisi per veram & perfectam contritionem, neque salvari nisi per dilectionem Dei super omnia: meritissimè nos filii novi testamenti, qui non accepimus iterum spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis quo Filii Dei nominamur & sumus, in tanta gratiae plenitudine quam effudit in nos per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, non tamquam servi timore pœnarum, sed tamquam filii ex amore ejus qui dilexit nos & lavit nos à peccatis in sanguine suo, ipsa peccata super omnia mala detestari debemus. Quæ ordinatio renovata est Anno 1667. 28. April. ab ejusdem Sedis Vicario Generali, Sede Vacante.

Nonne ergo in hac materia inquirendum quid tutius, sed tantum quid verius? Dicit fortè sententiam suam de sufficientia attritionis formidolosæ esse verisimam, Sacrae Scripturæ consonam, à SS. PP. Edoctam, à S. Concilio Trid. definitam: sed quo jure, ostendimus in antedictis.

Dato tamen ad minimum juxta aliorum placitum, sententiam nostram de insufficientia attritionis esse probabilem, quod ex decretis Pontificum saltem erui potest, ut mox videbimus, quid tunc agendum Theologo, nonne eo casu videndum quid tutius? certè hoc posito, illud confirmat ipse author: in primis p. 3. tract. i. p. 20. Ubi ita ait: In administratione Sacramentorum

torum non licet sequi sententiam speculativè probabilem circa valorem Sacramenti, quando non deest potestas sequendi tuiorem. Sic, ait, non licet moribundo conferre absolutionem probabiliter tantum valitaram, quando certior impendi potest. Ratio est, quia licet opinio probabilis possit reddere actionem licitam, non potest tamen Sacramentum facere validum, si contingat requisita ad materiam, formam aut valorem deesse, &c. Hoc dogmate positum: quæro an sententia probabilis, non sit vera etiam quæ sit minus tuta? quare ergo non sequenda, cum non videndum quid sit tutius, sed quid verius? cum vero possit fieri, quod illa minus tuta à parte rei sit verior, quare ergo non amplectenda? Respondebit, eò quod in Sacramentorum administratione non liceat sequi probabilem circa valorem sacramenti, quando non deest potestas sequendi tuiorem. Ex quo collige quam rectè jam dictis concordet datum ante pseudo principium, Theologo scilicet non esse requirendum quid tutius, etiam in materia de attritione, sed quid verius.

Quod vero sententia nostra de attritionis formidolosæ insufficientia sit saltem probabilis, colligitur ex decreto Alexandri VII. ex quo adversarii oppositam voluntabilitatem. Illo enim decreto precipit Pontifex omnibus & quibuscumque, ut si deinceps de materia attritionis scribant, aut doceant, Non audient alii cujus Theologica censura alteriusve injuria aut contumelia nostra taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehenna concepta, qua hodie inter Scholasticos communior videtur, sive afferentem dictæ dilectionis necessitatem donec à S. Sede fuerit aliquid in hac re definitum.

Ex quo decreto nihil deficit pro alterius partis veritate Pontifex, sed utramque defendi permittit & propugnari, sicut tamen ut censuræ non concurrent: si vero nostra non esset quidem probabilis, Pontifex eam permittere non potuisset defendi, maximè cum juxta aliorum Doctrinam, Ecclesia non possit sine ferina

benignitate permettere, ut doceantur sententiae damnosæ. Ex quo ulterius hoc deduci potest, ad minimum pendente lite, nostram de attritione sententiam esse probabilem, adeoque sequendam, cùm sit in administratione Sacramentorum, & nostra sit tutior, nec desit potestas eam sequendi. Quod autem talis potestas non desit, renuet fortasse adversarius, docens plerisque hominum esse impossibilem aut saltem maxiniè arduam & difficultem. Ad quæ respondimus in principio hujus paragraphi.

Deinde, cùm juxta ejusdem Authoris Doctrinam, quam tradit p. 3. Tract. 1. de opinionum probabilitate §. 3. unius authoritas aliquando sufficiat statuendæ probabilitati, ut eam practicè amplecti liceat, etiam contra communiorem aliorum opinionem, si rationibus in contrarium allatis solidè respondeat, & pro sua parte novas adferat rationes, quæ tantum habent momenti, ut aptæ sint mouere virum peritum & probum absque passione ad recedendum à contraria: colligitur negari non posse, quin nostra sit probabilis ad minimum, cum ante Melch. Canum, ab omnibus passim Doctoribus tradita sit, ut docuit antea Morinus: cùm variis etiam à Concilio Tridentino autores nostram aperte doceant, aliam contrariam, tantum statuant probabilem; argumentis in contrarium allatis solidè satis & saepius sit responsum, & variæ continuo allatae rationes, virum peritum & probum moventes, imò convincentes, quæ sufficiunt, ut saltem probabilitatem sententiae nostræ communient: quo habito, evanescat illud pseudo principium ex aliis ejusdem authoris principiis, *Théologo in hac parte non inquirendum, quid Tuimus, sed quid verius.*

Ne autem quis existimet, sententiam nostram non esse certam eo quòd altera statuatur probabilis, ex eo quòd defendi eam permittat Pontifex; uti etiam ex eo, quod eamdem hodie *communiorem* dicat, esse certam aut à Pontifice approbatam: Notari potest, stante illa permissione, fieri posse ut alicuius sua sententia sit certa, si

con-

convincentes pro sua parte stent rationes, prout hucusque pro sententia nostra stare probavimus. Relinquisimus interim alteri sententiae suam probabilitatem, quam ex tali permissione Pontificis meretur, prout aliae omnes, quae defendi permittuntur aut doceri, quae generalis dumtaxat est probabilitas & latè dicta.

Quando autem aliorum sententiam *Communiorem* Communiorem nitor sententia ali- dicit Pontifex, nihil inde conficitur, cum communior sententia aliquando sit falsa, deinde dicit *Hodie com-* quando muniorem videri *est falsa*, cum quo probè stat, his temporibus non esse communiorem, ut ex dictis probari potest: imo ante Melchiorem, ne quidem de ea somniatum; item etiam videri tantum communiorem. Unde clare patet, ex eo nihil solidi pro adversæ partis veritate posse statui aut erui, ut volunt aliqui Patroni partis contrariæ. Insuper notent illud, quod notat R. P. Julius Mercarius Ord. Prædic. Basis Theologiae moralis parte 3. a. 5. ubi ait. *Quadraginta vel quinquaginta ab hinc annis plures quam centum opiniones laxas antea singulares, factas esse communes: & illis oppositas communes, ut antiquatas nunc communiter rejici. Nec invenies toto hoc tempore unam laxam antea communem esse antiquatam, oppositamque rigidam factam esse communem.*

APPENDIX.

Qualis amor Dei propter se requiratur & sufficiat in Sacramento ad justificationem obtainendam.

OSTENSO ex Conc. Trid. SS. PP. ratione & aliis, necessarium esse ad justificationem in peccati sententiæ Sacramento obtainendam, aliquem Dei propter se amorem; quæri posset, qualis sit iste amor, quām efficax & quis sufficiat. Ad quod respondeo. Primo certum est non omnem Dei propter se amorem esse sufficientem, ut etiam cum Sacramento justificet. Probatur, quia amor ille debet excludere

excludere voluntatem peccandi , ut ex Conc. Trid. satis est declaratum : atqui hoc non omni Dei propter se amori competit , prout in se idem testatus est S. Augustinus l. 8. confess. c. 5. ubi ait : *Voluntas autem nova , quæ mihi esse cœperat , ut te gratis colerem , frāique te vellem ... nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboretam.* Ex quo sequitur , quòd non omnis bona voluntas , id est charitas excludat continuò voluntatem 'peccandi , nec consequenter sit sufficiens ad justificationem in Sacramento .

Respondeo secundò sicuti alii requirunt in attritione timorem supernaturalem efficacem , ita requiritur hic quoque amor Dei propter se efficax , sive prædominans voluntati peccandi , sive qui excludit omnem affectum inordinatum , quo homo inhæret creature tamquam ultimo fini illumque ad Deum convertat : hoc autem amor ille facere potest vel se solo , vel auxilio alterius motivi , v. g. timoris. Si priori modo id faciat , erit amor Dei propter se perfectus , non necessarius in attritione salutari : si verò posteriori modo id faciat , erit amor Dei propter se imperfectus , sufficiens tamen in attritione sacramentali ad justificationem obtainendam. Quanta verò debeat esse intensio charitatis , ut vel se solâ vel auxilio alterius motivi excludat talem affectum inordinatum & ad Deum convertat , soli Deo notum est , nec nostrum est determinare , uti nec aliorum de timoris intensione , ut sit quoque efficax.

Hoc tanien addo , eundem Dei propter se amorem in uno posse esse efficacem & prædominantem & non in alio , si scilicet diversa sit pœnitentium illorum dispositio. Sicut enim à SS. PP. de gravioribus peccatis requiritur gravior pœnitentia : ita quoque pœnitens , quòd gravius in eo fuit odium Dei per peccatum , majori amore debet redire ad Deum. Imò etiam in pœnitentibus æquè magnis , poterit in uno esse efficax amor Dei & non in alio , si scilicet in uno sit major gehennæ timor v. g. quam in alio , cuius

cujus auxilio, in uno expellitur omnis affectus graviter inordinatus & convertitur ad Deum, non itidem in alio, in quo est timor minor, etsi sit eadem charitas.

Respondeo tertio, quamquam omnis amor efficax seu prædominans etiam imperfectus excludat omnem affectum graviter inordinatum, & convertat ad Deum, quæ conversio debet fieri per amorem: non omnis tamen talis amor ante Sacramentum iustificat. Ratio ejus est, quod etsi tali amore tollatur voluntas peccandi & fiat conversio ad Deum, adeoque tollatur peccatum quoad affectum, cum iam displiceat peccare: non ideo tamen tollit peccatum quo ad reatum, ad quod requiritur, quod non tantum homini displiceat peccatum, & ad Deum se convertat; sed insuper requiritur aliquid, quod mereatur amicitiam divinam, qualis est amor Dei perfectus, vel imperfectus cum Sacramento. Quomodo verò non omnis Charitas se solâ justificet, diximus 2. 2. agendo de charitate.

Ex quo clarè patet contritionis actum esse arduum & difficilem; quod pulchrè declarat S. Bernardinus ^{Allus} ^{contritionis} ^{non est sa-} ^{in difficultate} tom. 1. serm. 12. a. 2. c. 2. qui etsi c. 1. dixerat, *facile est ex parte nostrâ contritionem habere, quia ex libera voluntate procedit, quâ voluntate quilibet liberè uti potest.* Subdit capite sequenti hunc titulum: *magna atque difficilis res est, habere contritionem.* Et rursus licet in libertate voluntatis & rationis, electio contritionis consistat: tamen ex alterâ parte difficillimum est, habere veracem contritionem: nam secundum Bonaventuram in 4. dist. 16. a. 2. dolor, in quantum est displacecentia rationis, in verâ contritione mensuratur secundum qualitatem charitatis. Ad hoc quod habeat charitatem, necesse est, quod super omnia diligat Deum, etiam supra se ipsum. Hoc autem fit, cum pro nullo commodo vel incommodo Deum offendere velit: & hoc intelligendum est de displacecentia rationis; undè tantum debet peccatum displacetere rationi, quod nullo pacto, nullo commodo vel incommodo ^{velit}

velit consentire vel consensisse in ipsum. Ex quo colligitur probatio fundamentalis, quare difficile sit habere contritionem, et si contritio sit in libertate voluntatis & rationis: puta ex eo, quod amor ille Dei prædominans affectui peccati, sit actus satis arduus, maximè contranitente concupiscentiâ in homine corrupto: qui tamen amor ad veram contritionem est necessarius, ut est declaratum.

Hinc etiam eadem de causâ subdit idem S. c. 3.
ex parte Spiritus facilè est contritionem habere, ex parte
verbi carnis difficile, dicenie Domino: SPIRITUS QUI-
DEM PROMPTUS EST, CARO AUTEM INFIRMA. Et
Apostolo. CARO CONCUPISCIT ADVERSUS SPIRI-
TUM, ET SPIRITUS ADVERSUS CARNEM, hec enim
sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, fa-
ciatis. Unde & concludit: quanto igitur caro magis
spiritui dominatur, sicut in hominibus carnalibus, lasci-
vis atque mundanis, tanto contritio difficilior est.

Hanc quoque contritionem in extremo vitæ maxi-
met difficile esse docet idem Sanctus 4. 1. serm. 13.
a. 1. c. 2. ubi ait: Augustinus scribit: SCRIPTUM EST,
NEMINEM SINE CHARITATE SALVUM ESSE..... QUEM
PONITET SERO, OPORTET NON SOLUM DEUM TI-
MERE JUDICEM, SED JUSTUM DILIGERE, NON TAN-
TUM PONAM TIMEAT, SED ANXIETUR PRO GLORIA.
Ex verbis igitur Augustini patet, quod licet homo timeat
pœnam, timori tamen præponere debeat charitatem divi-
nam. Difficile est in tali extremitate habere hunc actum
hac principali circumstantiâ intentionatum & regulatum,
& hoc maximè propter duo. Primum est, quia ti-
met infernum, nam qui usque tunc fuit impæni-
sens, non videtur tunc à se ipso extorquere posse dis-
plicentiam novam peccatorum suorum, nisi timore imminen-
tis pœnae, non charitatis divinae..... secundo, quia timeat
mortem. Nam saltem aliquid simpliciter involuntarium vi-
detur causa istius displicentiæ, scilicet expectatio mortis
propinquæ, mors enim ista involuntaria est, & quod non
fuerit ex suppositione cuiusdam involuntarii, non simpli-
citer

citer voluntarium dici potest, sicut per exemplum patet: non enim omnino voluntariè quis projicit merces suas in mare, nisi ex suppositione cuiusdam periclitacionis, quam nolle. Quod autem sit, nisi sit voluntarium, non est multum acceptabile illi, cui sit, quia non videtur propter ejus amorem fieri. Ita S. Bernardinus scholæ Scotisticæ decus. Unde & consequenter art. 3. c. 1. subdit: *Lacet quandoque talis fundat lacrymas, tundat peccatum, et misericordiam poscat, adhuc sunt dubia hec signa. Sunt enim saepe illi similes, ut resonans de altissimis montibus Echo, de qua ait sapiens c. 17. Quod deficientes faciebant præ timore.*

Neque hic objici potest communis illa S. Scripturæ vox, *In quacumque horâ ingemuerit peccator, peccatorum ejus non recordabor amplius, Ezech. 18.* Quia, ut ait S. Anselmus de similitud. c. 115. *Licet Deus veniam promiserit pænitenti, non tamen spopondit delinquenti, ut ei daret voluntatem pænitendi.* Et Hugo à S. Vict. de Sac. filei c. 5. ad illud idem respondens: *Nam quamvis, ait, etiam tunc tibi venia, si verè pænitus, promittatur: non tamen tibi, ut tu sic verè pænitere debeas, promittitur. Valde difficile est, ut tunc vera sit pænitentia.* Imo è contra teste Innocentio III. *Justitia Dei judicio sèpè fit, ut quia cum potest homo converti et non vult: cum vult, fortè converti non possit. Tunc enim securum est homini pænitere, cum potest ipse peccare.*

SECTIO XV.

De Reliquis concernentibus contritionem.

DI CENDUM primò Attritio potest fieri contritio: *An attritio possit fieri causa.* Probatur, quia amor ille imperfectus, ex quo oriri debet attritio, potest fieri perfectus, adeò ut *attritio* fiat perfecta contritio.

Dicendum 2. Attritio sufficiens in Sacramento aliquando se solà justificat absque reali perceptione Sacra-

An attritio aliquando se sola justificat. cramenti, idque in casu mortis, dum deest copia confessarii, quando, ut ait S. Bern. Epist. 77. *Voluntas pro facto reputatur, quandò factum excludit necessitas.* Idem docet S. Aug. l. 4. de bapt. c. 22. cont. Donaist. ubi ait: *Invenio non tantum passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deera, posse supplere. Sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Hæc autem attritioni initiali omnia dicto casu possunt competere. Nec ideo sollicitudo Pastorum proscribitur, quasi dum ad moribundum accersuntur, subsumere possint, vel homo ille est contritus & sic absque Sacramento justificabitur: vel est attritus sufficienter, id est initialiter: Et sic in defectu confessarii hoc casu juxta nos salvabitur: Vel habet servilem, quæ etiam cum Sacramento est insufficiens. Illud inquam nihil obstat, cum Pastores tencantur ex officio subditis in tali necessitate succurrere: Neque adeo certum est, quod attritio tali casu se sola justificet, & de cœtero tenentur Pastores eo casu providere ovibus modo maximè securo: Denique absolutio confert etiam præviè justificatis aliquid gratiæ, jam autem pastor non tantum tenetur providere subditis de necessariis, sed & de utilibus, dum commodè potest. Unde in dicto casu eti si in articulo mortis attritio secundum se, non sit majoris efficaciam, quam extra illum, tamen ratione occurritis necessitatis Deus reputat voluntatem pro facto, & eatenus dici potest majoris efficaciam in dicto casu.

Confessio sine contritione non est dolorosa. Dicendum 3. Contritio debet necessariò præcedere Confessionem; Confessio enim quæ fit sine contritione, non est dolorosa & Sacramentalis, nec per subsequentem contritionem potest fieri Sacramentalis. Si verò post Confessionem aliqui Confessarii disponant pœnitentes ad contritionem, tuni vel Confessarii sese conformant probabilitati sententiæ contrariae: vel dum dicunt pœnitentes se conteri faciat

Confessione, tum conteruntur & quasi iteratò peccata sua accusant, super quæ tum cadit subsequens absolutio.

Dicendum 4. Contritio non solum debet esse dolor summus appretiativè, sed & summus intensivè. ^{Contritio debet esse dolor summus intensivè.} Ratio est, quod ad contritionem requiratur, ut exto-
to corde ad Deum nos convertamus, & reliqua,
quæ attulimus in probando amorem Dei ex toto
corde debere esse summum intensivè: Quæ lecto-
ri hic revidenda relinquimus. Debet tamen dolor de
peccato graviori esse major, dolore de peccato le-
viori, ut potè quod est majus malum magisque de-
testandum.

Dicendum 5. De jure naturæ obligat præceptum ^{In Con-}
Contributionis. Quòd autem obliget, satis declarat ^{tritionis.} Conc. Trid. sess. 14. c. 4. ubi ait motum Contributionis quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarium. Et Scriptura Sacra Lucæ 13. *Nisi Parnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Quod autem sit de jure naturæ patet ex eo, quod sicut jure naturæ diligere debet summo amore summum bonum, ita & faragendum est, ut eidem offenso rursum reconciliemur, quod fit per contritionem. Obligat autem post peccatum commissum, de quo egimus de ^{Quando-}
peccatis, ne manendo in tali statu, periculo plurium ^{nam obli-}
peccatorum se exponat, & differendo, divinam ami-
citiam contemnere censeatur.

Obligat quoque in periculo mortis tam spiritualis, id est hæresis, &c. quam corporalis, cum tunc securissimo modo homo se ad Deum teneatur convertere: idem est, dum est administrandum Sacramentum in peccato mortali: & aliis casibus, qui facili negotio intelligi possunt ex dictis, de tempore quo obligat præceptum dilectionis Dei, in 2. 2.

SECTIO XVI.

De contritione mortalium & venialium.

De contritione mortalium & venialium. **D**I CENDUM primò : non requiritur de singulis mortalibus nova contritio, sed una efficax sufficiens & ficit, quæ omnia mortalia respicit, quæ memoriae occurunt. Tutissimum tamen erit & consulendum, de singulis mortalibus, singulas contritiones elicere: nisi forsan per accidens præstaret, non omnia mortalia dudum revolvere, ne labendi occasio ex tali consideratione oriatur. Sic præstat meretrici, præteritas fornicationes non ita fixè considerare, ne ejus animus in libidine pronus, in præteritas libidines & delectationes iterato consentiat.

Contritio de oblitis. Si verò quis sit certus le peccatum commisisse, sed nescit quodnam illud sit, debet saltem generaliter conteri. Sicuti autem dolor ac detestatio peccatorum, censetur extendi ad oblita peccata, quæ post diligens examen, memoriae non occurunt: ita etiam de oblitis intelligitur facta contritio quæ fit de omnibus memoriae occurrentibus, nec de iis speciales fieri debet contritio, etsi hoc expedit & sit consulendum. Si verò oblita postea memoriae occurrentia confiteri velit, requiritur de iisdem novus dolor, qui sit pars subsequentis Sacramenti.

Contritio venialium. Dicendum 2. Quamvis peccata venialia non debeat quis necessariò confiteri: si tamen quis eadem confiteri vellet, debet de iisdem dolere, ac serio illa detestari, id enim exigit contritio hic quoque requisita. Hinc mortale est, confiteri peccata venialia sine ullo efficaci dolore, aut proposito ab iisdem abstinendi, cum reddere Sacramentum irritum defectu Partis essentialis, sit peccatum grave. Neque ideo dici potest, nos non posse confiteri venialia, in quæ vero similiter recidemus, cum talis equidein

equidem possit elicere propositum de se fatis firmum & efficax ut excludat voluntatem peccandi talia peccata de cætero , quamdiu propositum illud manet : quod si forte postea relabatur , hoc non fiet defectu efficaciae talis propositi , sed ex hominis fragilitate & inconstantia.

Possimus tamen venialia , quæ volumus , subticeare , cùm non habeant connexionem ad invicem , ut mortalia : Neque unum dependet ab alio in remissione obtinedâ.

Requiritur tamen ad debitum de venialibus dolorem , quòd ex aliquo Dei propter se amore prodeat , quare hinc non sufficit attrito servilis , cùm per illam non convertamus ad Deum , ut ; etiam in dolore venialium requiritur ^{Ad dolorem venialium requiritur amor Dei,} Sed potius per eam convertimur ad nos ipsos , neque per se potest excludere voluntatem peccandi venialiter , ut nec mortaliiter. Unde videtur requiri hic dolor , ortus ex eo quòd aliquid leviter Deum offendat. Constans enim est ^{Quale motivum,} S. Augustini sententia serm. 7. de temp. Pænitentiam certam non facit nisi odium peccati , & amor Dei. Hoc tamen notandum est quòd motivum illud doloris quia leviter Deum offendit , sit generale , adeòque qui dolet de uno veniali , doleat de omni. Sed hoc non esse necesse , cùm possit esse de veniali dolor , quia hoc vel illo modo leviter Deum offendit , puta contra hanc vel illam virtutem : Sicque non necessario motivum illud , extenditur ad omnia venialia , quæ non omnia eodem modo Deum offendunt.


Dicendum denique , non posse peccatum veniale remitti sine mortali adjuncto : Non enim mereatur aliquam veniam , qui absolvè vult manere ini- ^{non potest remitti sive ne morali talis.} micus : Neque aliquod opus est Deo gratum usque ad infusionem gratiæ , quæ remissionem venialis comitatur , ubi operans est in statu peccati mortalis.

Petet aliquis an ad singulas confessiones requiriatur novus dolor : Item an contritio necessariò elici-

*nes requi-
tarur no-
vus dolor.* debeat, in ordine ad Confessionem. Ad prius resp: quod non semper hoc requiratur. V. g. in Confessione quis obliviscitur alicujus peccati, & mox à confessionali illius recordatur, & idem statim confiteretur, non requiritur novus dolor ad illam Confessionem subsequentem, eo quod dolor ille anterior extendens se ad omnia peccata etiam oblita, moraliter perseveret.

*An Con-
fessio-
nem,* Ad aliud resp. quod non debeat id necessariò fieri, si sit verus dolor & post illum confiteretur: v. g. ex Concione aliquis movetur ad seriam detestationem peccatorum, occasione cuius vult confiteri, talis debitè confitebitur, et si in ordine ad Confessionem dolor ille non fuerit conceptus.

Hoc ultimò hic notandum, si quis post elictum dolorem peccet mortaliter antequam confiteatur, debet iteratò de tali mortali dolore, alias non habetur dolor de omnibus mortalibus, quod tamen ad Sacramenti validitatem requiritur.



CAPUT OCTAVUM.

De Confessione.

SECTIO PRIMA.

Quo jure necessaria sit Confessio.

*Quid con-
fessio.*



ICENDUM primò, Confessio est suorum peccatorum legitima & voluntaria accusatio facta Sacerdoti, ut virtute clavium Ecclesiae, remissionem peccatorum impetreremus. Dicitur accusatio, non nuda & historica narratio, sed expositio peccatorum animo se- se accusandi & peccata in se vindicandi. Reliqua ex- primunt

principiū Ministrum & finem Confessionis. Hanc Confessionem semper detestati sunt sectarii, docentes esse ritum à Papa introductum, antiquitus inauditum, imò Ecclesiæ perniciosum: deinde sufficere generalem Confessionem Deo factam, cùm particularis sit omnino impossibilis, juxta illud Psalmistæ Psalm. 18. *Delicta quis intelligit?*

Contra quos Catholica sententia docet Confessionem jure divino fuisse introductam. 1. Quia Joan. *divino,* 20. Math. 18. & alibi dat Christus Apostolis & omnibus eorum in Sacerdotio successoribus potestatem solvendi & ligandi fidelium peccata, nonita tamen ut fidelibus liberum esset, ad eos accedere vel non accedere, sed ut illos necessariò adire forent obligati, si suorum peccatorum absolutionem desiderarent. Deinde act. 19. dicitur, quod *Multi credentium veniebant* (scilicet ad Paulum.) *Confitebantur & annuntiantes actus suos.* Ubi intelligitur satis clare particularis confessio. Idem patet ex Jacobi 5. 1. Joan. 1. Ratio quoque dicta confirmat: si enim humano jure esset Confessio introducta, aliquod ejusdem introductio-
nis extaret vestigium vel in aliquo Concilio cœume-
nico, vel decreto Pontificio, ubi tamen contrarium constat: in Concilio Lateranensi verò solum fuit de-
terminatum tempus, quo obligat Confessio, et si confessio longè antea obligaret, sed non præcisè pro certo Tempore. Nec denique Ecclesia rem adeo arduam & odiosam omnibus potuisset præcipere, nisi divino jure ante foret injuncta.

Dicendum 2. Falsum est confessionem particula-
rem esse ritum ab Episcopis inventum tempore No-
vatariorum, & postea à Nectario sublatum, ut re-
fert Socrates & Sosomenus: quod enim ad histori-
cos illos attinet, satis sunt suspecti, eo quod Nova-
tianis adhærerent: quorum historiam falsam esse,
multis, probat Baronius centuriā 1. Deinde falsum
est, quod Nectarius Confessionem abrogaverit, cùm
Chrysostomus nectarii successor eam manifestè ad-

mittat hom. 10. in Genes. ubi ait: *Oportet al Confessionem facinorum festinare. &c.* Sustulit ergo Nestarius Confessionem publicam: cum enim tempore Novatianorum error ille invaluerat, quo docebant post Baptisma lapsos in graviora crimina non posse per Ecclesiam reconciliari, statuerunt Episcopi omnino illos esse reconciliandos. Ne autem nimis facile & temerè eos admittere videretur Ecclesia, veteri Canoni pœnitentiali, hanc addiderunt appendicem, ut peccata quæ aliquo modo erant publica, publicè confiterentur, idque de judicio alicujus confessarii, ad illud discernendum specialiter deputati, quem in omnibus Ecclesiis eligebant, & vocabant pœnitentiaryum. Hanc publicam pœnitentiam sustulit Nestarius occasione commotionis, ortæ ex eo, quod inter cætera crimina publica, quæ confitebatur quædam femina, confitebatur quoque, se in templo manentem à Diacono quodam fuisse cognitam: quâ occasione suasu cuiusdam Eudæmonis Presbyteri, illam publicam confessionem abrogavit Nestarius. Hoc tamen quoque falsum est, particulatem Confessionem & privatam, publicè confessioni successisse, utpote quæ semper cum publica conjuncta esset, & dictâ causâ à publica separata.

Pœnitentia-
sium gra-
dus.

Dicendum 3. varii olim erant gradus pœnitentium, & pœniterendi norma erat singularis. In exordio Ecclesiæ quibusdam peccatis negabatur venia, scilicet idolatriæ, homicidio, & adulterio; patet hoc ex plurimorum veterum monumentis. Horum criminum rei, à solo Deo veniam debebant expectare. Postea omnibus criminibus concessa reconciliatio, modò constaret eos seriò pœnitere. Unde primò in atrio Ecclesiæ stabant flentes, & expostulantes fidelium preces, ut pro se apud Sacerdotem intercederent, ut ad agendam pœnitentiam recipi possent. Erant hi induiti sacco & cinere, & omni modo ad movendum fideles dispositi. Manebant hi aliquando in tali statu per bienum, triennium aut etiam

Statues

etiam plures annos. Postea admittebantur intra foræ Ecclesiæ, à lugubri illo amictu liberi, ubi interpretationes S. Scripturæ audiebant, undè & *audientes* *Audienti-*
dicti: tertio ulterius in Ecclesiam admittebantur, & *tes.*
jejunii, humi cubationibus & aliis poenitentia operibus sese affligebant, qui dicebantur *substrati.*

Denique postea dicebantur *consistentes*, eò quod non amplius humi cubarent, genuflecterent &c. Sed cum aliis fidelibus starent & ad sacrificia assisterent, et si munera offerre aut communicare nondum possebantur.

Mulieribus quoque publica poenitentia non injungebatur, sed privatim poenitebant: viduis tamen postmodum publica poenitentia permittebatur, eò quod metus abesset, ne à viris eā de causâ vexarentur, uti de Fabiolâ scribit D. Hieron. epist. 36.

Dicendum 4. peccator non tenetur statim à peccato perpetrato confiteri, et si expediatur. Nulla enim est ejusmodi obligationis alibi facta mentio, immo antiquitus confessio ad multos annos differebatur. Poterit interim peccato commisso homo se reddere Deo per affectum contrarium, et si non præcisè per confessionem. Vide quæ dicta sunt de jure & justitia inter Deum & homines.

Obligat autem hoc divinum præceptum de confessione in probabili periculo mortis, quo casu si præceptum illud non adimpleat, exponit se aperto periculo illud numquam adimplendi. Extra hunc articulum aliquoties in vitâ obligat, et si non possit ita præcisè tempus definiri. Verius tamen non obligat ob periculum oblivionis, eò quod sic male determinasset Ecclesia tempus annum, cum intra illud tempus sœpius sit tale oblivionis periculum. Neque etiam obligat ratione periculi incidendi in nova peccata, cum relapsus non ita proveniat ex dilatatione Confessionis, quam ratione defectus propositi non peccandi, & constantiae.

SECTIO II.

De Precepto Ecclesiastico Confessionis.

Confessio annua. DICENDUM primò, Dictum de Confessione di-
vinum præceptum, determinavit Ecclesia ad
tempus annum, adeo ut saltem semel in anno om-
nes utriusque sexus fideles teneantur proprio Sacer-
doti Confiteri. Hinc omnes omnino fideles, cùm
ad annos discretionis pervenerint, hoc præcepto ob-
ligantur. Tempus autem annuum variij varie compu-
tant: alii ab uno paschate usqué ad aliud pascha: alii
ab una Confessione ad aliam: alii ut sufficiat quovis
anni tempore: melius tamen solet compuari annus
à Januario in Januarium, prout communiter solet
annus computari.

*Qui elap-
so anno
non est con-
fessus, re-
netur po-
ste statim
confiteri.* Dicendum 2. qui elapso anno non est Confessus,
teneatur quam prium Confiteri anno subsequentia
ratio est, quod Ecclesia dicendo *saltem semel in anno*
ponat terminum ultra quem non possit Confessio
differri: unde idem est, ac solutio pensionis annuae,
quæ si soluta non sit elapso anno, debet tamen
quam primum solvi. Si verò quis videat, quod fu-
turo tempore anni non poterit confiteri, tenetur mo-
dò Confiteri dum potest, sicut si quis hora 7. v. g.
prævidens quod sequentibus horis non poterit audire
Sacrum, tenetur præviè illud audire.

*An ille
teneatur
qui sola
habet ve-
nialia.* Dicendum 3. Verius videtur, quod ille qui solum
habet peccata venialia, non teneatur hoc præcepto,
eo quod hic intelligatur Confessio mortalium: dici-
tur enim in Capt: *omnis utriusque sexus*, quod debeat
omnia sua peccata Confiteri: quo innuit Ecclesia Con-
fessionem mortalium, cum venialia non debeat quis
omnia Confiteri. Deinde, ut docet Conc: trid: ses.
14 c. 5. Ecclesia solum determinat præceptum divi-
num, quod jure divino erat necessarium; jam au-
tem

tem Confessio venialium jure divino non est necessaria, unde ad talem Confessionem Ecclesia non obligat. Si tamen esset periculum scandali, deberent eadem Confiteri. Deinde debent semel in anno proprio Sacerdoti sese sistere & dicere se non habere conscientiam peccati mortalis, ut Communionem percipient. Hoc tamen fatendum est, quod Ecclesia posset præcipere Confessionem venialium, si vellet, imo aliquando id fecit, ut patet in bulla Clementis: *ne in agro dominico*, ubi Pontifex præcipit, ut monachi nigri, id est Benedictini singulis mensibus Confiteantur, si non mortalia, saltem venialia. Imo in quibusdam aliis religionibus, omnibus non Sacerdotibus præcipitur Confessio singulis octidnis.

Dicendum 4. Huic Ecclesiæ præcepto non satis fit per Confessionem invalidam, ut nec per Confessionem informem, cum verosimilius talis non detur, de quo postea. Probatur prius, eo quod lex Ecclesiæ præcipiat Confessionem Sacramentalem, & utilem, non inanem & nullam: Deinde Ecclesia præcipit Confessionem eamdem, quam præcipit Christus determinando simul tempus: sed Christus indubie præcepit Confessionem validam & fructuosam ergo. Unde meritò ab Alexandro VII. 1665 condemnata est hæc ut scandalosa & ad praxim minimè deducenda: qui facit Confessionem voluntariè nullam, *satis facit præceptio Ecclesiæ*.

Dicendum 5. Etsi Papa non possit dispensare, ne quis unquam Confiteatur, cum hoc sit juris divini: tamen potest cum aliquo dispensare, ut ultra tempus annum Confessionem differat, quod tempus ab Ecclesia sicut est determinatum, ita potest ab eadema justa de causa extendi.

SECTIO III.

Qualis debeat esse Confessio.

*Confessio
privata
& publica* **D**ICENDUM primò. Perinde est ad valorem Confessionis, sitne confessio publica an privata, uti ex dictis constat. Privata tamen modo est observanda juxta ritum & consuetudinem Ecclesiae. Si verò quis non posset confiteri nisi publicè, puta per interpretem, non tenoretur extra articulum mortis: Ratio ejus est, quia ut habet Conc. Trid. sess. 14. c. 5. Confessio publica numquam fuit in præcepto. In articulo tamen mortis obligaretur, eò quòd eo casu non tam obliget præceptum Confessionis, quam acquirendæ justificationis, idque modo securissimo. Agimus autem de eo, qui habet conscientiam peccati mortalis.

*Confessio
in scripto.* **D**icendum 2. Si quis obmutescat aut ita gutture laborat, ut loqui nequeat, potest confiteri scripto vel aliis signis: Verecundia verò non videtur ad hoc causa sufficiens. Imò dicto casu non solum potest, sed & debet ille scripto confiteri, cùm nihil hinc timeri possit incommodi, cùm instrumentum vel Scriptura possit lacerari, comburi &c. Confiteri tamen per litteras aut procuratorem absenti vetat Clemens VIII. ubi contrarium ut falsum, temerarium & scandalosum damnat. Hinc etiam Conc. Trid. sess. 24. c. 2. docet, quòd Christus eos, qui post baptismum se aliquo crimine contaminaverint, ante hoc tribunal tamquam reos sibi voluerit: Si verò alibi legatur, quòd quidam petierint absolutionem per litteras, id intelligendum est, de absolutione à poenis vel obligationibus v.g. juramenti, voti, &c. Non item de sacramentali.

Deinde, et si judicium fieri possit, & dari sententia per litteras, uti & matrimonium per procuratorem

torem, nihil obstat: Cùm tota diversitas hic pendeat à voluntate Christi, quæ nobis per Ecclesiæ praxim innotescit: Quòd & in cæteris notandum est, dum in materia de Sacramentis argumentantur à pari.

Dicendum 3. Confessio debet esse verax, adeò *Veracitas* ut mentiri in Confessione in materia gravi sit peccatum mortale, eò quòd tale mendacium soleat esse *Confessio-*
nis. tale peccatum. Si verò sit in re levi non erit peccatum mortale, neque impedit effectum sacramenti. Si quis tamen omnia mendaciter sibi affingeret in Confessione, procul dubio peccaret mortaliter, eo quòd frustraret Sacramentum suo effectu.

Dicendum 4. Requiritur insuper ut Confessio *Diligens-* sit diligens, idest, ut præmissâ diligentia peccatorum *sa confi-* discussione, illa confiteantur, quæ memoriarum occur-*tentia.* runt. Major autem diligentia requiritur in eo, qui a longo tempore non est Confessus: uti & in eo, qui pluribus occupationibus sæculi est implicatus, & qui memoriam habet satis obliviosam. Sufficit tamen ut quilibet adhibeat in Conscientiae discussione talem diligentiam ac tantam, quæ in rebus majoris momenti solet & debet adhiberi attentâ qualitate personæ, &c.

S E C T I O I V.

Quomodo Confessio debeat esse integra.

DIENDUM primò, Ex jure divino requiritur ut Confessio sit formaliter *integritas*, quæ formalis *Integritas* integritas in eo sita est, quòd quis omnia pecca-*Confessio-* ta, quæ post diligens conscientiae examen memo-*nis.* riarum occurront, in Confessione exponat, nisi justa causa excusat. Et hac ratione positâ, rectè dicit Conc. Trid. sess. 14. c. 5. *Impium esse dicere hac ratione,* *Confessionem esse Carnificinam animarum & Conscientia-*
rum

rum, &c. Unde addit ibidem Conc. Constat enim, nibil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & Conscientiae suæ finis omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur.

Oblita, Hoc tamen circa peccata oblitera notandum est, postea memoria occurrentia sunt confitenda. Ratio est, quod sit absolute obligatio juris divini omnia & singula mortalia confitendi, quæ & quando memoriae occurrunt, et si obligatio illa pro tempore suspendatur, si illa peccata memoriae non occurrunt, aut justa causa excusat. Imò illa oblitera non sunt remissa indirectè, nisi cum onere & voto illa confitendi, si memoriam occurrant.

Dicendum 2. Omnia & singula mortalia in specie, omnes circumstantiae speciem mutantes, sive communiter notæ sint sive non, item numerus eorumdem peccatorum debent aperiri in confessione, ut confessio sit integra: Cùm verò sit aliquando pœnitenti moraliter impossibile, præcisè confiteri peccati numerum; satis est, quod dicatur ille, qui moraliter judicatur subesse, addendo plus minusve. De hoc postea agemus in particulari.

**Circum-
stantia
quænam
sunt Con-
fiteanda**

Dicendum 3. Circumstantiae intra eamdem speciem notabiliter peccati malitiam aggravantes, debent in Confessione aperiri. Ratio hujus est, quod earumdem confessio maximè conduceat ad perfectum judicium de peccatis ferendum, debitam satisfactiōnem injungendam, &c. Imò circumstantiae tales, aliquando magis augment malitiam peccati & variant iudicis iudicium, quam circumstantia speciem mutantes. Deinde Ecclesia aliquando reservat peccatum ratione circumstantiarum intra eamdem speciem aggravantis, v. g. furtum magnæ quantitatis; non solet au-

autem Ecclesia reservare peccata, non necessaria ad confessionem. Denique alii docere debent ejusmodi circumstantias aliquando saltem debere exprimi, quando valde notabiliter aggravant; quibus accedit timororum praxis

Objicium huic datæ doctrinæ opinionem D. Thomæ contrariam: item quod Con. Trident. solum meminerit de circumstantiis speciem mutantibus. Ad quæ R. verum quidem est, quod Doctor ille in 4. contrariorum videatur assicerere, tamen ut ait Dominicus Soto, si usque huc suam summam absolvisset, nobiscum sensisset, cum alibi hoc satis clarè insinuet, cum dicit gravius esse peccatum quod fit in Regem, quam quod fit in plebeium, adeoque mereatur poenam longè maiorem. Ita Eximius Doctor Sylvius hic.

Quod ad aliud attinet, R. Conc. Trid. noluisse fese immiscere questioni controversiæ, & solum voluisse definire illud, quod erat certum: ubi tamen nostram opinionem satis subindicat, dum dicit eam peccatorum confessionem necessariam esse, per quam Sacerdos de eorum gravitate censere possit, ubi rectè de eorum gravitate, sine explicatione circumstantiarum intra eamdem speciem aggravantium vix censere possit confessarius.

Objiciunt aliqui, quod circumstantias intra eamdem speciem notabiliter diminuentes, non teneamus confiteri, ergo nec aggravantes. Ad quod R. quod quandoque tales circumstantiæ diminuentes sint confitendæ, & sèpè necessariæ sint ad ferendum rectum judicium, & sèpè de mortali faciant veniale: tamen non soleamus confiteri, ne videamus esse solicii ad excusandas excusationes in peccatis.

Dicendum 4. Media ad peccatum adhibita tunc ^{Media ad} sunt confitenda, quando sunt diversæ malitiæ ab ^{peccan-}
^{dum an-} actu peccati, neque de se & ex naturâ suâ ad actum ^{de leamus} principalem ordinantur: si vero non habeant diver-
sam

sam malitiam ab actu principali, & ad illum ex naturâ suâ ordinantur, non debent in confessione exprimi. Ratio hujus est, quod confessarius cognitâ malitiâ actus principalis, facile cognoscere posse ea, quæ talem actum de se & ordinariè solent comitari: aliud est, de aliis, quæ de se ad actum principalem non ordinantur. Sic consequenter docent, quod ille qui fornicationem confitetur, non debeat confiteri tactus & oscula fornicationem præcedentia, cum illa actum principalem scilicet fornicationem soleant comitari, & confessarius ex cognitione fornicationis, illa facile percipiet. Idem aliqui docent de osculis subsequentibus fornicationem, eò quod & haec plerumque comitari soleant, etsi alii rectius doceant, eadem esse confitenda, cum sint potius dispositio ad novam fornicationem, quam aliquid spectans ad præteritam. Si vero quis consuluit magos ad fornicandum, furandum &c. debet tale medium in confessione aperire, cum distinctam habeat ab actu principali malitiam, nec de naturâ suâ illi connexam: unde debet ut distincta & confessatio incognita aperiri.

Interrup- Dicendum 5. qui totâ die habuit voluntatem pec-
tio volun- candi & de facto peccavit, videre debet an ejus-
tatis pec- modi voluntatem non interruperit per actum con-
candi. trarium, quo casu toties de novo peccayit, quoties
 ita voluntatem immutavit. Si vero interruptio fue-
 rit solum naturalis v. g. per naturalem distractionem,
 per somnium &c. si interruptio illa non sit notabilis,
 non debet in confessione aperiri, secus si fuerit
 notabilis. Neque, si quis saepè renovet voluntatem
 peccandi v. g. occidendi, ideo diversa peccata inter-
 na commissile censetur, cum sit unus & idem actus
 efficax voluntatis, à quo actio externa procedit.
 Vide quæ diximus de diversitate numericâ & specifi-
 fica peccatorum in 1. 2. de peccatis.

Imperf- Quæret aliquis, an laudabile sit confiteri suasim-
ctiones imperfectiones, quæ non sunt peccata? R. variij do-
 cent

cent quòd sic , & signanter Alphonsus Rodríg. qua non
tom. 3. perfect. tract. 4 c. 4. docet esse consilium sunt pec-
cata, non
virorum spiritualium confiteri imperfectiones quæ sunt con-

non sunt peccata, maximè in materia castitatis. Ve-
fienda,

riùs tamen docent alii inordinatum esse eas sacramentaliter confiteri , eò quòd sacramentalis jurisdictio ex institutione Christi solum se extendat ad peccata , adeoque inordinatum est narrare ea , quæ non sunt peccata , ut ab illis absolvamur. Hinc dicunt plurimi , in confessione rescanda esse illa omnia , quæ non sunt materia confessionis , quæ sunt sola peccata.

Dicit aliquis , Confessarius non solum habet officium judicis ad absolvendum ; sed etiam medici ad curandum , adeoque aperiri possunt imperfectiones illæ , ut ab illis curentur poenitentes. R. Verum quidem esse , quòd confessarii munus sit mederi , sed morbis peccatorum , quales non sunt ex supposito dictæ imperfectiones. Si tamen poenitens dubitaret eas esse peccata , posset eas aperire , si dubium esset fundatum , ut alia peccata dubia : alias præstaret eas seponere ut & reliquos scrupulos. Sic etiam posset quis eas imperfectiones aperire Confessario non ut Confessario , sed ut Consiliario , ut dictas imperfectiones posset superare , quamquam præstaret id fieri extra confessionale , maximè si ex eâ relatione crearetur præjudicium aliis poenitentibus subsequentibus , ut sàpè fit.

SECTIO V.

An, & quomodo peccata dubia sint confitenda.

DICENDUM primò , Qui certo novit se peccat- Dubitans
se, dubitat tamen an peccarit mortaliter an ve-
nialiter, tenetur peccatum illud confiteri , alias ex-
ponet se periculo non omnia & singula mortalia con-
peccaverit

fi-

debet il- fitendi , prout de jure divino tenetur. Idem est do
lud dubiu- eo qui dubitat an confessus sit mortale , de quo cer-
sconfitentur. tus est , quod illud commiserit , eo quod in hoc du-
 bio stet possessio pro precepto Confessionis. Aliud
 est de scrupulis , qui non sunt hic curandi , de quo
 postea.

Dubia sub Dicendum 2. Qui dubitat an commiserit peccatum
dubio sunt mortale , tenetur illud sub dubio confiteri : Unde
confienda Eck' us l. 3. de pœnit c. 11. ita scribit : *Homo non est tutus*
in conscientia , solum manifesta & *quæ sunt nota , confitendo*
uisi etiam dubia confiteatur : optima enim est Theorica :
exponens se periculo peccati mortalium , peccat mortaliter.
Et quod dici solet , agere incertum & dimittere certum ,
in materia mortali est mortale..... docuit hoc sapiens ,
qui amat periculum , peribit in illo. Cum ergo aliquis habet
dubium probabile an actus si peccatum , non debet se expo-
nere periculo illud occultando , sed detegat illud Confessori
& judicium medici expectet an vulnus suu mortiferum aut
minus. Ratio hujus est , quod qui dubitat an habeat
lethalie vulnus , debet adhibere pharmacum maximè
opportunum ad illud curandum , quale hic est con-
fessio respectu morbi spiritualis dubii : unde S. Au-
gust. de vera & falsa pœnit. c. 15. Ponat se , ait , om-
nim pœnitens , in judicio Sacerdotis , nihil sibi reservans
sui , paratus facere pro reparanda anima , quæcumque face-
ret pro vitanda corporis morte. Deinde , si templo
mortua iteratò debeant consecrari , si de eorum con-
secratione dubiteret , ut statuitur Conc. Cartag. 5.
c. 6. & Meldensi c. 8. multò magis templo animata ,
sub dubio prophanationis debent per confessionem
consecrari. Denique omnia jura clamant in dubio
tutiorem partem esse amplectendam , maximè in
foro conscientiae : unde S. Antonin. 3. p. tit. 5. c. 2.
§. 9. docet : In his , quæ concernunt forum conscientiae ,
in dubiis tutior pars est eligenda. His omnibus adde sen-
sum universalis Ecclesiæ , qui semper in dubio nume-
ri addere consuevit , plus minusve , id est sub dubio :
& de cætero ex Conc. Trid. constet , confessionem
ita

ita debere esse integrum, sicut uniuersa semper intellectu Ecclesia.

Dicendum 3. Dicta doctrina ex Conc. Trid. ut *Ex Conc:* cumque erui potest, dum ultra hoc quod mox ex ^{Tridenti-} eodem attulimus, docet quod Christus Confessarios ^{no} reliquerit tamquam suos vicarios, ad quos *omnia mortalia* deferrent fideles: *omnia* ait, non excipiens dubia, cum verba generalia non debeant restringi, nisi ex generali significatione sequatur absurdum, quod hic non est timendum. Deinde solum eximit Conc. Trid. illa peccata, quae post diligens examen pœnitenti non occurrunt, & venialia: ubi tamen mortalia dubia diligenter se examinanti occurrunt neque sint venialia.

Dicendum 4. voluit & quondam Lutherus, quod *Lutheri* non nisi manifesta mortalia quis confiteri deberet: *dogma*, ait enim art: 8. à Leone X. damnato: nullo modò *presumas Confiteri peccata venialia*, sed nec *omnia mortalia*, quia impossibile est, ut *omnia mortalia cognoscas*: unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia Confitebantur. Ad quod ita Roffensis refutat: art: 8. Lutheru objicit: Ceterum si velis articulum intelligi debere de mortalibus, quae fuderint animum pœnitentis, nec ad habitu debitu diligentia redeunt in mentem; nihil ab Ecclesia dissides. Siu de iis intelligi, quae *Confessus* norit, vel DUBITAT esse mortalia tum profecto articulus meritissime damnatur, cum nullum horum in Confessione tegi possit, absque manifesta fictione. & in initio ejusdem articuli: opinor neminem usque adeo cœcum, & insanum, ut ob unius Lutheri sententiam, velu tanto discrimini se exponere, quanto ea quae vel norit, vel DUBITAT, esse lethalia, Sacerdoti non aperiatur. & Latomus ad Artic: 3 Lutheri, à Lovaniensibus condemnatum; Qui dubitat, ait, an peccaverit mortaliter an non, & an consensus ad illicium sit mortaliter vel perfectus & plenus an non, nonne tunc erit confueri? & quis secundum Lutherum securum reddet pœnitentem de remissione? nonne in tali casu non confitens, amat periculum contra illud Eccl. 3. qui amat *peri-*

periculum peribit in illo? ratio autem hujus Lutheri erroris fuit haec, quod Doceret neminem esse certum, an non in singulis actionibus mortaliter quisque peccet, propter occultum superbie vitium, adeo ut quilibet jure dubitare possit, an non semper peccet mortaliter: unde & impossibile Docebat quod omnia mortalia Cognoscas, & proinde solum manifesta esse apendienda.

SECTIO VI.

Respondeatur argumentis in Contrarium allatis.

Obligatio confidendi dubia, est certa. **O**JICIUNT primò, non est certior Confitendi obligatio, quam sit fundamentum obligationis, quod est peccasse mortaliter: Sed illud est dubium, ergo & ejus obligatio inde resultans est dubia. Ad quod Resp. quod ex dubio fundamento, possit ori-ri certa obligatio. Dubitat quis de sumpto vene-
no: ex illo dubio oritur obligatio certam adhibendi medicinam, ita & hic. Neque ulla tenus quis addat, quod in dubio melior sit conditio possidentis: quia ultra hoc, quod dictum principium solùm habeat locum in materia justitiae, uti alibi ostendimus, ta-
men petitur per hoc, principium, cum quæstio sit, an possessio sit pro libertate pœnitentis an Confessio-nis. Adde, quod non sit dubium, an hoc casu debeat adhibere medicinam, puta Confessionem, sed sit certum. Neque opponas licitum esse sequi opinionem probabilem, quod multis rejecimus agendo de con-scientia, & simul notent, nos hic agere de materia Sacraimenti, ac tutius hic esse, quod proponimus.

Potest esse accusatio de dubio. Objiciunt 2. Ridicula foret accusatio in judicio, dicendo, accuso me de furto, si sim furatus, ergo & hic. Deinde qui confiteretur dubia, exponeret Sacra-
mentum periculo nullitatis, posset enim fieri, quod peccatum illud non subesseret. Resp. Quod ad primum atti:

attinet, omnem similitudinem claudicare, & quidem hanc egregie: noscit enim quilibet, quot casibus differat hoc tribunal Sacramentale à forensi. Unde idem foret, si esset tribunal in quo omnes contagioso morbo laborantes deberent se accusare, ut sanarentur quo casu deberet quoque fieri talis accusatio, *accuso me de sali morbo, si illo labore, de quo dubito.* Ad ultimum respondeo, illud quoque probare, ne quidem esse licitum confiteri peccata dubia, quod est omnino absonum. Addo tamen, quod pœnitens quando omnia dubia confitetur, debeat addere aliquod veniale aut mortale certum, ut certa sit absolutio: aliás si in necessitate v. g. non possit tale addi, danda erit absolutio sub conditione.

Objiciunt 3. solùm vult Conc. Trid. quòd illa peccata debeamus confiteri, quorum quis meminit, & habet conscientiam: sed dubiorum non meminit, nec habet conscientiam; ergo. Resp. Etsi non habeamus ^{Dubiorum habemus} de illis conscientiam certam, habemus tamen probabilem, & probabiliter nobis memoriae occurunt, hoc ^{consciencia tiam probabilem.} autem sufficere ad obligationem confitendi, ex dictis abunde constat.

Objiciunt 4. Scrupulosis non permittitur peccata dubia confiteri, ergo signum est, quòd non sit obligatio eadem confitendi. R. N. C. ratio enim, quare hoc scrupulosis non permittitur, est hæc, quòd non soleant scrupulosi habere vera dubia, sed solùm infundata, sive scrupulos: in aliis verò, qui verè & fundatè dubitant, non habet locum hæc exemptio,

SECTIO VII.

*De Absolutione moribundi, qui nulla doloris signa
Sacerdoti ostendit.*

Extrema necessitas D I C E N D U M 1. Cùm in extremis extrema tentanda sint, sequitur, quòd moribundus non ab integrè debeat integrè confiteri; à cujus integritate impotestate excusat. Undè ut ait Paulus V. in rituali Rom. tit. de poenit. *Si inter confiendum vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ergo deficiant, nutibus & signis conetur Sacerdos quoad ejus fieri poterit, peccata pénitentis cognoscere: quibus utcumque vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium vel per se vel per alium ostenderit, absolvendus est.* Ratio hujus est, quòd moribundus, per similem confessionem præbeat hoc casu materiam sufficientem, id est accusationem, ètsi generalem, super quam cadit ipsa absolu-

Moribundus qui nam sit absolvendus. Constat itidem ex Paulo V. si confitendi desiderium vel per alium ostenderit, esse talem absolvendum: dicere autem in impressione hic irrepsisse mendam, & legendum esse, absolvendus non est: uti etiam revisores ritualis in hoc errasse, uti & Paulum V. ut doctorem privatum, temerè objicitur, uti ex bullâ rituali præfixa sufficienter pater, dum toti Ecclesiæ observandum proponitur. Unde idem præviè docuerat Conc. Arauf. 1. c. 11. ubi dicitur: *subito obmutescens, prout statutum est, baptisari aut pénitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Unde patet, non solum posse talem absolvi, sed & debere, cùm proximo extremè indigenti succurri debeat, quantum possit.

Dicendum 2. moribundus, qui nulla doloris signa edidit, nec absente, nec præsente confessario. poterit

poterit tamen absolvī , si constet , quod christianē vixerit , quidquid hīc alii nimium censurent , quam sententiam plurimi authores , iīque præcipui tuerunt & docent , ut Hesselius , Jansonius , Morinus l. 10.c. 10.& alii. Imò & sacerdotale quoddam ad usum Ecclesiæ Rom. Venetiis excusum anno 1560. fol. 62. quod sic habet : *talis infirmus aut jam amisit loquelam vel usum rationis, aut non : in primo casu, si bene vivebat, ut bonus fidelis, & frequentabat confessiones & communionem & ejusmodi, quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt.... debet presupponi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo sacerdos faciat absolutionem ab omni sententiā & peccato..... deinde debet dari ei Eucharistia, quamvis non sit confessus.* Idem docet S. August.l. 1. de adult. conjugiis. c. 26. & 28. Hanc opinionem teste Morino approbavit Greg. XV. dum esset Archiepis. Bononiensis in memoriali confess. c. 1. de formâ pœnit. num. 16. ubi ait: *imo addit sacerdotale Rom. p. 624. ex doctrinā D. Antonini, posse etiam absolvī moribundum assuetum frequentare confessionem, quamvis repentina casu oppressus Sacramentum non petierit : neque solum potest confessarius absolvere, sed etiam debet : quia contingere potest moribundum tantum esse attritum, unde damnetur, nisi absolvatur.* Idem testantur aliarum Ecclesiarum statuta , ut Ecclesiæ Lemovicensis anno 1620 &c. alii quoque volunt probare hanc dictam opinionem ex facto Clementis VIII. qui, cadiem de Basilicâ S. Petri absolvit: ad quod ait Lugo sese diligenter Romæ indagasse , & ab illis , qui eo tempore aderant , se audivisse meram esse fabulam.

Ratio autem hujus doctrinæ est hæc : quod desiderium aut petitio confessarii in casu necessitatis , habeat sufficientem rationem confessionis , dum per aliquod signum innotescit: sicut autem tale signum sufficiens est aliorum testimonium , ita quoque satis sufficiens est vita præterita christianè acta , quā sic ut ille censeatur velle christianè mori , uti christianè

*Confessio
implacata.*

vixit, & consequenter in tali articulo velle confiteri, ad quod vitam anteactam implicitè direxit.

Si verò rituale Rom. neget absolutionem dandam esse illis, qui nulla dant doloris signa, intelligendum est de sanis, & in peccato obstinatis; aliud enim ex antedictis sufficienter constat.

SECTO VIII.

Quænam ab integritate confessionis excusent.

Excusatio ab integritate confessionis. D ICENDUM primò, Excusat impotentia ab integritate confessionis, periculum mortis instantis, si peccata invincibiliter ignorentur, si sit timor gravioris damni proprii vel alieni, dum est necessitas confitendi: alias ob devotionem, non excusat talis cautela,

Impotensia. ut etiam si adsit alius sacerdos, à quo non timeretur tale periculum. Unde, si prudenter timeatur revelatio confessionis, vel timetur mors, aut gravis vindicta, vel quod quis sollicitabitur ad peccatum, cui timet poenitens ex fragilitate se succubatum, non tenetur intégrè confiteri. Idem excusat fractio sigilli, hoc enim nequidem ad faciendam confessionem integrum licet violare.

Non item manifestatio complicis. Dicendum 2. Manifestatio complicis non excusat ab integritate Confessionis, nisi ex tali manifestatio ne obveniret complici grave damnum: Alias, si nihil mali ille obveniret, quam quod peccatum ejus Sacerdoti innotescat, non excusabit; Neque hīc est detraction respectu complicis, ut volunt aliqui, nisi ad summum materialis, non enim aperitur ejus crimen ut famæ ejus noceat, sed ut juri suo satisfaciatur, quod habet ad peccata sua ritè exponenda, quod sèpè sine manifestatione complicis fieri negat: Deinde hoc ipso quo complex voluit cum alio peccare, censetur in sui peccati manifestacionem consensisse, dum peccatum illud sine manifesta-

statuq-

statione ejus confiteri non potest. Unde Monitum D^r. Bern. Vel alterius, quisquis sit, l. de honestæ vitæ formula: *De nullo prorsus sinistrè loquaris (quantumcumque sit verum vel manifestum) nisi in Confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.* Imò teste Morino l. 2. c. 12. de pœnit. olim in Ecclesia moris fuit petere si rem habuissent cum matre, sorore, &c. Ubi alia pro dicta sententia ad rem nostram adfert.

Dicendum 3. Non excusat ab integritate dicta *Nec multitudine pœnitentium multitudo.* Noti sunt ex Epistola Jacobi Boonen Archi-Episc. Mechlin. ad congregationem Card. qui contrarium docuerunt & practicarunt. Unde primo Theologica facult. Lovan. contrarium damnavit ut falsum, non tolerandum in praxi, & superiorum autoritate meritò proscribendum: *Uti jam nuper proscriptis Innocentius XI. hanc sequentem: Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna aliquius Festivitatis aut Indulgencie.*

Dicendum 4. Qui post Confessionem dicit se sci-
re, se habere adhuc aliquid dicendum, Sed non po-
test illud recordari, uti sàpè fit: Debet tamen eo
non obstante absolvi. Ratio est, quia talis omnia
exposuit, quæ post diligens examen (quale suppo-
nitur) memoriae occurrunt, quod solùm à Conc.
Trid. requiritur.

SECTIO IX.

An melius sit saepius confiteri quam raro.

DI CENDUM primò, De se melius est numquam debere confiteri, cùm hoc supponat innocentiam vitæ & alienum aliquem esse à vitiis. Attentā tamen fragilitate humanā, & supposito assiduo ca-

su, præstat omnino ad Confessionem festinare, quam ab eâ abstinere: Præstat enim morbis quærere medicinam, quām morbos permettere incuratos: Optimum tamen est, morbis caruisse. Unde Confessio solet comparari medicinæ, quæ morbo curando principaliter adhibetur & secundariò à morbis præservando: Hinc, sicut honorandi sunt medi ci propter necessitatem, ita ex ea parte honorandi sunt confessarii.

Dicendum 2. Qui adeò perfecti sunt, ut serium etiam de peccatis minimis dolorem & propositum ab iis abstinendi concipere possint, laudabiliter sæpius confitentur, ut modo securissimo omnes conscientiæ maculas abluant & extinguant. Hinc illi, qui sæpius ad S. Communionem properant, v. g. Sacerdotes quos purior & sanctior decet dispositio, *Vel quotidie vel alternis diebus vel bis saltem in hebdomada, animo verè Contrito ad Confessionem solent accedere, omnesque malorum radices evellere conantur, atque omnem vel levissimam maculam abstergere*, ut ait Card. Bona de Missa tract. ascet. c. 4. §. 2. hoc sensu quoque rectè docet Catechism. Rom. a. 2. c. 5. dum ait, *Nullam rem fidelibus adeò curæ esse debere, quam ut frequenti peccatorum Confessione, animam studeant expiare.... ac turpe esse, cum in eluendis Corporis ac vestium sordibus tam diligentes simus, non eadē saltem diligēti curare, ne animæ splendor turpissimis peccati maculis obsoleescat.*

De Peccatoribus gravioribus.

Dicendum 3. Peccatoribus gravioribus, & dissolutionis vitæ, frequentior confessio est commendanda. Ratio est, quod præstet cito quærere medelam juxta illud: *Principiis obsta, sed medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras.* Vulnus enim quod festinâ medici manu non curatur, putreficit, & aliquando corpus totum inficit. Deinde, quò diutius confessio protrahitur, eò videtur difficilior & magis ardua, ubi tamen *ejusmodi peccatores veluti fræno à peccatis coëcentur.* Certè experientiæ teste clarum est,

est, multos etiam injunctā confessione per modum pœnitentiæ frequentiori, à vitiis serio se emendasse.

Dicendum 4. Qui magis ex consuetudine, ex affectu erga patrem spiritualem, inani gloria aut simili motivo, ad confessionem accedunt, quam ut peccatis medelam querant, frequentior confessio est dissuadenda. Idem est de iis, qui continua scrupulis confessarii animum divexant. Idem est de iis, qui eadem semper ad confessionem adferunt, quæ pro viribus emendare non satagunt, & in eadem semper dilabuntur, non tam ex parte Infirmitatis, quam defectu serii propositi non relabendi. Hinc prudentis erit confessarii, sollicite attendere pœnitentium inclinationes, motiva & similia, unde facile jicare poterit, quid cuique in hoc negotio conveniat.

Dicendum 5. Plerisque ordinum religiosis statuitur frequens confessio, eò quod supponant perfectiorem in iis sese disponendi methodum, de qua conclusione. 2. Quâ si careant, non ideo quod religioni de sese convenit, erit immutandum, cum si non sint purioris vitæ, ex sua professione tamen ad illam tendere debeant. Hoc tamen addo, ut quisque suam animi intentionem & dispositionem sedulò attendat, dum ad confessionem accedit: nedum animæ sordes abluere videtur, animam commaculet, vel defectu debitæ contritionis, vel propositi efficacis, vel ex motivo inordinato, consuetudine, &c. nil enim prodest, quod non laedere posset idem.

Dicendum 6. Frequens confessio, in iis qui gentiliter vivunt, est signum reprobationis: certum est enim, quod ejusmodi confessiones plerumque sint sacrilegæ: quis verò neget sacrilegia esse notas reprobationis? Unde jure merito condemnata est subsequens propositio: numero 56. inter 65. ab Innocent. XI. *Frequens Confessio & Communio, etiam in iis qui gentiliter vivunt, est nota predestinationis.* Deus enim reddet unicuique prout gessit in corpore, ut vitæ correspondeat poena vel merces.

SECTIO X.

De Confessario, sive ministro Confessionis.

Minister Confessio. **D**I CENDUM primò, de fide est, solum Sacerdotem esse ministrum confessionis. Patet hoc ex Trid. ses. 14, c. 6. & can. 9. pro parte Lutherum condemnante, qui insultè quondam effutuit, mulierem tantum posse circa hoc Sacramentum, quantum Sacerdotem, eò quod Sacraenta non operentur suum effectum, nisi excitando fidem, quod & mulier æquè potest, ac Sacerdos. Confessio enim fieri debet coram judice, potestas autem judicandi, non omnibus promiscuè competit, uti patet. Solis ergo Apostolis, & omnibus eorum in Sacerdotio successoribus hæc administratio competit: adeò ut Confessio facta Laico sit prorsus nulla. Unde si quando SS. PP. adstruant confessionem Laicis factam, non intelligunt Confessionem Sacramentalem, sed confessionem factam ad sui humiliationem vel consilii petendi causâ. Idem est de confessione, quæ quondam fieri poterat Diacono, quæ non erat Sacramentalis, sed in ordine ad recon-

Diacono. ciliationem & absolutionem à censuris: quamquam rum abu- videatur aliquando fuisse Diaconorum abusum, qui suse uti quondam sibi vendicabant potestate in Corpus Christi verum, ut patet ex Conc. Arelat. 1. c. 15. ita quoque eam usurabant in Corpus Christi mysticum.

Jurisdictio. **D**icendum 2. Persuasum est, illam absolutionem nullius esse momenti, respectu illius, in quem nullam, ne delegatam quidem, Sacerdos habet jurisdictionem. Patet hoc ex Con. Trid. ses. 14. c. 7. & favet ratio ante dicta, quod absolutio sit actus judicialis, qui requirit jurisdictionem in judice. Jurisdictionem hanc non accipit completem quilibet Sacerdos in suâ ordinatione: alias Ecclesia non posset invalidare actum absolutonis, quem sine ulteriori jurisdictione poneret Sacerdos,

dos, datur tamen in ordinatione ejus talis potestas, quæ necessaria sit ex parte judicis ad ferendam sententiam, sed non datur potestas necessaria ex parte materiae, quatenus non dantur adhuc subditi, in quos iurisdictio agat: adeò ut in ordinatione detur tantum inclinata iurisdictio, non itidem completa, quæ non tantum requirit iudicandi potestatem, sed subditos quos judicare possit.

Dicendum 3. Jurisdictio hæc, alia est ordinaria, *iurisdictio ordinaria* alia delegata. *Ordinaria* est, quæ alicui competit ratione officii. *Delegata* est illa, quam alter habens potestatem alteri concedit. Hinc ordinaria jurisdictio illi ^{& delegata,} *titulus coloratus.* competit, qui habet officium, cui annexa est animarum cura, ut est Papa respectu fidelium, Episcopus respectu suorum subditorum, Pastor, &c. Jurisdictio hæc ordinaria deperditur per privationem beneficij: Unde si Pastor v. g. deserat suum officium, amittit quoque suam jurisdictionem, & de novo approbari debet, si præviè non sit approbatus. Ad jurisdictionem verò sufficit titulus coloratus cum communi errore vulgi, id est, quod communiter omnes putent eum habere jurisdictionem ratione officii aut alterius tituli, qui revera non subest: ratio ejus est, quod hoc casu Pontifex suppleat, dapo jurisdictionem taliter absolventi, ne nimis grave sequeretur incommodum, quod omnes illi qui inculpabiliter tali confiterentur, non absolverentur. Hoc tamen notandum, quod ille qui absolvit cum tali impedimento, peccet nisi ob ignorantiam excusat: non enim jurisdictio datur in favorem iniquitatis absolvientis, sed in favorem pœnitentis.

Dicendum 4. Delegatam jurisdictionem habet ille, qui ab Episcopo approbatus, jurisdictionem accipit ab eo, qui illam habet ratione officii. Ex quo patet quod delegatus non possit subdelegare, eò quod delegatus non habeat jurisdictionem ex parte officii, sed ex favore. Sufficere tamen hic potest consensus tacitus, v. g. si confessarius approbatus audiat confessio-

sesiones alicujus subditi in præsentia ordinarii, qui cum facilè posset, non contradicit. Perit autem delegata jurisdictione, per revocationem concedentis, & per censuras, quibus vitari debet confessarius.

*Jurisdiction
dubia.*

Dicendum 5. In casu dubii, an quis habeat jurisdictionem, non potest quis licetè cum tali dubio absolvere. Eò quod stante tali dubio, temerè procedat, usurpans sibi potestatem de qua sibi sufficienter non constat. Enormius procedunt, qui quando contradicitur à legiūmo superiore, quoad jurisdictionem, temerè procedunt: quæ contradictione si tam pœnitenti, quam confessario innotescat, nulla erit confessio aut absolvio. Hinc graviter delinquent, & pœnitentes decipiunt, qui contra superiorum ordinationes pœnitentes absolvunt, quorum conscientiam dum sedare student, magis perturbant aliquando & constringunt.

*Jurisdiction
præsum-
pta.*

Dicendum 6. Licitè quandoque usurpatur jurisdictione in aliquos exemplios, ratione tituli præsumpti. V. g. Religiosus, qui vi regulæ tenetur confiteri alterie eiusdem ordinis posset absolvvi ab alio, si sit in itinere, eò quod præsumere quivis posset, talem exceptionem in casu itineris esse factam, & legitimum superiorem in id consentire. Optimum tamen consilium erit, præviè à talibus inquirere, an eosdem liceat audire & absolvere, an habeat confessarius in illos jurisdictionem, an habeant licentiam alteri confitendi, si de illis sit dubium, ut saepe fit.

*In articulo
mortis
quilibet
Sacerdos
in quemlibet
bet habet
jurisdictione
nunquam,*

Dicendum 7. Quilibet Sacerdos in articulo mortis, in quemlibet habet jurisdictionem absolvendi à quibuslibet. Docet id Conc. Trid. ses. 14. c. 7. ubi ait: Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt. Unde patet hic etiam comprehendendi Sacerdotes Hæreticos & schismaticos.

Si vero ordinarius hic adsit, non potest altera talem mori-

moribundum in vim dicti privilegii absolvere , eò quod in Ecclesia Dei contrarium semper fuerit custoditum , & præsente ordinario cesse ratio tam ampli indulti : unde Greg . 13 . Quondam rogatus de hoc casu , respondit nobiscum eo casu hoc non esse licitum : quod et si dixerit ut Doctor privatus , tamen inde ut cumque intelligi poterit mens talis Pontificis . Tunc ergo in articulo mortis nulla est reservatio , quando est necessitas eum absolvendi ab alio , quam ab ordinario .

Si autem incepit Sacerdos talis moribundi audire confessionem , & interea adveniat ordinarius , non ideo debet ab auditione desistere , cum per inchoatam confessionem acceperit jurisdictionem , quæ cum adhuc res sit integra , omnino perseverat .

Dicendum 8. Quivis Sacerdos non habet jurisdictionem absolvendi à venialibus & mortalibus alias ritè confessis : ratio est , quod actus absolutionis sit semper actus judicii , adeoque semper in judicante aut absolvente requiritur jurisdictionis , & quidem completa , quæ cuilibet Sacerdoti non competit , uti ante probavimus : unde contrarium nuper vetuit Ecclesia , in decreto à nobis allato , agendo de Communione .

Dicendum ultimò , variis præter Summum Pontificem habent privilegia & facultatem eligendi sibi confessarium , ut sunt Episcopi , Patriarchæ , Abbates exempti , Generales , Provinciales , Guardiani , Priores , &c. nisi speciali ordinis statuto prohibeantur : item Cardinales eorumque subditi : Decani , præpositi , Parochi , item Reges & Duces , solent hinc habere sua privilegia . Abbatissæ verò non habent hanc facultatem , cum non habeant prælaturam propriè dicetam cum jurisdictione spirituali . Non possunt tamen illi verosimilius eligere Confessarium non approbatum , quia generali concessione non comprehenduntur illi , quos concedens non comprehendenteret , si speciatim de eò rogaretur , quod concedere non facile æstimanda est Ecclesia , de quovis rudi & simplici aliquando .

*Quid se
adgit or-
dinarius.*

*Quilibet
Sacerdos
non habet
jurisdictionis
semper absolu-
vendi à
veniali-
bus &
mortalis-
bus alias
Confessu.*

*Quinam
eligeret
possint
confessa-
rium , &
qualem .*

Si

Siverò quis habeat duo domicilia, poterit eligere confessarium alterutrius loci pro libitu, cum uterque habeat in talem jurisdictionem. Vagabundi verò qui nullum habent domicilium, tenentur confiteri Parochio loci, ubi vel graviter decumbunt, aliàs verò in loco quovis, quo itinerantur. Mercatores autem & viatores, tenentur sese conformare praxi illius loci, per quem transeunt, cum censeantur pro eotempore adepti esse incolatum illius loci. Vide dicta de legibus.

SECTIO XI.

An praestet uni & eidem confessario confiteri, an verò diversis.

Melius est D ICENDUM primò, Praestat indubie uni & eidem semper confiteri, quām diversis: Ratio est, quando eidem status animæ aperitur, magis congrua possit adhibere medicamenta, cum status animæ sit illi magis perspectus: uti medicus, cui abunde nota est ægroti dispositio & temperies, magis apta præscribit medicamenta tali ægroto. Vnde Belgis nostris est adagium: *Unus vir: unus medicus: unus Confessarius.*

Libertas confitendi non est nimium restringenda, Dicendum 2. Etsi varias ob causas, cuilibet statuti religioso unus & idem detur confessarius, non ita arctè tamen libertas confitendi constringenda est, ut numquam aut fere numquam detur licentia alienum assumenti. Unde sollicitè statuit Conc. Trid. ses. 25. c. x. *Prater ordinarium confessorem alius extraordinarius ab Episcopo & aliis superioribus, bis aut ter in anno (monialibus) offeratur.* An verò præstet similibus promiscuè concedere facultatem eligendi extraordinarium non ita præcisè & generaliter potest definiri. Commune est, varias claves intricare seram, verum velim & illud attendi, quod habet Seraphica

Mag.


Mater Theresia de via perfect. c. v. Quod restrictio confessariorum sic opportunum daemonis remedium, ad conscientias illaqueandas: audi S. Matrem loquentem: Religionem & Monasterii sui honorem per multum se promovere putant, quod unum dumtaxat confessarium habeant & utantur: interim tamen diabolus huc viam animas inescare, & capere satagit, cum alias id facere nequeat; si enim afflictæ sorores alium confessarium petant, mox omnis ipsis religionis observantia ac disciplina penitus pessum ire videtur: aut si alterius is ordinis fu, tametsi singularis vir sanctitatis, magnam se universo ordini quod vel dumtaxat cum illo subinde conferatur infamiam & probrum inferre credunt: singulares Deo gratias agite filie, & eum ob libertatem qua fruimini, laudate: que esto se ad per multos assumendos confessarios non extendat, cum aliquibus tamen, preterquam ordinariis confessariis vobis agere & conferre concessum est. Hanc illa.

Dicendum 3. Si aliquoties subditus petat extraordinario confiteri, omnino tenetur superior in illud consentire, nisi quid aliud obstet. Unde ait D. Thom. supplem. q. 8. a. 4. ad 6. peccare Sacerdotem qui non est facilis ad praebendam licentiam alteri confitendi: quia ait, multi sunt adeo infirmi, ut potius morentur sine confessione, vel aliqua peccata subticerent, quam confiterentur tali vel tali Sacerdoti. Unde in hoc casu prudenter & discretè superiores debent attendere, ne dum nimis sollicitè volunt agnoscere vulnus pecoris, id est subditorum conscientias, subditus & sibi damnationis laqueum injiciant.

Addit tamen R. D. Nees tractatu V. dub. 3. de pœnitentia, quod Episcopus Posit monialibus sibi non subjectis, sive nullo modo induci possint, ut proprio suo confessario confiteantur, offerre alium confessarium sive sæcularem, sive regularem, prout declaravit S. Congregatio Cardinalium, idque ut consultatur saluti & conscientiae Monialium.

Itidem in fine dubii 4. Quod aliquando sufficere possit

possit Interpretativa voluntas superioris ordinarii
v. g. Si Confessarius approbatus ad audiendas moniales
casu venias ad aliquod monasterium monialium, & ibidem
reperiatur aliquam afflictam, & in magno salutis suae peri-
culo constitutam, sed quod vel ex turbata phantasia vel
aversione aut infirmitate etiam sine culpa confessarii non
possit ei confiteri, sed continuo facit confessiones sacrilegas
& indignè communicat, nec ad superiorem datur acces-
sus, aut non expedit, ut superior sciatis; in his & simili-
bus circumstantiis licebit hujusmodi Sacerdoti supponere
præsentem facultatem & delegationem superioris, quia
certum est, quod velit, & rationabiliter velle debeat,
hunc miseræ animæ afflita omni modo possibili succurrere.
Hucusque dictus auctor.



CAPUT NONUM

De Officio Boni Confessarii.

SECTIO PRIMA.

De Scientia in Confessione requisita.

DICENDUM primò, Labia Sacerdotis custo-
dient scientiam, & legem requirent ex ore
ejus, quia Angelus Domini exercituum est, ait
Scriptura S. Malach. 2. Unde & Osee 4.
Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio
Confessarii qualis fungaris mihi. Ut autem clarius videatur, qualis &
esse debeat quanta scientia in confessario requiratur: prænotan-
scientia. dum est triplex confessarii munus, scilicet Doctoris,
Medici & Iudicis. Generaliter ergo illa scire debet,
quæ necessaria sunt ut debitè illorum partes agat in
Sacro Tribunal, ut doceat ignorantes, ut vulne-
rum qualitates noscat, medicamenta congrua ad
manum

manum habeat, quæ præscribat: ut leges sciat, id est, quid leges vetent aut permittant; bonus enim judex omnia secundum jura pronuntiat.

Dicendum 2. Ex officio ergo tenetur scire confessarius; quid ad essentiam hujus Sacramenti requiratur, qualis contritio hic sufficiat, quæ sint peccata ex genere suo mortalia, quæ circumstantiae speciem immutent, aut eamdeni graviter aggravent, quandonam peccatis annexa est obligatio restitutio-
nis, censuræ, &c. Quænam peccata Pontifici aut aliis Prælatis sint reseruata, quibus casibus confessio sit ite-
randa, ut sciat prudenter interrogare, monere, solari, corripere pœnitentes, & eosdem à lepra curare. Hoc tamen notandum est pro diversitate pœnitentium di-
versam aliquando requiri scientiam in confessario: si quis excipiendis confessionibus Religiosorum destine-
tur, scire debet peccata & abusus Religiosorum magis obvia & illis propria. Si mercatorum, rusticorum, &c. Debet scire ea, quæ ejusmodi solent committere. Errant tamen ii, qui sibi persuadent minorem requiri scientiam in eo, qui tantum rusticorum confessioni-
bus intendit, cuius contrarium experientia docet; Cum plebs ignara, majori solertiâ Doctoris & medici indigeat. Hoc tamen notandum est, quod non debeat confessarius precisè determinare, quandonam mali-
tia peccati pertingat ad mortalem, quod difficillimum aliquando est vel ipsi pœnitenti, dum discernere ne-
quit, an consensus, deliberatio, &c. Sufficiens fuerit ad malitiam mortalem. Quare satis est, quod sciat, quale peccatum sit ex genere suo, & super attendere circumstantias annexas, quæ peccati speciem aut ma-
litiam variant, aggravent aut aliquando etiam dimi-
nuant. In casu dubii verò, & casibus satis intricatis, non debet nimium suo studio aut ingenio fidere, sed à libris vel doctioribus consilium petat, si res pœniten-
tis talem dilationem permittat.

Dicendum 2. Ante omnia opus est, ut sciat quis-
nam pœnitens sit satis ad absolutionem dispositus,
quis-

quisnam absolutione sit indignus , cum non solum sot-
vere peccata debeat , sed & ligare.

SECTIO II.

De Prudentia Confessarii.

*Discretio
Confessio-
rii.* **D**I CENDUM primò , prudentia & discretio con-
fessario in primis est necessaria , sine quâ summa
studiorum scientia vix prodest . Prudentia haec innume-
ra involvit : ac primo quidem , ut in judicando pru-
denter procedat , quod fiet non innitendo sententiae
minus probabili , imo nec solum probabili , quæ mi-
nimè sufficit , ut operante in ex eâ prudenter faciat
operari . Quòd enim solum probabile est , non certifi-
cat operantem ex illo : ubi tamen prudentia certificat
operantem de qualitate actus . Vide dicta de con-
scientia .

*Prudentia
in inter-
rogando.* 2. Sit prudens in interrogando : ne nautas interroget
v.g. de simonia ; Clericos de homicidio , sed cujusque
statum & conditionem considerans , conformiter in-
terroget . Caveat quoque ne ignorantes interrogatio-
ne suâ importuna doceat quæ ignorant , & ita viam
peccato fuggerat & pœnitentes scandaliset . Roget
confessionem concernentia , non illa quorum nec sua
interest , nec ad tribunale commercium ullatenus spe-
ctant , v. g. ubi habitet , cuius familiæ sit , &c.

*Interroga-
tio confes-
sionis.* Consuetudinem peccandi , si opus sit , audacter in-
teroget : aliter curandi sunt consuetudinarii , aliter
ex infirmitate semel atque iterum lapsi . Nota enim
est quorundam consuetudinorum praxis , quòd
singulis confessionibus novos confessarios accersant ,
ne relapsus ignominiam , aut absolutionis dilationem
aliquando sustineant . Vnde iniurum tam mordicus hic
usque pernegatum esse à viris alioquin doctis , confessio-
natio jus non esse , ut pœnitentem de consuetudine inter-
rogare possit . Rem decidit summus Pontifex Inno-
cent,

cent. XI. hanc proscribens ut scandalosam , &c. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

Dicendum 3. Prudens quoque sit in judicando , ^{Iudicium} ne indignum absolutione absolvat , aut dignum sine ^{confessariis} absolutione dimittrat. Prudenter quoque in injungen- ^{in absolu-}
^{vendo &}
^{satisfactio-}
dâ satisfactione procedat , considerâ quantitate & ^{ne impen-}
qualitate criminum Confessorum , de quo postea de ^{nenda,}
satisfactione. Primò tamen agendum est de particu-
laritate prudentiæ , ac primo sit

S E C T I O I I I .

De admonitione Confessarii quoad pœnitentes.

DICENDUM primò , pœnitentes ignorantia invin- ^{Obligatio}
cibili laborantes (quod ex circumstantiis pro- ^{Confessarii}
bè colligi poterit) tenetur Confessarius instruere , si ^{ris in in-}
sit spes fructus , nec adsit timor gravioris mali. Si ^{fruendo}
verò labore ignorantiâ vincibili , debet omnino pœ- ^{pœnitentia}
nitentem de eadem instruere , & quidem debet de ^{item.}
eadem pœnitens se accuseret , cum sit culpabilis :
Si verò pœnitens dubitet , aut de veritate confessari-
um interroget , omnino candidè veritas est aperien-
da ; cum tali dubio conscientia pœnitentis jam læsa ,
taciturnitatem confessarii interpretabitur merito ap-
probationem.

Ex dictis sequitur , quod si quis sciat matrimonium ^{Ignorantia}
aliquorum esse nullum , & ipsi conjuges id invincibili- ^{tia invinci-}
ter ignorent , si timor sit gravioris damni ex admonitio- ^{cibilitate}
ne secutra , eos in bona fide relinquat , nam ut quon- ^{liquando}
dam Innocent. III. consultus de simili casu , respondit : ^{disfimula-}
dissimulare poteris , ut remaneant in copula sic contracta , ^{landa.}
cum ex separatione videoas grave scandalum imminere.

Dicendum 2. Admonitio confessarii debet esse fortis ^{Admonitio}
& prudens. Fortis , ne ex timore mundano , favorem ^{tio Confes-}
pœnitentis amittere reformidet , & necessariam admo- ^{fariis sis}
nitatem prudenter

nitionem prætermittat : sciat pestem animarum , in hoc tribunali adspicere faciem potentis : sciat sæculares passim & hujus sæculi amatores , quibus odiosa est veritas , nihil ita exigere à confessariis , ac loqui illis placentia : sciat , quod si hic hominibus placerent , Christi servi nec dispensatores fideles esse possint.

Sit quoque prudens , ne corripiat pœnitentem innocentem , ne compunctum suâ morosâ correptione exasperet , ne perstrictæ frontis pœnitentem dulci admonitione aut tepidâ correptione dimittat , sed attentâ sedulò pœnitentis dispositione , criminum gravitate , &c. congruam cuilibet adhibeat admonitionem.

Admonitione restitutio restitu- Dicendum 3. Pœnitentes restitutioni obnoxios , ad eamdem compellat , ne in hac causa negligens obligationem pœnitentis in se contrahat : De quo vide dicta de jure & justitia. Confuetudinarius occasiones prohibeat : Ignorantes fidei necessaria rudimenta , confundat , si adulti satis sint ; negligentiae gravitatem illis proponat , & ad seriam eorumdem doctrinam eosdem adigar. Verum de his statim.

Porrò plenam confessarii conditionem tradit Melissius Doctor vel quisquis est auctor serm. 3. de S. And. ubi ita scribit : *Audite* , quem oportet ordinari ad dispensationem ministerii hujus : oportet eum esse non minus litteratum , quam Religiosum , & Zelum Dei habere & secundum scientiam , cum indiscreta religio magis obesse soleat , quam prodesse. Litteratum ideo , ut sciat quid injungat , cui parcat , quando parcere debeat , quam consolationem proferat de scripturis : Religiosum vero idcirco , ut puras manus levet ad Deum & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat ne umquam de his , quæ sub signaculo confessionis accepit , aliquam faciat mentionem , vel alicui loquenti consentiat. Caveat etiam , nè vilescat in conspectu ejus , qui ei suam vilitatem ostendit : nec sit suspicitus , nec de præteritâ futuram vitam estimet peccatoris habeat in voluntate compati & liberare eum , & nitatur aliquid derubere severitati , imitans dulcedinem Domini sui , de qua dicit

dicit *Sanctus*, quoniam fecisti judicium meum & intendisti causam meam. Et Petrus Blesensis l. de pœnitentia : *Sicut*, ait, *confitenti necessaria est humilis & sincera de-*
votio, sibi pœnitentiali, idest sacerdoti, necessaria est diligens & circumspetta devotio, discretio, ut discernat inter lepram & lepram : ut habeat in se tria, bonitatem, scientiam & disciplinam: bonitatem in sanctitate, scientiam in eruditione, disciplinam in correctione. Hac tria quidam postulabat dicens : bonitatem & disciplinam & scientiam doce me! Sit Samari-
zanus infundens oleum misericordiae, vinumque justitiae. Ha-
beat conscientia ejus, quasi arca fæderis, manna & Virgam,
ut sciat compati & ignoscere, arguere & monere medium
autem teneat, ne nimia remissio vel nimia austерitas sit in eo,
certumque pœnitentias modum, juxta SS. PP. instituta pre-
scribat. B. enim Gregorius falsas pœnitentias vocat, quæ non
secundum authoritatem Sanctorum & pro qualitate criminum
imponuntur. Ex quibus omnibus collige, quantâ scien-
tiâ, quantâ prudentiâ, quantâ fortitudine opus sit,
ad confessarii munus dignè obeundum : & quanto pe-
riculo se exponat, qui temerè se huic muneri ingerit,
aut intrudit, quibus ita S. Berni serm. 10. in Cant. Ad
regimem animarum fese ingerere, quanta impudentia est!
Hinc diligentior & severior in primitiva Ecclesia fuit
disciplina, quod neminem, nisi ætate & moribus gra-
vem admitterent ad audiendas confessiones, uti con-
stat ex Sosomeno l. 7. c. 16. describente, quos suo
tempore confessionibus præfigerent, dum ita ait: Se-
niorem quempiam vitæ integritate quam maxime spectabi-
lem, secretorum etiam tenacem ac sapientem huic officio
præfecerunt. Eum accedentes qui peccarant, alia vitæ sua
confitebantur.

SETI O IV.

Quid ager Confessarius cum rudiori pœnitente.

DICENDUM primò, Vix credi potest, quantum negotii confessario suppeditent pœnitentes radiores: Hinc fit, ut aliquando sexagenarii dēbitum confitendi modum ignorent, quod aliquando vel ipso-
Iustitia
pœnitenti-
tum in
confiden-
do.rum pœnitentium negligentiā, vel rectorum incuriā provenire constat. Aliqui ne quidem unum peccatum sponte sua proferent, nisi interrogati. Alii non ita confitentur, quam sese excusent, dicentes, *saltem hoc aut illud non admisi*, &c. Alii conditionata omnia adserunt, dicentes, *si hoc vel illud fecerim, me pœnitet*, &c. Quin imò, quod quandoque deprehendantur ejusmodi, qui necessaria fidei puncta penitus ignorant. Unde

An posit Dicendum 2. Qui nullum peccatum nisi rogatus absolvī il- confiteri vult, aut confitetur, absolutione prorsus est le qui ni- indignus. Ratio ejus est, quòd ille sit ita dispositus, hil vult ut velit reticere omnia illa, de quibus non interroga- confiteri tur: unde ad minimum aliqua sua sponte tenetur aperi- nūs. rire. Idem est de eo, qui nullum peccatum confitetur, sed omnia excusat, uti & de illo qui omnia conditio- nate profert. Tales enim non ita confitentur, quam peccata negent, aut sub conditione eadem aperiunt.

Pœnitens Dicendum 3. Pœnitens, qui necessaria fidei ignorans puncta ignorare vincibiliter deprehenditur, si com- modè possit, tenetur eumdem instruere confessarius. Si verò non commodè id possit, prout sàpè evenit, non poterit confessarijstalem absolvere, èo quod sit in statu peccati mortalis, nec sine fide possibile sit pla- cere Deo. Hinc jure merito condemnata est ab Ec- clesiâ hæc subsequens propositio: *Absolutionis capax est homo quantumvis laboreti ignorantiā mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem nesciat myste-*

rium Sanctissimae Trinitatis & incarnationis Domini nostri Iesu Christi. Neque ulla tenus hic juvat excusatio in peccatis, quam quidam adferunt dicentes, se eadem aliquando optimè novisse: Non enim novisse sat est nisi noscere præsto scit: Novisse sine notitia præsenti oblivio est & ignorantia. Unde & hæc subsequens condemnata itidem ab Ecclesia Sufficit illa mysteria semel credisse.

Dicendum 4. Pueri cùm ad annos discretionis ve- *Puer obli-*
nerint, tenentur quoque præcepto Confessionis. Va- *gatur*
rios tamen angit horum Confessio an absolutionis *confessio-*
sint capaces: In quo opus est confessarii prudentia pro- *nu præce-*
ut diligenter perpendat, an sint doli capaces, an sa-
tis sint instructi, ut sciant quid Confessio importet an
sciant motiva contritionis, & alia ad Confessionem
debitam requisita: plurimi enim, et si dudum discre-
tionis annos naucti, tamen defectu instructionis debitæ
ignorant antedicta, et si de cætero satis sciant, discer-
nere inter bonum & malum, turpe & honestum.
Hinc parentum, Pastorum & aliorum curam puer-
rum gerentium conscientia sit constricta, ut pueros
confidendi normam doceant, motiva veræ & super-
naturalis contritionis erudiant, ac denique omnia ad
debitam pœnitentiam spectantia proponant. Ad Con-
fessarios spectabit, eosdem plenius instruere & in scien-
tia confirmare. Si tamen omnibus diligenter perpen-
sis dubium perseveret, de puerorum capacitatem, si
sola venialia adferant, cum sola benedictione dimit-
tat: si & mortalia, eos sub conditione saltem mente
concepta absolvat. Hoc autem addo, à teneris esse
intimandum pueris, ne dolorem de peccatis conci- *Notabile,*
piant ex solo pœnarum metu, eos metu pœnarum
exterreant, sed vel potius amore summæ bonitatis ad
terram & supernaturalem pœnitentiam inducant.

SECTIO V.

Quid ager Confessarius cum scripulosis.

Motus ad scrupulosos. D ICENDUM primò. Quæ de scrupulosâ conscientia dicta sunt ante omnia hic revolvenda: maximum sanè fastidium & negotium Confessariis creat ejusmodi scrupulosa conscientia: doceat, respondeat, explicet Confessarius quantumvis exactus, semper habet quod reponat scrupulosus, nulli fudit, numquam acquiescit. Remedia aliqua ibidem præscripsum, modo agam de eo quod cum talibus in hoc tribunali sit facto opus.

Praxis ad gendi confessarii cum scrupulo. Ante omnia ergo talem conscientiam expertus confessarius, hoc unum ager, ut pœnitenti scrupulosam conscientiam proponat, ob oculos ponens inania fundamenta, vanum metum, &c. quæ scrupulos solent comitari. Habitâ confessione pœnitentis, quâ scrupulos recognoscat, petendum num sibi pœnitens conscientiæ negotium non velit demandare, ostendendo se non adeo suæ salutis prodigum, ut pro pœnitentis conscientia ejusque regimine, salutem suam velit discriminî objicere: unde admonenda, ut ipsi aliquid definiunt statim acquiescat, & de sua sinceritate plenè confidat. Quod si negligat, omnia quæ scrupulosus adfert, ut inania rejicienda sunt, & imponendum ne aliquid de cætero confiteatur, de quo sibi non certò & fundatè constat illud esse peccatum. Nec ulla tenus admittendæ repetitæ confessiones, innumeræ & inanes objectiones, sed progressus demandari debet, imo aliquando pro satisfactione injungendus.

Quidam scrupulosus. Dicendum 2. Sæpè advertet Confessarius, quos in una mādam in aliquâ materiâ scrupulosos, in aliâ maximè terâ, in resolutos, quos facilius emendabit, si ob oculos alia māta ponat & inquirat, quid magis in unâ materiâ anxiū illum

illum reddat, quam in alia: cur non eadem resolutione utatur in omni materiâ, ex quo facile infundatum timorem scrupulosus ille perspiciet, & ad scrupulum deponendum sese disponet.

SECTIO VI.

Quid ager Confessarius cum hæreticis conversis.

DICENDUM primò. Hæretici non temerè ad sacramenta sunt recipiendi, sed videndum an animo sincero fidem desiderent, & seriò suam hæresim abjurent. Certè experientiâ teste, aliquando ejusmodi fictè pœnitent, & spe alimentationis aut aliorum fidem aripiunt, & hæresim deserere videntur, in cuius testimonium sublatâ spe prædictâ ad vomitum redunt. Videndum hic ergo, an spiritus ex Deo sint, an ex mundo, aut Diabolo.

Hoc posito, suppositâ prius debitâ facultate ab hæresi absolvendi, qualis dari solet omnibus missionariis à S. Sede & aliis particulari indulto, primò errores hæresis ipsius Confessarius ostendat, fidei nostræ veritatem, credibilitatis motiva proponat, & ad se-riam pœnitentiam disponat.

Noscat quoque qua hæresi infectus fuerit, cum diversa peccata diversæ hæreses secum trahant. Si vero ad Confessionem jam admittatur, non requiritur ut illa enumeret, quæ tali hæresi solent ordinariè esse *Diversa hæreses habent diversos errores etates.* annexa: v. g. quod diebus festis non audierit sacrum, non jejunaverit diebus jejunii, &c. Talia enim satis intelliguntur, dum de hæresi se accusat. Aliud est de iis, qui specialia peccata in hæresi commisissent, v. g. singulares blasphemias, &c. Quæ hæresi tali non ita ordinariè annexuntur, quæ indubie debent in Confessione recenseri.

Denique puncta fidei tali hæresi contraria efficacius cæteris proponat, & firmis rationibus persuadat,

deat, uti & illa à quibus hæreticorum carnalium animus magis abhorret, ac tandem felicitatem & Dei beneficium proponat, dato fidei dono, & ad gratitudinem tanto beneficio debitam instiget. Denique hæreticorum consorcia penitus interdicat, quorum sermo ut cancer serpit, & incautos inficit, eò magis, quod pristina dispositio non est radicibus evulsa.

SECTIO VII.

Quid aget Confessarius cum Consuetudinariis?

*Non potest
Confessan-
tius absolv-
vere si-
lum, de
quo non
est mora-
titer cer-
sus eum
esse rite
dispositum*

*Excipe
casum ne-
cessitatis.*

*Ex quo
dispositio
ponitur.
en si po-
tissimum
desamen-
da.*

DICENDUM primò, numquam, nisi in casu necessitatis, poterit ejusmodi confessarius absolvere, nisi sibi moraliter certò constet, tales pœnitentes esse ritè dispositos. Ratio est, quod aliàs imprudenter procedet Confessarius, eos absolvendo, de quorum dispositione requisita non satis sibi constat, imo de qua fundatè refornidat. Moralis autem hæc certitudo, non solum ex Confessione, quod se dolere, proponere de cætero non peccare afferit pœnitens, est petenda, sed & ex præteri à quoque pœnitentis vitâ, & diligenti præparatione ad pœnitentiam, ex sedulâ adhibitione mediorum contra relapsum præscriptorum, &c. Aliud tamen est in casu necessitatis, quæ quod major est aut minor, eò major quoque aut minor est requisita moralis certitudo: adeo ut in extremâ necessitate sufficere possit, quod Confessario de indispositione non constet.

Dicendum 2. Dispositio pœnitentis, quam maximè desumenda est ex firme proposito non peccandi de cætero, quod ex seriâ & efficaci peccatorum detestatione poterit oriri: hanc non statim judicare debet Confessarius subesse, eo ipso quo pœnitens afferit se ex corde peccata detestari, de culpâ dolere, proponere non peccare de cætero, &c. Cum sèpè quod lingua profitentur, factis negent: sed alia hic concurrant;

currant est necesse, puta dicta signa, ex quibus moralis certitudo dispositionis pœnitentiis est desumenda. *Falsum est, pœnitentiis tam contra se, quam pro se esse credendum:* Prius enim, et si minimè dispositus facile dicet & asseret, se dolere, *pro se esse sibi esse credendum se velle à peccatis abstinere, &c.*

Imo nec lacrymæ sufficiens sunt veræ contritionis signum: nam ut ait Petrus Blesensis de Confessione. *Lacrymae sapè non sufficiunt signum lacrymarum, non tamen ideo te statim arbitreris domino sufficiens reconciliatum.* Nec opinetur servus se esse filium, licet quandoque pascatur pane filiorum. Et post pauca. *Vera pœnitentia, non in lacrymis momentaneis aut horariis compunctione consistit. Nulla etiam affectio pia meritoria ad salutem, nisi ex Christi dilectione procedat.* Denique addit quibus lacrymarum effusio prospicit, dum iterum subdit: *Vides projecto quam gratum Deo sit sacrificium lacrymarum, & pro omnibus delictis sufficiens holocaustum sed quibus consentientibus, pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum, sed in spiritu humilitatis & in animo contrito fugientibus ad pia viscera Jesu & continuantibus dignos pœnitentiae fructus.* Hæc doctor ille disertissimus.

Dicendum 3. Loquendo speculativè & metaphysicè, fieri potest, ut dicta dispositio simul stet cum saepius repetito relapsu. Poterit enim aliquis verè dolere, qui tamen pessimæ consuetudini non valedicit. Loquendo tamen moraliter & juxta communem hominum praxim repetitus relapsus est vehemens indicium animi non satis dispositi: qui enim serio & efficaciter proponit rem aliquam aut ejus omissionem, sedulò sibi cavebit ab eadem re iterato prosequendâ, quam si iteret, jure merito judicare poterit, propositum ejus fuisse inefficax, nec absolutè seruum. Hoc tamen addi potest, quod efficacia talis propositi firmari possit juxta morale judicium, ex eo quod media sibi præscripta diligenter adhibuerit, ut re illâ abstineret, et si forte non obstantibus us mediis adhibitis, ex fragilitate iteratò sit lapsus.

Dicen-

Dicendum 4. Etsi fieri possit, quod uti dictum est, frequens relapsus consistere possit cum vera dispositione, non tamen poterit consuetudinariū absolvere Confessarius, nisi prudenter judicare possit, hanc dispositionem subesse. Judicium de eo ex circumstantiis, non ex solā confessione ut dictum est, debet desumi. Non enim satis est subesse dispositionem, nisi de eadem confessario constet, præsertim ubi tot & tantæ rationes obstant in contrarium, quæ seruum propositum vehementer reddunt suspectum.

Confessa-
tius con-
suetudi-
nariis ab-
solvens,
debet illis
præscribę
re media
ad consue-
tudinem
superan-
dam.

Dicendum 5. Si Confessarius suppositā debitā dispositione ejusmodi absolvat, debet injungere præcisionem occasionis peccati proximæ, de quo statim: debet præscribere media ad consuetudinem superandam, probè sciens consuetudinem inveteratam esse instar naturæ tenacissimam. Si vero pœnitentem tales quem putat prudenter indispositum, velit dimittere, ostendat eidem periculum nullitatis Sacramentii tam ex parte Sacerdotis, quam pœnitentis impendens, ex defectu serii propositi, & media suggerat, quibus consuetudinem extirpet, & cum vero proposito demum confiteri possit. Quæ si habere pœnitentis renuat, nisi necessitas urgeat, ejus indispositio vehementius manifestabitur. Sciat enim Confessarius, Et diligenter tamquam prudens dispensator caveat, ne margaritam absolusionis in hoc casu projiciendo ante personas, sacrilegium committat, & peccatorum pœnitentis particeps fiat quia certe inter alias causas, quare mundus tot iniuriantibus repleatur, hæc non videtur minima, quod Confessarii tam facile absolvant, quos sua conscientia & Deus ligatos tenet, ait Tannerus tom. 4. disp. 6. 4. 9. num. 112.

Facilis
quorum
tam abso-
lutto est
cansa cur
mundus
terrisque
lascivis
repisatur.

Pulchrè dicta confirmat Thomas à Villa Nova serm: fer: 6. post 4. dom. quadragesima ubi de suscitatione Lazaridi est curatione peccatoris inveterati agens ita scribit, sed exi foras: non solum à delicto, sed etiam ab occasione & delinquendi proposito O Peccator, si vere ploras, veni foras: fuge concupiscentiam, dimitte lasti-

Lasciviam, expelle mulierculam, solve catenam, alias non credo verbis, non credo lachrymis... etiam si millies juraveris, etiam si obtestando promiseris, numquam tibi credam.

Et iterum: prius ergo vadat, & concubinam a doma pellat, pecuniam alienam restituat, contractus usurarios rampat, famam proximi laesam prout potest resarciat, mercenariorum labores & pauperum debita solvat, offensa fratri reconcilietur & veniam petat, & tunc ad Confessarium redeat & absolvatur. Hic rectus est ordo, hunc ordinem ne transgrediaris. O Medice cur facientem solvis, cur indigno veniam promittis? cur cui absolutionis beneficium exhibeas, non discernis? duas tibi claves Dominus dedit, unam discernendi, alteram judicandi, absolvendi scilicet & ligandi: & tu sine discretionis examine neminem ligas, omnes absolvis. & post pauca: O Misericordiarum non curatores, sed interfectores: non consultores, sed deceptores: quid respondebitis Domino pro grege, quem vestris blanditiis deceperitis, vestris consilii jugulastis?

Quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio, deliniens demulcentque adulatio? vae miseris non aegritudinem, sed contritionem ac confusionem peccatorum curant, quam augere debuissent, promittentes pacem, quibus non est pax, & veniam quibus eterna damnatio parata est. Parvum est (inquit) nimirum humanum est peccare: quis est homo, qui non peccat? facilis est venia, ne tristis, ne doleas, confessus es, absolutus es, sufficit tibi ad salutem: vive letum: Domini Sacra menta suscepisti, sine dubio salvaberis. Tandem concludit: haec contra quosdam Confessarios nostris temporis pli impios & impie pios dicta sint, qui ne conscientem aliquantisper contristent, illum in suu nequitia manere permitunt.

De similibus quoque ita scribit S. Bernardinus Senensis tom 3. serm 35. de amore conterente: occurrit in confessione: sicut in mercatoribus vendentibus pannos ejusdem bonitatis, conditionis & collationis, & unus vendit pannum suum pro minori pretio, quam alter: certe ille mercator habebit majorem concursum qui vendet minori pre-

zio quām qui vendet majori. Ita hodie accidit in confessione, quia Confessores, qui dant minores pænitentias, habent majo-rem concursum, quām dantes magnas, & sic fit mercatura de pænitentiis, & sic peccatores decipiuntur, & mittuntur ad inferos: isti, qui vadunt ad tales, qui dant minores pæni-tentias causā evitandi bonos confessores, causā non habendā congruas pænitentias & magnas non plus contritionis ha-vent, quām Diabolus.

SECTIO VIII.

*Quam occasionem peccati debeat pænitens relinquere
in Conscientia.*

DI CENDUM primò, prænotandæ sunt hæ se-quentes propositiones recenter ab Ecclesiâ con-demnatae: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit: Item: licitum est querere directè occasionem proximi peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* Ubi ante omnia

*Quid occa-
sio pec-
candi.
ut alium in peccatum pertrahit: alia est proxima,
alia remota, prout majus aut propinquius periculum
est attentis circumstantiis in peccata ex tali occasio-*

*Ex quo
dicitur
proxima
vel remo-
ta.
ne labendi. Non dicitur autem proxima vel remota ex raritate vel frequentia casūs, ut mox ostendam, sed ex majori vel minori verosimilitudine, quā quis in tali vel tali occasione est casurus. Porro quid sit occa-
sio proxima, in tantum authores variant, ut ea-*

*propter dicat in manuali Navarrus: malle se aliquem de hoc audire respondentem, quām respondere. Hoc tamen certum est, quod ad illam occasionem non sit necessarium, ut homo in ea existens, sæpius cadat, quam sine casu evadat: v.g. ex confortio Caiae, milles habitu Titius quinquagesies cecidit, nemo dicet ideo non esse hoc Consortium Caiae Titio occasionem proximam, Iterum, aliquis incedens certa viā mille
vici-*

vicibus, 400. vicibus spoliatus est, iter illud indubie viatori illi erit occasio proxima, et si pluries sine periculo evaserit, quam sit spoliatus. Ex quo patet non requiri ad occasionem proximam, *Quod semper aut fere semper in ea cadat: quod pluries in ea cadat: quam evadat; quod ordinariè in ea cadat*, &c. Ut alii qui volunt.

Dicendum ergo 2. ad occasionem peccati moralem sufficit quod sit morale periculum in ea cadendi: *Quid sufficiat ad occa-*
sive quod moraliter judicetur, talem in ea existentem ratione
attentis circumstantiis sine peccato non evasurum, et si moralem
aliquando aut saepius evadat. Ratio est, quod quan-
do adest tale periculum, prudenter timeri debeat,
alium esse casum: sic Sylvester V. Chorea: docet
Choreas peccatum mortale, eo quod prebeant probabile periculum animæ suæ vel alterius. Sufficit ergo probabile periculum ad occasionem moralem. Sic
etiam Gregorius IX. cap. ult de injuriis confirm. Nec
ignorantia, ait, te excusat, si scire debuisti ex facto tuo
injuriam, VEROSIMILITER posse contingere. Ubi vero si
militer idem est quod probabiliter. Sic quoque Stephanus V. cap. Consulisti 2. q. 4. homicidii reos asserit
parentes, qui puerum in eodem secum lecto collo-
cant, quod tamen periculum est solum probabile.

Colligitur ex dictis, quod ad occasionem moralem sufficiat probabile periculum casus, et si aliquando casus absit.

Dicendum 3. Occasio moralis est omnino vitanda. *Vitanda*
Qui enim amat periculum, peribit in illo Eccli. 3. Quo au-
tem occasio illa est propinquior, idest quo sit magis peccatis.
verisimile aut probabile, aliquem in ea existentem
peccaturum, eo major est obligatio illam deserendi.
Ex quo & illud infero: quod si qui occasionem peccandi
moralemente vitare recusat, absolvit non possit, nisi
certis casibus: ac primo si occasio illa non amplius
crevit probabile labendi periculum, adeoque si desinat
esse moralis. Ratio illius est, quod tota ratio & obli-
gatio vitandi talem occasionem, & culpæ quæ ex
non vitando contrahitur sit ob morale & probabile
peri-

periculum, cui quis se in tali occasione exponit: adeò que illo periculo sublato, aufertur culpa non vitandi, & vitandi obligatio cestlat.

2. Si obstet causa gravior, ob quam quis in tali occasione non censeatur moraliter velle peccare: ratio ejus est, quod hoc casu tale periculum non sit illi voluntarium moraliter loquendo, adeò ut hoc casu censeatur periculum illud magis invitus subire & permittere, quam illud amare. Sic capt. *consultationi* de frigidis, permittunt jura conjugatis, quorum conjugium est occultè nullum, habitare inter se ut frater & soror, etsi adsit periculum tactuum, oscularum &c. satis propinquum, idque ut vitari possit scandalum grave & gravis infamia.

3. Si existente tali causâ, sit de cætero spes satis probabilis, quod per adhibitionem mediorum congruentium ad periculum morale cadendi evadendum, occasio desinet esse moralis, quæ pœnitens paratus sit diligenter adhibere.

Si verò non adsit gravis causa, sed solum leve incommodum, locum habebit prima propositio hâc sectione in principio allata, & condemnata. Nec enim ob quodvis incommodum lenienda est severitas Evangelica in S. Eloquio expressa, ubi etiam propinquos abscondendos præcipit, si nobis præbeant occasionem ruinæ spiritualis, neque de cætero quidquam prosit homini, si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.

*Quando-
nam oca-
sio sit
pœnitus
amputan-
da.*

Si verò occasio peccati etiam adhibitis omnibus mediis permaneat moralis, & prævaleat præscriptio medici, omnino est amputanda, etsi sine gravissimo damno pœnitens non possit eam amputare: si enim umquam, saltem eo casu lex illa Evangelica locum habet, quo etiam cum maximo damno occasio ruinæ est præscindenda: quo casu etiam absolutio pœnitus erit deneganda, quamdiu durat ejusmodi occasio: nec enim hoc sit crudeliter, sed misericorditer, ne ob quodvis bonum temporale, perdat animam

mam in gehennam. *Huic resolutioni adjungi potest casus ille, quò quis ob gravem causam manet in occasione morali, & sit quidem spes, periculum causus superandi, sed vel poenitens media necessaria adhibere renuit, vel neglit.*

Porrò media illa cuique vitio, ad quod occasio ^{Media} inducit, congrua sint oportet, & occasioni contraria : v. g. si sit occasio libidinis, consulenda fuga, ^{sint peccata contra} ne fugiant lucem, ne solus cum solā agat, adjungendo illa, quæ fomitem libidinis extinguunt, puta abstinenciam à crapulâ & ebrietate, &c. idem pariformiter locum in aliis vitiis, & occasionibus evitandis, in quo prudentia Confessarii imprimis est necessaria.

Dicendum 4. Occasio remotior peccandi, non ^{Qua sit} est semper necessariò vitanda: remota autem occasio ^{occasio remota.} est, quæ quidem præbet ansam aliquam peccandi, sed satis remotè, adeò ut creët periculum peccati remotum: undè occasio illa & periculum illud dicitur remotum, eò quòd peccatum ab illâ occasione & periculo sit remotius, quatenus inter illam & peccatum intercedit major libertas hominis ad non peccandum. Sic omnis creatura potest dici occasio remota, cùm ut ait sapiens c. 14. *creature Dei in odium saltæ sunt, & in temptationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Quare si has occasiones deberet homo evitare, deberet egredi ex hoc mundo, ut concludit Apostolus 1. Cor. 5.

Dicendum 5. Negotia illa, quæ vix aut nullatenus sine peccato exerceri possunt, ut sunt exercere militiam, teloniarium, &c. Etsi præbeant occasiones proximas peccandi juxta principia antedicta: Tamen necessario non sunt deserenda: Partim quòd sàpè sit spes pericula evitandi, adhibendo remedia congrua, unde fit, ut aliquando milites & alii etiam Sanctissimi reperti sint, ut Martinus, &c. Etsi sit commune dictum: *Nulla salus pietasque viris qui causa sequuntur:* Partim quòd sit grauis causa ejusmodi

modi negotia pluriinis peragendi, quæ aliquando excusant juxta dicta ne occasio proxima debeat relinqui & amputari. Si tamen remedia illa adhibero tales negligant, aut nolint nec sit spes pericula evadendi etiam mediis adhibitis omnino ejusmodi negotia sunt deserenda, conformiter ad dicta principia.

Ex quibus omnibus clarè patet quo iure condemnatae sint pro suo merito hæ sequentes propositiones:

Propositiōnes con demnatae. Pœnitenti habenti Consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesie, et si emendationis spes demonstrata, nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio:

Dummodo ore proferat, se dolere & proponere emendationem. Item hæc: Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, quin in directè & ex proposito querit, aut ei se ingerit.

Absolutio aliquoties est differenda. Ex quo patet, quod cùm aliquando negatione absolutionis opus sit, majori jure aliquando opus sit dilatione absolutionis. Neque his quidquam obstat, timor periculi, quod forte sine absolutione morientur pœnitentes dimissi, &c. Cùm certè talo periculum sit remotissimum, neque moraliter loquendo, prudenter timeri possit: Aliud eslet, si necessitas infirmitatis v. g. aliud exigeret. Unde, quæ hucusque dicta sunt, prudentia & discretio Confessarii pro opportunitate vel necessitate facilè intelliget & observabit, hoc unum tamen in his & omnibus confessionibus proponens, quod ait S. Greg. I. 20. mor. c. 8. sit amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non plus, quam expediens, parcens. Certum est enim, quod in hoc negotio aliquandò rigor ab una parte, & Confessarii indulgentia, negligentia, timor ab aliâ parte exce-
dant, inter quæ turissimò procedit confessarii discre-
tio, sese occurrentibus circumstantiis attemperans.

Adde, quod si quis forte moriatur tempore, quo ad absolutionem disponitur, jure merito præsumi possit, hominem talem accepisse Sacramentum pœnitentia-

nitentiae in voto, ut fieret cum catechumeno ante susceptionem baptismi discedente ex hac vita. Idem in hoc casu fuit aliquando judicium Ecclesiæ. Concilium Carthag. 4. can. 72. ita scribit: *Pœnitentes qui attentè leges pœnitentiae exequuntur, si in casu, in iteru vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non potest, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Ex quo patet, quod merito presumi posset, tales pœnitentes discessisse in gratia, cum velit illorum haberi memoriam in oblationibus & orationibus.

Quæri hic posset, quid agendum cum eo, qui ultimis paschæ diebus venit ad Confessionem insufficienter dispositus, an tali possit differri absolutione: Ab unâ enim parte urget præceptum Ecclesiæ communicandi in paschate, ab aliâ parte obstat, quod talis forte cum infamia notabitur non communicasse. Resp. eo non obstante posse tali differri absolutionem. Nec enim obstat lex Ecclesiæ, quæ data non est ad destructionem, ut vel indisposito deberet dari absolutio, ut legi illi posset satisfieri: Sed ad ædificationem & salutem, ad quam procurandam juvat aut etiam necessaria est absolutionis dilatio. Neque obstat aliud, cum valde difficilè aliquando sit, observare an aliquis tempore 14. die rum non communicet: Tum etiam quod presumi posset, quod talis non communicet, non quod ob gravius peccatum sit indispositus, sed ut melius interea instruatur, ob indispositionem corporis v. g. morbum, &c. Denique præstaret in sui humiliationem sustinere aliqualem ignominiam, quam cum periculo sacrilegii ad Communionem accedere.

Neque hæc absolutionis dilatio recenter a divinita est, ut quidam occlamant, imò in antiquâ Ecclesiâ fuit usitata & communis, quod pœnitentes diuturno tempore ad absolutionem disponerentur, ut patet ex variis Conciliis & Ecclesiæ statutis.

Idem judicium est de indulgentiis, quod ratione illarum non debeat Confessarius dare vel non differre absolutionem judicio suo indispositis: Cum indulgentiae etiam datæ sint ad ædificationem, non ad destructionem,

SECTIO IX.

De aliis, quæ in Confessione observanda sunt Confessariis.

Quanam ab ignoto parente inquirere debeat confessarius. D ICENDUM primum, ex rituali Rom. sacerdos primò inquirere deberet de statu poenitentis, si sit ignotus: quam pridem sit confessus: an poenitentiam injunctam impleverit: an conscientiam diligenter examinaverit, quæ omnia inquirere, an prætermittere, prout expedit, prudentiæ confessarii relinquitur. In progressu vero confessionis, debet sedulè attendere ad ea, quæ dicit poenitens: adjuvante (ut ait rituale Rom.) quotiescumque opus fuerit Sacerdote: et si enim per se sit munus poenitentis sese integrè accusare, & judicis eum accusantem audire: Tamen sèpè expedit, aut etiam necesse est, eum interrogationibus, admonitionibus & calius adjuvare: De quibus antea actum est: Hoc tamen addo, attentionem sedulam hic esse adhibendam, cum unica circumstantia unico verbo confessa, totam casus malitiam sèpè invariaret, aut aliquando ad aliam speciem trahat. Caveat quoque, ne interrogationes adhibeat, nisi dum opus est; ne importunis interrogationibus poenitens turbetur & aliquorum obliviscatur. Unde præstaret post factam confessionem solum interrogare poenitentem, si confessio sit breuis, secus si sit longior.

Confessarius debet supplere examinationem suis confessariis. Dicendum 2. si advertat confessarius, non esse aliquando interrogationibus suis supplere; facile autem confessario erit idem supplementum, si noscat poeni-

pœnitentis statum , & peccata , quibus talis statu s homines solent esse obstricti : unde juvabit hic nosse mechanicarum artium fraudes , officiorum defectus & cujusque conditionis peccata magis obvia habere perspecta , quod Confessarii munus non modicum alleviat & exornat. Rogato verò pœnitente de iis , quæ magis communia sunt ejus statui & conditioni , poterit rogari per peccata contraria præceptis Decalogi , Ecclesiæ &c.

Dicendum 3. si Confessarius certò noverit peccatum à pœnitente esse commissum nec confessum , ^{Quid agit} ^{Confessarii} ^{ratio cum} ^{eo quem} ^{noverit peccasse.} quod neque rogatus , neque sponte suâ vult pœnitens confiteri : non poterit eumdem Confessarius absolvere , cum certò noscat eum esse ad absolutiō nem indispositum : aliud esset , si confessarius posset prudenter judicare , quod hic habeat causam legitimam peccatum illud reticendi , quo casu talem absolvere posset.

Scientia hæc sæpè oritur ex confessione ipsâ : v. g. sponsus matrimonium initurus confitetur se cognovisse suam sponsam : sponsa subsequens , non confitetur illam copulam , imò negat , ubi tamen ex confessione confessario contrarium constat : quæritur quid hic facto opus ? ad quod R. in hoc casu impri mis cautè esse procedendum , ne altera ex interrogatione suspicetur Confessarium rogare ex notitiâ habitâ ex confessione , & frangere sigillum. Unde suadent plurimi Paracho , aut alteri ad hoc vocato , ut priùs animo concipiatur absolute tales de copula interrogare , sive eam alter exponat sive non , uti & de aliis peccatis , quæ sponsos solent comitari. Si verò rogata neget copulam , videtur ea esse absolvenda : tum quod fieri possit , quod copulam alteri sit confessa : tum etiam quod confessarius notitiâ habitâ ex solâ confessione hic uti nequeat , sine iniuriâ Sacramenti pœnitentiæ. Sacrilegio verò , non ita cooperabitur confessarius , quâm bene illud permettit ex graui causâ.

*Quid a-
ger Confessarius
cum ma-
rito qui
non vult
reddere
debitum,
cujus Ma-
trimoniū
noscit C. n
fessarius
esse nul-
lum,*

Dicendum 4. Si confessarius sciat aliquorum matrimonium esse nullum, quod ipsi conjuges invincibiliter ignorant, & alter conjugum confiteatur se non reddidisse conjugi debitum: poterit confessarius ille absolvare mandare conjugi illi ut debitum de cætero reddat, imò ad illud omnino constringitur. Ratio est, quòd talis pœnitens negando debitum mortaliter peccaverit: ergò non potest eum confessarius absolvere, nisi proponat de cætero reddere: neque ideo mandat Confessarius fornicationem aut rem de se malam, cùm copula illa, quæ hic mandatur, ut in his circumstantiis sit, non sit illicita, cùm hic interveniat ignorantia facti: et si enim nullus invincibiliter ignorare possit, fornicationem esse malam: poterit tamen quis invincibiliter ignorare, hunc actum in his circumstantiis positum esse malum.

*Confessa-
rius debet
absolvere
pansten-
tium, non
vera pan-
sentia opis-
sonem,*

Dicendum 5. Si pœnitens se in aliquo actu conformet sententiæ probabili, quam confessarius judicat improbabilem, non tenetur tales absolvere confessarii: Ratio est, quòd confessarius sit judex, adeòque suam, non debet procedere juxta sententiam propriam, non auctem rei, cuius est sententiam non ferre, sed recipere. Deinde est medicus, ergo debet procedere juxta sententiam propriam, non verò ipsius ægroti. Et quamvis absolvare loquendo fieri possit, quòd sententia pœnitentis sit vera: hoc inquam nihil dictis obest, cùm hoc debeat confessario constare, ut aliquem ritè absolvat tamquam debitè dispositum, cuius contrarium casus supponit.

*Absolutio
complici.*

Dicendum 6. Si complex peccati confessario complice se sistat, videndum est, an ad eundem absolvendum, confessarii jurisdictio non sit restricta, quòd sæpè contingit, in diversis locis, uti in diœcesi nostrâ Antverpiensi, in casu complicis in peccato carnis: et si possit alias Sacerdos remotâ tali restrictione absolvare loquendo complicem audire & absolvere: tamen rectè de hoc casu ita differit Pontius l. 7. c. 38. de Matrim. *Res est periculi plena, & occasio committendi non pauca*

pauca sacrilegia: quem enim animum esse cogitas & confessio & pœnitenti, qui libidine in ardescunt, amicitia & familiaritate tenentur, cum & pœnitens animum suum illi aperit, quem tenerè diligit, & illa repetit in quibus pariter delectati fuerint, & confessarius in eo tribunali, in quo nullum mendacium dici potest, nudum videt amicæ pectus? itaque ratione periculi novi consensus, & committendi sacrilegii illud illicitum assevero. Quæ eo veriora sunt, quo verum est illud D. Hieronymi Epist. ad Amand.

Sola libido, etiam in ipso tempore pœnitendi præteritos stimulos patitur & titillationem carnis & incentiva peccati.

Dicendum 7. Si pœnitens sit variis, iisque dudum continuatis peccatis intricatus, adeo ut verosimilem illorum numerum exponere nequeat, dicendo toutes plus minusvè, uti sæpè fit in meritricibus, juvenibus dissolutis, &c. debet Confessarius rogare tempus ab ultimâ confessione elapsum, quoties quidem in Hebdomada, quoties de die, mense, &c. tale quid commiserint, ut modo aliquo possibili confessionis integratas hîc possit obtineri: et si aliqui consideratè addant, quod hîc præstet magis à confessario attendi ad debitum dolorem & propositum non peccandi de cætero, quâm benè ad procurandam Confessionis integratem materialem.

Dicendum ultimò: Si pœnitens instituat confessionem generalem, non debet necessariò exprimere omnia peccata aliàs rite confessa; neque aliqua reticendo decipit aut mentitur, quasi instituendo generali confessionem declarer se omnia omnino velle confiteri, cum solùm velit instituere confessionem generalem, quantum placuerit, aut quantum sibi reputat necessarium. Peccata tamen numquam ante confessa et si hîc adnecti possint, debent tamen ut nova Confessario exponi, cum ejusmodi peccata aliam mereantur sententiam, & judicium Confessarii non modicè invarient & immutent.

Numerus
peccatoris
incertus
quomodo
sit expos-
tendus,

SECTIO X.

De Probitate Confessarii hic requisita.

Confessa- **D**ICENDUM 1. Etsi Sacramentorum valor non
rius sit bo- pendeat à bonitate ministri, cùm causent suum
ta vita. effectum ex opere operato, ut ante probavimus: ut
tamen Confessorius debitè & licitè confessiones exci-
piat, requiritur in eo status gratiæ, & purior con-
scientiæ innocentia. Ratio est, quòd sancta sancte
tractanda sint, & qui alium corripit, à viüsimmu-
nem esse oporteat: hinc quia plurimi Confessarii sunt
quasi in continuo periculo, confessiones excipiendi,
requiritur ut illi, vitæ Sanctitati continuae singulari-
ter studeant & incumbant.

Ad hanc quòque bonitatem confessarii spectat, ut
ipse prius sit Deo reconciliatus, antequam alias
Deo reconciliare præsumat; alias ita stringit Doctor
Mellifluus de convers. ad clericos c. 19. *Væ ministris*
infidelibus, *qui necdum reconciliati reconciliationis alienæ*
negotia, *quasi homines*, *qui iustitiam fecerunt, appre-*
bendunt! *Væ filiis iræ*, *qui se ministros gratiæ profite-*
natur! *Væ filiis iræ*, *qui pacificorum sibi usurpare gradus*
& nomina non verentur! *Væ filiis iræ*, *qui fideles se se*
mediatores pacis, *ut peccata populi comedant mentiuntur.*

Ante Mi- **Dicendum 2.** Non tantuin ante ministerium hujus
nisterium Sacramenti debet Confessorius de peccatis dolere, sed
pænitentia debet etiam si copia adsit, eadem confiteri. Plurimi obligatio-
confiteri nem hanc non agnoscunt, eò quòd nullum de eo extet
Confessa- præceptum, nisi de Eucharistiâ, imò quòd præceptum
rius in pec- illud sit moraliter impossibilè ob varias difficultates
cato mor- zali exi- occurrentes, puta quod si duo Sacerdotes ambo pec-
flens, si ha- cato mortali obstricti mutuo vellent confiteri, nullus
beat copia primò vellet sedere, quam luctam aliis scandalum,
Confessa- aliis risum quandam excitasse quidam afferit. Ad quæ
m. resp. præceptum de eo non debet præcisè ex solo Tri-
dentino

dentino desumi, sed & ex aliis. Ratio ergo est, quod Confessarius, modo quo commode potest securissimo, ministerium illud beat exequi, quod hoc casu indubie fit per Confessionem. Cum enim contritione non nisi ardua & perfecta sine Sacramento peccata deleantur, talis attritus in peccato haeret, & in peccato Sacramentum administrat, quod illicitum esse, si alias commode fieri possit, nemo est, qui ignoret. Tales ergo Sacerdotes, de quibus in casu, deberent expectare, donec alter esset confessus, nisi alterius copia deesset.

Dicendum 3. Peccat ergo mortaliter, qui in statu mortali peccati hoc Sacramentum administrat indignè sancta tractando. Imo tot peccata mortalia cominitit, quot confessiones excipit, cum cuiusque confessio, sit actio diversa & completa, neque ullam inter se habent connexionem, et si successivè fiant, & constituunt judicia diversa. Utrum autem beat Sacerdos esse in statu gratiae solummodo cum absolvit, an vero etiam dum confessiones audit: variant Doctores: alii docent satis esse, quod sit in statu gratiae, dum absolvit, cum administratio hujus Sacramenti, propriè in absolutione consistat, & de cetero solum requiratur status gratiae: quando hoc Sacramentum administrat. Alii econtra docent, quod quoque hoc Sacramentum administretur dum confessio excipitur, cum auditio confessionis sit quoque actio Ministri æquè ac absolutio. Verum rectius docent Confessionem non pertinere ad Sacramentum ut partem illius, nisi dum Sacerdos absolvit, adeoque propriè per absolutionem fieri ministerium hujus Sacramenti.

SECTIO XI.

De Approbatione Confessarii.

Quid ap- probatio. **D**I CENDUM 1. *Approbatio* est authenticum testi-
monium de Doctrinâ & moribus requisitis ad
excipiendas fidelium confessiones. Et quamvis jure
antiquo potuerint Parochi committere munus con-
fessionis cuilibet Sacerdoti etiam non approbatō & jure
tamen Conc. Trid. ses. 23. c. 15. reformat, statuitur,
ut dicta approbatio habeatur ad excipiendas sacerdotalia
confessiones.

Dico *Sacerdotium*, quia talis approbatio respectu
regularium non est hīc requisita, de quo statim. Illi
tamen qui obtinent beneficium Parochiale seu cui an-
nexa est animarum cura, non indigent novā approba-
tionē, sed censentur esse approbati per collationem
talis beneficii, quamdiu tale obtinent. Sub hoc be-
neficio non comprehenditur prælatura, cūm non sit
illa beneficium Parochiale.

Dictum quoque est testimonium *De scientia & mo-
ribus, &c.* Undē, et si quis sit satis doctus, non ideā
est satis aptus ex parte morum ad audiendas Confes-
siones, quare etiam Licentiati, Lectores Theol. &
similes indigent approbationē.

*Approba-
tio fieri
debet ab
Episcopo
pœnitenti-
um.* Dicendum 2. *Approbatio* hēc debet fieri ab Epis-
copo pœnitentis, eo quod approbatio detur ad ex-
ercendam jurisdictionem in pœnitentem, quæ pro-
inde debet dari à superiori pœnitentis. Si verò Con-
fessarius, peregrinorum confessiones audiat, qui sub-
funt alteri Episcopo, nil dictis derogat, cūm pere-
grini fiant subditii illi loco, quo transeunt, ut alibi
est dictum.

*Confessa-
rins non
habens be-
neficium* Dicendum 3. *Confessarius* non habens beneficium
parochiale, non est approbatus pro omni diæcesi,
eo ipso quod est approbatus pro unâ. Contrarium,
et si

etsi dudum fuerit ventilatum & assertum , tamen ^{Parochia-}
 post constitutionem Urbani 8. datam 1628. & Inno-^{le non est}
 centii X. Qui ait : *regulares etiam Societatis IESU in* ^{approba-}
vnâ diœcesi approbatos ab Episcopo , nequaquam posse in ^{tus pro em}
aliâ diœcesi confessiones audire , sine approbatione Episcopi si , eo ipso ^{disce-}
diœcesani . Quibus accessit breve Alexandri VII. da- ^{quo est ap-}
tum ad Episc . Andegav . ubi damnat tamquam fal- ^{proba: us}
sam & saluti animarum perniciosam , hanc sequen-
tem : regulares ordinum mendicantium semel approbati ab
uno Episcopo ad confessiones audiendas in suâ diœcesi , ha-
bentur pro approbatis in aliis diœcesibus , nec novâ Epis-
coporum indigent approbatione . Illi tamen qui ex parte
beneficii parochialis censentur approbati pro unâ diœ-
cesi , censentur quoque approbati pro aliâ , si acce-
dat jurisdictio .

Dicendum 3. Regulares possunt aliorum sui ordi- ^{Non re-}
 nis Religiosorum & Religiosarum confessiones exci- ^{quiritur}
 pere , sine tali approbatione . Sub Religiosis in favo- ^{approbatia}
 rabilibus comprehenduntur quoque Novitii . Non ta- ^{regularium,}
 men famuli & famulæ in Monasteriis habitantes , quo- ^{respectu a-}
 rum confessiones non nisi approbatus excipere potest , ^{litorum re-}
 uti aliorum sacerularium , uti ex Trid. ses. 23. c. 15. & ^{gularium}
 Bulla Urbani VIII. citatâ satis constat . Restringitur ^{sui Ordin-}
 tamen eorum jurisdictio aliquandò ex parte pœnitent- ^{men re-}
 tiuum , adeò ut aliquando de superiorum licentiâ pos- ^{spicu fa-}
 sint tantum confiteri alteri Sacerdoti ejusdem ordinis , ^{molorum,}
 aliquandò autem iter agentes possint & alteri cuivis
 etiam non approbato , de quo cujusque Ordinis sta-
 tuta sunt consilenda.

Dicendum 4. Regulares approbati pro sacerulari- ^{Regulares}
 bus , non possunt sine consensu suorum superiorum ^{apprebati}
 audire confessiones eorumdem . Ratio est , quod ap- ^{pro faciu'a}
 probatio Episcopi sit illis data dependenter à volunta- ^{ribus non}
 te superiorum , qui approbationem illam possunt im- ^{possunt au-}
 pedire , restringere aut aliâs immutare , ne exeat in ^{dire Con-}
 actum . Unde graviter peccant regulares approbati , ^{fessiones}
 quibus confessiones sacerularum à superiore interdi- ^{sacerulariâ}
 cuntur , tamen easdem excipere non desistunt , ^{sine licen-}
 tia super- ^{tia ritu'na,}
 quod

quòd peccent contra obedientiam , an autem invalidè eo casu Sacramentum ministrent non ausim condemnare : sed requiri judico Episcopi approbantis intentionem , qui an ita approbationem dederit , ut si cā subditus utatur contra voluntatem Prælati , non teneat , meritò dubitayerim .

Revocari potest approbatio, item restringi. Dicendum 5. Approbatio data revocari potest , ut & restringi , ut patet ex praxi Ecclesiæ : cùm enim approbatio sit testimonium de idoneitate alicujus ad audiendas confessiones , sequitur quòd quisplān pos- sit inveniri aptus pro hoc statu hominum & non pro alio . Deinde potest quis inveniri aptus , sed non tan- tūm , ut pro semper judicetur talis : unde potest ap- probatio dari ad unum , duos aut 3. annos , ut interea approbatus studeat , & fese aptiorem reddat . Sic uī autem superioris concessionē nascitur approbatio , ita & per ejus revocationem poterit extingui . Fieri nam- que potest , quòd ille , qui modo judicatur aptus , po- stea defectu studii fiat ineptus , ut sàpè fit , in iis , qui approbati omne studium abdicant , & illi valedicunt . quò fit , ut qui ante satis instruisti fuerant , postea illit- terati reperiantur . Unde attendendum est , illud quod ait D. Amb. super Lucam in explan. procēmii : *legimus aliqua ne negligantur : legimus ne ignoremus : legimus non ut teneamus , sed ut repudiemus.* Poterit ergo Episcopus , stante fundamento de tali casu , revocare approbatos ad examen , ut sibi de sufficienti idoneitate constet , ad quod indagandum jus habet , imò de quo in consciē- tia constringitur .

Non sufficiens approbatio per se sed negata. Dicendum 6. Non sufficit hīc approbatio petita sed negata , neque pro sacerdotibus , neque pro regularibus . Contrarium pro regularibus susti- nuerunt plurimi , quod probant ex Clementinā *dudum de sepult :* ubi Prædicatoribus & Franciscanis datur illa facultas , ut si repræsentati Episcopis ab iis repellantur , à S. Sede sint approbati : quæ Clementina , cum in Conc. generali sit facta & corpori juris sit inserta , non videtur per generalem revocationem illi posse deroga- ri:

ri : quidquid tamen de eo sit , certum est ipsorum mendicantium judicio' , hoc non facilè esse practicandum , tum ut ajunt , quia Episcopis est odiosum , oppositum sit praxi conformius , nec facilè de injustitiâ negatæ approbationis sit præsumendum ; cui & illud addo , prædicta omnia falsa esse & improbabilia , eò quod anno 1666. 24. Sept. ab Alexandro VII. hæc est condeinata : *Satisfacit annua Confessionis precepto , qui confitetur regulari Episcopo præsentato , sed ab eo in justè reprobato.* Quare autem non satisfacit , nisi quia confitetur Sacerdoti non approbato ?

SECTIO XII.

De Reservatione Casuum.

DIENDUM primò , Reservatio Casuum est substractio potestatis absolvendi à quibusdam casibus gravioribus. Magnopere verò ad Christiani Populi disciplinam pertinere , sanctissimis Patribus nostris visum est , ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibusvis , sed à summis dumtaxat Sacerdotibus , absolverentur , ait Conc. Trid. ses. 14. c. 7. sicut enim Judices superiores aliquarum causarum judicium , præsertim graviorum sibi reservant , & morbi majores medicis magis expertis solent reservari : ita & in hoc tribunali , ubi animæ morbi judici & medico aperiuntur , fieri convenit.

Dicendum 2. Reservari possunt peccata mortalia tam interna quām externa , etsi sola externa reservari soleant , eaque graviora : neque reservantur peccata soleant , eaque graviora : neque reservantur peccata dubia , neque censetur superiora velle reservare , cùm reservatio sit odiosa. Reservatio quoque solùm concernit peccata perfecta & consummata , undè quandò peccatum carnis v. g. reservatur , intelligitur de peccato consummato luxuriæ.

Dicendum 3. Reservare possunt ii , qui hic habent suis respectu ordinis.

ordinariam jurisdictionem, ut est Papa respectu omnium subditorum: Episcopus respectu suorum, &c. Generales & Provinciales, Abbates, Priors, &c.

Regula-
vium po-
testis. hic
restricta. Etsi quoque respectu suorum subditorum possint quædam reservare: tamen Clemens VIII. eorum potestatem hic restrinxit ad i. casus, de quibus postea. Si verò Generales aut Capitulum aliqua Religiosorum peccata reservet, non comprehenduntur eo statuto Novitii, cum Novitii quoad odiosa, prout est reservatio, non sint stricte dicti Religiosi.

Casus Pon-
tifici reser-
vatis. Dicendum 4. Casus Pontifici reservati sunt omnes contenti in bulla Cœnæ: v. g. Hæresis & lectio librorum hæreticorum sine licentia Pontificis: appellantes à Papa ad futurum generale Concilium: in piratas, & bona naufragorum Christianorum ad littus appellentium diripientes, in eos qui sine debita potestate gabellas imponunt: in falsificantes litteras Apostolicas: in deferentes arma ad hostes christiani nominis: &c. Casus vero Episcopo reservati, pro diversitate locorum sunt varii: casus quos Episcopus noster Antverpiensis reservare solet, sunt hi sequentes: *Hæresis, Apostasia, simonia, sodomitria, homicidium voluntarium, incendium cum delibera- ta voluntate procuratum, raptus virginis, incestus cuns consanguineis aut sanctimoniis, injectio violentia ma-*nuum cum læsione in parentes facta, fornicatum, adulterium notorium, & omnia delicta his graviora, que annexam habent excommunicationem majorem. Aliquando additur, Peccatum complicis in peccato carnali, quod non est propriè reservatum, cum quis Confessarius à complice distinctus, possit ab illo absolvire.

Casus re-
servati
pro Reli-
giosis. Casus vero religiosorum reservati sunt varii pro diversis: hoc tamen notandum est, quod Clemens VIII. 1593. 26. Maii statuerit i. casus, quos vel omnes, vel aliquos eorum, possent religiosorum Prælati sibi reservare: si verò alia graviora peccata reservare vellent, id non possent sine consensu capituli generalis

ralis pro toto ordine , vel capituli Provincialis pro tota Provincia : non autem soli pro suo arbitrio talia possent reservare. Casus autem illi 11. sunt hi : beneficia , incantationes , sortilegia : Apostasia à religione sive retento habitu , sive remissio. Nocturna & furtiva egressio monasterii , et si facta animo non apostatandi. Proprietas , quæ sit peccatum mortale. Juramentum falsum in judicio legitimo. Procuratio , auxilium , consilium ad abortum post animationem foetus , etiam effectu non seculo. Falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii : furtum de rebus monasterii in re mortali. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. Occidio : vulneratio , gravis percussio cuiuscumque personæ. Malitiosum impedimentum aut retardatio aut apertio litterarum à superioribus ad inferiores aut è contra.

Dicendum 5. à reservatis absolvere possunt ii , ^{Quinam}
qui ea reservarunt , illisque superior , vel qui ad hoc tis posse delegatam habent potestatem. Hoctamen discrimi- absolvere,
 ne , quod ordinarius possit tollere reservationem si-
 ne absolutione Sacramentali : non itidem delegatus. Episcopis à Conc. Trid. ses. 24. c. 6. reform. con-
 ceditur facultas absolvendi suos subditos ab omnibus
 peccatis occulis , etiam aliâs Papæ reservatis , ex-
 ceptâ hæresi , quam sibi soli papa reservat : quam
 potestatem alii annuè per bullam Cœnæ revocari
 volunt , in qua ita habetur à tempore Pii V. quod à
 casibus ejusdem bullæ non possit aliqua persona etiam
 Episcopali dignitate fulgens absolvere , prætextu cu-
 juscumque facultatis , etiam per cuiuscumque Concilii
 decreta in genere vel in specie concessa : alii negant
 hic aliquid derogari indulto particulari Tridentini
 ante allato , quod in Belgio satis usurpatur , ubi
 Episcopi sunt loco inquisitorum.

Dicendum 6. Non possunt Confessarii in vim pri- *Quid lic*
 vilegiorum confraternitatum Rosarii v. g. SS. Trini- *Posint*
 tatis , Scapularis , &c. absolvere a reservatis poen- *privilegia*
Confrater-
tentes nitarum.

tentes illi confraternitati inscriptos, eo quod Cle-
mens 8. Bulla *Quicumque à Sede, &c.* exprefle dicat,
quod in vim dictarum confraternitatum privilegio-
rum, non possint Confessarii absolvere à casibus
Pontifici vel ordinario reservatis. Unde mirum, ali-
quos illud audacter praticasse.

Si verò Papa det potestatem absolvendi à reserva-
tis generalem, non censetur eo ipso dare eamdem
quoad casus Episcopo reservatos, nisi idem expri-
mat.

**Quid pri-
vilegia re-
gularium.** Dicendum 7. Non potest Confessarius regularis
in vim sui privilegii absolvere à casibus ordinario re-
servatis: constat hoc ex variis Pontificum decretis,
& novissime Alexandri 7. 1659. Qui hanc ut falsam
& authoritati Episcoporum, & Sedi Apostolicæ in-
juriosam proscriptis: Regulares habent potestatem ab-
solvendi à casibus Episcopo reservatis, etiam si ab Episco-
po autoritas ipsa, ipsis indulcia non fuerit. Et anno
1666. hanc sequentem: Prælati regulares possunt in fo-
ro conscientiae absolvere quoscumque regulares ab heresi
occulta, & excommunicatione propter eam incursa. Item
hanc: Regulares possunt in foro conscientiae uti privile-
giis suis, quæ sunt expressè revocata, per Concilium Trid.
Qua prohibitione variis offendiculorum occasioni-
bus obviavit Ecclesia.

S E C T I O XIII.

*Quid aget Confessarius cum pœnitentibus habentibus
peccata reservata.*

Non potest **D**ICENDUM primò, Non poterit superior Con-
fessarius audire sola reservata, & ab illis absol-
vere, & de cætero mittere pœnitentem ad inferio-
rem, ut confiteatur reliqua. Ratio hujus est, quod
hoc expreßè repugnet præceptio de integritate confes-
sionis: neque superior posset audire ea sola, si non
essent

essent reservata, neque reservatio tribuit hic novum jus indebet & non integrè confitendi. Neque hic opponi potest usus contrarius curiæ Romanae, quem Sylvester Magister S. Palatii expresse negat, vel fuit usus ille absolutio à censuris, non item Sacramentalis.

Dicendum 2. Qui sub periculo scandali tenetur *Quando-*
celebrare, nec potest adire superiorum, putant ali- *nam cen-*
qui quod tali absolutè censeatur deesse copia Confes- *seatur de-*
farii adeoque quod præviâ contritione posset sine *esse copia*
superiorum. confessione celebrari: alii melius docent, quod si
ad sit copia Confessarii inferioris, possit hoc casu so-
la non reservata confiteri, & postea se superiori si-
stere: ita tamen ut ad majorem securitatem Confes-
sarius absolveret eum sub conditione, quod certè tu-
tius est & conscientiae magis securum. Non tamen hic
dici potest, quod directè eo casu absolvatur à non
reservatis, & indirectè à reservatis, cum unum
mortale sine altero remitti nequeat: & inferior ex-
tra mortis articulum hic nihil possit, neque aliás te-
neretur pœnitentem de cætero mittere ad superio-
rem.

Dicendum 3. non potest superior dare facultatem *An posse*
absolvendi à reservatis cum onere ut pœnitens se su- *superior*
periori sistat: cuius contrarium, et si aliqui sustineant, *obligare*
ob praxim aliquarum religionum: tamen quod di- *se sive fi-*
ctum est, verius censeo, præsertim dum peccata *stendit, qui*
sunt occulta, neque se posset pœnitens superiori sis- *alters con-*
tere, nisi peccatum illud manifestet: neque enim *ficiunt re-*
superior potest inferiori injungere, ut manifestet pec- *servata.*
catum occultum. Aliud esset, si peccatum illud esset
manifestum.

Dicendum 4. peccatum reservatum oblitum in con- *An obli-*
fessione facta superiori, manet reservatum, si con- *tum refer-*
fessio illa fiat, nude ad absolutionem, non in ordi- *natum in*
ne ad obtinendum absolutionem à reservatis. Si vero *Confessio:* *ne manus ic*
in ordine ad talem absolutionem obtinendum supe- *referuntur,*
riori pœnitens confiteatur, & peccati reseryati obli- *yiscatur*

viscatur invincibiliter, erit ab eo absolutus, cum pœnitens quantum in se fuit, satisfecit suæ obligationi se sistendi superiori.

SECTIO XIV.

Quomodo defectus confessionis sint supplendi.

*Ex quo
defectus
Sacramon
ti erit
p. sint.*

DIENDUM primò, cùm defectus hujus Sacra-
menti oriri possit, vel ex parte absolutionis, vel
confessionis, vel contritionis: varie quoque defectus
committi in administratione hujus Sacramenti po-
terunt suppleri, vel etiam aliquando Sacramentum
iterari. Confessarius ex parte absolutionis deficit, si
non habeat debitam intentionem, jurisdictionem, non
adhibeat debitam formam, &c. Quo casu non solum
defectus supplendus, sed Sacramentum est iterandum,
cum à principio fuerit absolutè nullum.

*Defectus
absolu-
tus.*

Dicendum 2. Si Sacerdos oblitus sit pœnitentem
absolvere vel invalidè absolverit, tenetur modo me-
liori quo potest pœnitentem inducere ad Confessio-
nem iterandam, cum peccata illa absolutè confes-
sa non sint. Fieri id posset, conferendo de licentiâ
pœnitentis de confessione præteritâ: Vel in ultimâ
confessione quaerendo, an doleat de aliis aliâs quo-
que confessis, quæ confessarius etiamnum noscit,
quo casu habebitur iterata eorumdem confessio. Si
verò omiserit aliquem absolvere à censuris, poterit
& absolutionem impendere absenti.

*Omissio
restitutionis*

Dicendum 3. Si Confessarius omiserit aliquem ad-
monere restitutionis debitæ, dicendo v. g. positivè
pœnitentem non esse ad illam obligatum, ubi obli-
gatur: tenetur postea errore suo cognito pœnitentem
restitutionis admonere; quod si jam pœnitens non
posset restituere, ubi antea potuisset, tenetur Con-
fessarius restituere, juxta alibi dicta de restitutione.
Si verò pœnitens nolit restituere admonitus, ubi re-
stituere

fituere posset, excusatur omnino Confessarius, eo quod causa damni iam per revocationem sui consilii sit ablata. Si vero negativè non admonuerit, omittendo admonere, dum admonere debuit, debet in alia confessione admonere pœnitentem, aut aliâ quamquæ occasione, cum quisque teneatur procurare, ne ex sua actione vel omissione alter scandalum accipiat: imò etiam, ne materialiter quidem ex actione vel omissione nostra moveatur quis ad peccandum. Quo casu tamen non tenetur in defectu pœnitentis confessarius ad restitutionem: De quo vide dicta de restitutione.

Dicendum 4. Si proveniat ex culpa confessarii, *Confessio non integræ ex parte Confessarii* quod pœnitens integrè non confiteatur, v. g. si confessarius dicat pœnitentem non debere aliqua confiteri, quæ tamen confiteri debet, vel alio quovis modo pœnitentem iudicat ad aliqua necessaria subticenda: Tenetur confessarius de errore ex sua culpa commissio admonere pœnitentem, ut fiat Confessio omnino integra. Aliud esset, si merè negativè id omisisset, quo casu tota culpa ex parte pœnitentis posita est, ex parte autem judicis solum culpa contrahitur ex parte negligentiae, nullo modo pœnitentem movendo ad non integrè confitendum.

SECTIO XV.

De Sigillo Confessionis.

DICENDUM primò, *Sigillum Confessionis* est obli- *Quid sit*
gatio servandi secreta peccata in Confessione *Sigillum*
audita. Oritur autem hæc obligatio ex jure naturæ: *Confessio-*
ex jure religionis: Et ex jure positivo: ex jure naturæ *nis.*
quatenus quilibet ex eo jure tenetur servare secretum *Oritur ex*
sibi commissum. Ex jure religionis, quæ obligat, ne- *vario juri.*
quid agamus contra reverentiam rebus sacris debitam:
revelare vero peccata in confessione percepta

Tom. III.

Aa

cederet

cederet in magnam Sacramenti illius ruinam ; reddendo illud exosum & omnino impracticabile. Ex jure positivo humano , prout constat ex variis capitulis & Ecclesiæ constitutionibus. Cum autem Sigilli obligatio tanta sit , ut nequidem illud violari fas sit , ad evitandam reipublicæ perniciem , ob quod tamen licet quandoque violare secretum naturale , neque tanta hæc obligatio oritur ex jure naturæ dicto , nec ex jure religionis , si esset tale periculum : Vero simile appetit tantam obligationem oriri ex præcepto Christi speciali.

*Oritur
sigillum
ex Con-
fessione
Saltem in-
choata.*

Dicendum 2. Oritur hæc dicta sigilli obligatio ex confessione Sacramentali saltem inchoatâ : unde & obligat , si poenitens confiteatur , & propter impedimentum aliquod non potest absolvvi. Secus ex confessione facta animo illudendi , vel alium ad peccatum inducendi , &c. Si verò quis alteri laico aliquod secretum committat , addendo se illud illi committere sub sigillo Confessionis , uti sàpè fit : non orieretur ex eo obligatio sigilli , cum per ejusmodi protestationem non fiat illa manifestatio , confessio Sacramentalis , ex qua tamen solâ oritur sigilli obligatio , unde solùm obligabitur ex secreto naturali. Hoc tamen addo' , quod qui aliquod secretum sub tali obligatione in se suscepit , teneatur secretum illud arctius custodire , quam mere ex secreto naturali teneatur : cum promiserit se illud tam secretò custodire , quam tenetur confessarius ex parte sigilli. Dixi confessione *Saltem inchoatâ* : quia si superior v. g. audiat sola reservata , & det protestatem ab illis absolvendi inferiori , obligabitur superior sigillo , cum manifestatio reservati sit inchoata confessio.

*Materia
sigilli.*

Dicendum 3. Cadit directè sub sigillum quidquid est materia Confessionis : v. g. mortalia omnia in genere & specie : item omnia venialia in specie. Indirectè autem omnes eorumdem circumstantiae , & omnia illa ex quibus audiens cognoscit , quod poenitens aliquod determinatum peccatum , vel mortale in genere sit

fit Confessus : omnia enim illa pandere , foret Sacra-
mento odiosum. Hinc frangit sigillum , qui dicit , hic
mihi multa & gravia Confessus est , etsi nihil in specie
exprimat : qui 2. aut 3. auditis dicit , talis est virgo
v. g. hic nullum peccatum mortale Confessus est , eo
quod hic indirecte dicat , aliae non sunt Virgines , alii
sunt confessi mortalia. Item dicendo in tali Monaste-
rio , ubi excipio confessiones , fiunt gravia peccata.
Imo dicere de publicâ meretrice , *talis mihi Confessa est adulterium* , est violare sigillum : etsi enim peccata il-
lius sint publica : tamen revelatur peccatum illud tam-
quam ex confessione cognitum. Itidem violent sigil-
lum , qui joci causa sibi mutuo referunt audita in con-
fessione : qui tales pœnitentias injungunt , quæ adim-
pleri nequeunt , absque eo , quod peccatum alicujus
innotescat : qui audito peccato graviori , ingemiscunt ,
aut alia admirationis signa edunt , ex quibus alii cir-
cumstantes facile colligant , pœnitentem gravia con-
fiteri , uti & omnia illa dicere , facere , &c. Ex quibus
audientes vel videntes facile colligent , aliquod pecca-
tum in confessione esse manifestatum.

Hinc Confessarii summâ cautelâ abstinere debent , *Confessarii*
à narratione auditorum in Confessione , sive in sugge-
stu , sive in colloquiis , sive quavis alia occasione: cum
sæpè hic adsit periculum violandi sigillum , tum etiam
quòd audientes facile suspicentur , Confessarios solere
memoria retinere peccata , & alii aliquando soleant
rubore suffundi , si adsint , qui similia sunt Confessi :
quo sit , ut confessio reddatur hominibus odiosa.

Si verò Confessarius rogetur de iis , quæ in confes-
sione audivit , debet rogantem de impertinentia ro-
gationis dure increpare : si vero sit rogaio legitima ,
idest à legitimo superiore , poterit audita in confes-
sione , etiam adhibito juramento negare , idque sine
restrictione mentali , de quo vide dicta z. z. de men-
dacio. Si verò rogans addat , ut dicat Confessarius ca-
thégoricè , an non sciat de hoc aut illo crimine , etiam
ut Confessarius non poterit Confessarius ; respondere

se ea nescire , cum hoc dicendo jam mentiretur , ne-gando se nescire aliqua ut Confessarium , quæ tamen ut talis probè novit : unde talis debet eludere interro-gationem potentis , dicendo *Feci meum officium* , vel , *tua non interest me de hoc rogare* , nec *mea tibi respondere* , &c. Idque etsi obstaret periculum gravioris damni , cum nec inentiri , nec violare sigillum ullo umquam casu sit licitum .

Potest de licentia Potest tamen Confessarius de licentiâ pœnitentis loqui de iis , quæ ex confessione novit , sine viola-tione sigilli ; tunc enim idem esset , ac si ageret Con-fessarius loqui de iis , quæ novit extra confessionem , & de audiâ de cætero pœnitenti semper sit integrum renuntiare in Confessiōne juri suo in favorem ejus introducto , dum non cedit sions . in detrimentum boni communis .

Quinam. Dicendum 4. Obligantur sigillo omnes illi , qui obligentur noscunt peccatâ viâ confessionis , sive Laïci sint , sigillo . sive Clerici , sive casu , sive malitiâ ea noscant . Un-de obligatur interpres , audientes ex voce altiori pec-cata confessâ , describentes peccata pœnitentis , qui scripturam vel scedulam in qua peccata sunt scripta , inveniunt & legunt , cum illa scriptio moraliter lo-quendo sit ipsa confessio .

Non licet uti notitiam habitâ ex Confessione Dicendum 5. Ominus illicitum est , uti notitiâ habitâ ex Confessione , ad externam gubernationem : et si enim multi doceant , quod si in externo regimine torum ita quis se gerat , ut nec directe , nec indirecte alicujus Confessio ne ad ext. peccatum aperiatur , id esse licitum cum tali circum-spectione : tamen , quia res est periculi plena , contra-rium omnino est tutius & in praxi observandum , ne confessio reddatur odiosa : unde Clemens VIII. hoc inhibuit strictissimè superioribus , his verbis : *Tam superiores pro tempore existentes , quam Confessarii , qui posse ad superiorum gradum fuerint promoti , caveant diligenter , ne eâ notitiâ , quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt , ad exteriorem gubernationem utantur* . Aliud enim maximè opportunum foret , ut at-tentâ fragilitate humana , aliquos ad peccata subti-cenda

ēenda in confessione induceret, dum ex confessione sibi damnum metuunt, v. g. quod officiis privabuntur, à superiore rejicientur & male tractabuntur.

Dicendum 6. Licitum tamen quandoque est uti ^{Bene taliter} scientiā ex confessione habitā, ad internam tam sui, ^{min ad} quam pœnitentis directionem: v. g. poterit Confessarius ex tali notitia, Deum pro pœnitente rogare, ^{gubernatorem} consulere libros, ut ejus conscientia melius prospiciat, & suæ dirigendi obligationi satisfaciat; poterit itidem cum pœnitente consuetudinario aliter in sequenti confessione ex tali notitia procedere, quam in prioribus Confessionibus, &c.

Dicendum 7. Confessarius sciens certò ex confessione à suo servo v. g. parari mortis insidias, tenetur primò à pœnitente petere facultatem ea notitia utendi extra Confessionem, ut posset sibi fuga vel alio medio cavere Confessarius: si hanc neget pœnitens, ^{no fest &} poterit prudenter judicare confessarius quod talis non tam confiteatur animo confitendi Sacramentaliter, ^{suo patiente fuga} quam bene animo illudendi aut irritandi, neque confe-^{parari insufficiat.} quenter obligetur sigillo. Aliud esset, si pœnitens ex tali notitiis usu aut ex concessione facultatis intendi, time-ret sibi grave aliquod damnum, quo casu Confessarius ea notitia uti non posset, neque ex negatione facultatis dictæ, posset prudenter judicare, pœnitentem non Sacramentaliter confiteri.

SECTIO XVI.

De satisfactione.

DICENDUM primò. *Satisfactione est debiti solutio:* Quid sit hinc pro injuria Deo per peccatum illatâ castigatione aliqua Deo satisfacimus, idque voluntarie: non vi aut metu coacti, aliàs non ira satisfactionem age-re diceremur, quam eamdem pati. Hanc Confessarius tenetur per se sub mortali injungere, cùm sit pars integralis pœnitentia, & Confessarii obligatio ^{An sit necessaria?} imponenda.

sit integratatem hujus Sacramenti procurare. Aliud esset, si pœnitens esset ita debilis, v. g. moriturus, ut pœnitentiam aliquam adimplere non posset, quo casu consultum est injungere, ut corde & animo saltem aliquoties nomen Jesu ingemient, &c.

*Qualem
satisfac-
tio nem
debet in-
jungere
Confessa-
tio nes.*

Dicendum 2. Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesterit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Ita Conc. Trid. ses. 14. c. 8. Ex quo patet quòd nimius rigor, & indulgentia nimia hic taxari possit, sed injungenda pœnitentia, juxta merita & qualitates culparum. Unde peccant, qui graviores pœnitentias pro delictis levioribus imponunt: uti & ii, qui promiscue omnibus etiam gravioribus peccatoribus tertio aut quartio Pater & Ave imponunt: tum quòd graviori culpe gravior pœna correspondeat, tum quòd non eadem pœnitentia omnibus peccatis medendis sit opportuna.

*Satisfac-
tio pro
variis pec-
catis de-
bet esse va-*

Dicendum 3. Habeant Sacerdotes præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vite custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad prebeat esse varia teritorum peccatorum vindictam & castigationem. Ita ibidem Conc. Ex quo patet, quòd pœnitentia varia, diversis peccatis conveniat, prout quæque peccata aliis & aliis medicamentis curari possunt & castigari. Hinc medici munus hic exactè obeat, ut juxta medici næ regulam contraria contrariis curare studeat, imponendo Ebriosis abstinentiam, Avaris liberalitatem & eleemosynas, &c. debet quoque pœnitentia esse vindicativa injuria per peccatum Deo factæ, ad quod certè non promiscue convenit recitatio Rosarii, misericordia, &c. Sed requiritur, ut pœnam efficacius pœnitens sentiat ut imposterum tali pœnâ sit cautor, solent enim homines timere id, quod pœnosum antea senserunt. *Timeo, qui nocuere, Deos.* Imò & bestiæ,

*sticæ, de quibus rursus poëta: Terretur minimo pen-
nae stridore columba, unguibus accipiter saucia facta
tuis.*

Dicendum 4. Potest pro pœnitentia iujungi opus *Potest pro*
aliás ex obligatione debitum, v. g. Missa die Domi- *pœnitentia-*
*nicā, &c. Ratio est, quod opus illud possit habere *tia injun-*
*omnes conditiones ad opus satisfactorium, quod est *gi opus a-**
*esse laboriosum, pœnale, &c. Nec inde ullatenus *litas debet**
sequitur, quod unâ solutione quis satisfaciat duobus
debitis diversis, cùm hic sit solum unum débitum
ortum ex duobus titulis, uti quando quistenetur au-
dire missam ex voto die dominico: Impositio au-
tem novæ obligationis, ortæ ex novo titulo, hic est
laboriosa, & opus tale majorem vim acquirit & ef-
ficaciam ex clavibus Ecclesiæ. Imò hoc aliquando
injungere erit consultum, si quis v. g. sit proclivis
ad violandum v. g., festum, jejuniū aut aliud præ-
ceptum, adeò ut quod uno titulo non ita promptè
observat, discat illud observare novo titulo imposi-
to. Hoc tamen addo, quod si confessarius nihil
addat, censeatur illud imponere, quod aliunde non
*est præceptum.**

Poterit quoque injungere pro pœnitentia officium
 defunctorum, abstinentiam à communione, &c.
 cùm spectatis circumstantiis omissione illa alicui pos-
 sit esse conveniens, laboriosa & molesta.

Notent tamen Confessarii, ne pœnitentias scan-
 dalosas injungant, aut mali suspicionem ingerentes,
 ex quibus tribunal Sacramentale redditur maximè
 odiosum.

Dicendum 5. Potest Sacerdos, qui pœnitentiam *Immatra-*
*injunxit, eam in aliam mutare, si adsit rationabilis *tio pœni-**
*causa, v. g. infirmitatis, vel alterius damni, quod *tentia.**

timetur. Poterit illud idem alias quoque Sacerdos
 et si sit inferior, qui justa de causa potest mutare
 pœnitentiam pro reservatis à superiore impositam,
 neque ideo usurpat inferior facultatem aut potesta-
 tem in superiorem, sed solum in ejus sententiam.

Hoc tamen notandum, quod hoc casu debeat pœnitens illi alteri repetere sua peccata cum nullus incognita causâ possit sententiam ferre, aut illam immutare. Aliud est, si idem sacerdos pœnitentiam immutat, quo casu satis erit illi pœnitentiam indicare, quam rogat immutari.

Obligatio pœnitentia adimplenda si factio nema. Dicendum 6. Tenetur pœnitens pœnitentiam rationabilem sibi injunctam acceptare; Tenetur enim ut ex Conc. Trid. probavimus, Sacerdos pœnitentiam injungere: Ergo & pœnitens tenetur eam acceptare, alias inanis esset & frustranea hæc Sacerdotis obligatio, si pœnitens non teneretur eam acceptare & adimplere. Aliud esset, si pœnitentia imposita esset irrationabilis, si foret moraliter impossibilis, si talis; ut per ejus adimplectionem manifestetur peccatum occultum, &c.

Debet autem pœnitens pœnitentiam adimplere tempore à Confessario præscripto: qui si nihil addat, debet eam adimplere prima data opportunitate. Non tamen debet adimpleri necessario ante coimmunionem, cum opportunitas aliquando id non permittat.

Quid ager pœnitens pœnitentia etea oblitus Dicendum 7. Qui obesus est pœnitentiae sibi injunctæ, si possit adire eundem Confessarium, debet eumdem de oblivione illa informare, & aliam pœnitentiam querere; si verò oblio illa esset culpabilis, & non posset Confessarii eumdem adire, debet peccata alteri repetere & novam satisfactionem exigere. Si verò oblio illa sit omnino inculpabilis, docent plurimi, quod pœnitens ad nihil teneatur, maximè si Confessarius addiderit illa verba, *Pax Domini nostri, &c.* Eo quod tunc omnia bona opera facta & subsequentia pœnitentis, habeant vim satisfactionis, & suppleant quod ex parte satisfactionis impositæ deest: unde consultum erit Confessariis, numquam talia verba sine justa causa omittere, cum hoc cedat in magnum pœnitentis commodum & emolumentum spirituale.

Dicendum 8. Recte admonet Catechismus Rom.

ut

ut Confessarii ad manum habeant antiquos Canones *Consulso
pœnitentia
proponet
antiquos
C-nones
paenitentia
litas, es,*

pœnitentiales, & eorum gravitatem pœnitentibus proponant, ut efficacius à peccatis pœnitentes abducant. Eos tamen in usum resumere, Ecclesia hucusque non decernit, de quo ita Conc. prov. Colon. **Severitatem**, ait, *illam non revocemus in usum, quod nec nostrum est, nec an expedit, satis compertum habemus.* Quod autem Confessarius ad antiquos Canones pœnitentiales attendere debeat, docet S. Antoninus ita scribens 3. p. tit. 17. c. 21. §. 5. *Canones pœnitentiales tenetur scire Sacerdos, aliis vix in eo nomen Sacerdotis constabit.* Et S. Bonav. confessionalis c. 3. p. 1. ubi ait: *Ut auem Sacerdos circa pœnitentias dispensando cauimus arbitretur, nota casus in quibus per Canones certe pœna seu pœnitentia imponuntur.* Nam Canones pœnitentiales tenetur scire Sacerdos 38. dist. Cœlestinus Papa omnibus Oriodoxis Episcopis: *nulli Sacerdoti liceat Canones ignorare.*

Et Catechismus Rom. p. 2. num. 63. In irroganda satisfactionis pœna Sacerdotes nihil sibi suo arbitriatu flauendum esse, sed omnia, justitia, prudentia, & pietate dirigendâ existimabunt. Atque ut hac regula peccata metiri videantur, & pœnitentes suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit eis interdum significare, que pœnae quibusdam delictis, ex veterum Canonum præscripto, qui pœnitentiales vocantur, constituta sint.

Imò Concilium Coloniense celebratum 1536. c. 38. pro titulo habet: *Publicæ pœnitentiae usus in Ecclesiam revocandus;* & subdit: *In publicis vero criminibus quæ admodum necessæ est, ita jubemus ad antiquos canones publicæ pœnitentiae regredi, atque adeo ad Christi & sui Discipuli Pauli institutum reverti.* Ex quibus omnibus animo non præoccupato clare constat, quod confessarii non solum possint, sed & debeant reflectere ad antiquos pœnitentiae Canones, maximè ut pœnitentiam debitam injungant, & pœnitentes suorum peccatorum gravitatem maturius recognolcant.

Pœnitentiae illæ, in Ecclesia Romana diu observatae, aliquo tempore omissæ & neglectæ, sæculo undecimo

cimo rursum sunt resumptæ, ut ad tale tempus notat Baronius: quo tempore pœnitentiae illæ in tantum sunt missigatae, ut pœnaru[m] redemptio fuerit una permissa: v. g. quod divites eleemosynis, egeni in cute, redimerent pœnitentiam injunctam: inter cætera redemptionis in cute genera, erant *Palmatæ vulgo Panzers*, quarum 20. iætus redimerent unum diem pœnitentiae, simile pœnitentia[rum] genus erant & ferulæ:

Qua de causa pœnitentia quando que relata ab Ecclesia. Pœnitentias omnes fidelibus aliquando relaxabat Ecclesia, quando solebat infidelibus inferre bellum, ut plures ad miliiam confluenter, quibus confluentibus pœnitentiam relaxabat Ecclesia, prout fecit Urbanus II. 1096. & Callistus II. quando tam copiosus advenit miles, ut de illo tempore dicat S. Bernardus, vacuas esse urbes & castella viris, & sint 7. mulieres, quæ vix apprehendant virum unum. Porro alia occasio mutationis praxis pœnitentialis fuit indulgentiarum concessio; quæ quo fuit liberalior, eo magis abolita fuit prædicta praxis, de quo statim agendo de indulgentiis.

S E C T I O X V I I .

De ritu administrandi Sacramentum Pœnitentiae.

DE hoc ritu ait Pastorale Mech[anic]i rituali Romano conformatum, *Sacerdos ad audiendam confessionem vocatus, promptum facilemque se præbeat, ac prius quam ad audiendum accedat, dicat orationem ADESTO DOMINE, aliisque piis precibus divinum auxilium implorebat, ad ministerium hoc ritè & cum fructu obeundum.* Mos iste ante confessionem rogandi est perquam antiquus, ut colligitur ex codice pœnitentiali apud Baron. in notis ad martyr. 3. idus junii, ubi dicitur: *Cum venerit aliquis ad Sacerdotem confiteri peccata sua, mandat ei Sacerdos, ut expellat modicum, donet intret in cubiculum ad orationem.* Cum enim opus hic sit maximè

kimè arduum & periculoseum, fortiori auxilio opus est, quòd oratio implorat.

2. In Ecclesiâ, non autem in privatis edibus confessiones audiat, nisi ex causâ rationabili, quæ si inciderit, studeat id decenii & patenti loco præstare 3. Habeat in Ecclesiâ sedem confessionalem patenti & conspicuo loco positam, cratē perforatā inter pœnitentem & Sacerdotem instructam, cui (si tenebræ sint) lumen apponatur. Antiquitus quidem ad genua Sacerdotis, non verò ad latus accedebant pœnitentes, undè & eosdem ad geniculari dicit Tertulianus de pœnit. c. 8. quomodo tamen ritus ille mutatus sit, & quâ de causâ, docet Minutius in Octavio & Baronius alibi, puta ad evadendam Ethnicorum calumniam, dicentium pœnitentes Sacerdotum verenda adorare &c. Unde Ecclesia per sedilium erectionem honori sacramenti, & famæ tam sacerdotis quam pœnitentis consuluit, uti & per ordinationem aliorum subsequentium, quòd debeat audire loco patenti, si tenebræ sint, debeat adesse lumen &c. non enim in hoc negotio possumus esse nimium circumspicere, & confessariis hoc Horatii in clamari potest:

*Periculosa plenum opus aleæ
Træcas, & incidis per ignes
Suppositos cineri doloso.*

Hinc & iure merito in variis diaœcisibus prohibetur, aliquos & maximè fœminas audire ab anteriori parte confessionalis, uti & non intermediâ cratē perforatâ, in sede communi, quod tamen ægrè sat in magno populi concursu, ubi plures confessionales sedes non suppetunt, potest observari.

SECTIO XVIII.

De Indulgentiis.

*Cuid In-
dulgentia.* **D**ICENDUM primò, Indulgentia sumitur aliquan-
do in malam partem, juxta hoc, *blanda Patris se-
gnes facit Indulgentia natos.* Famosè tamen sumitur pro
remissione debiti, & propriè hic pro remissione poenæ,
quam poenitentes ob peccata sua deberent sub re, et si
culpa esset remissa. Remissio hæc sit ab Ecclesia virtu-
te clavium, unde a Trid. ses. 21. c. 9. reform. voca-
tur *Cœlestis Ecclesie Thesaurus*, & à veteribus condro-
natio, relaxatio, remissio, &c.

*Potestas
Ecclesie
in conce-
dendo in-
du'gen-
tius.* In Ecclesia potestatem esse concedendi, indulgen-
tias primi negarunt Waldenses sive pauperes de Lug-
duno, quos more suo secutus est Wiclef, & hunc
Lutherus, Hus, Melanchton, Calvinus, Kenni-
tius, & id genus alii de quibus videri potest Bellarin.
contra hos statuit ita Conc. Trid. ses. ult. *Cum potestas
conferendi indulgentias à Christo Ecclesie concessa sit,* at-
que bujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissi-
mis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus
indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarens
& sacrorum Conciliorum autoritate probatum, in Ec-
clesia reinendum esse docet, & præcipiu: eosque anathe-
mate damnat, qui aut inutiles esse assertunt, vel eas con-
cedendi in Ecclesia potestatem esse negant. Hanc autem
potestatem in Ecclesia semper fuisse probant SS. Pa-
trum & aliorum scripta, dum Tertulianus, Cyprianus,
& alii improbant nimiam facilitatem dandi in-
dulgentias, dum Episcopis poenæ relaxatio ab Eccle-
sia concessa fuit, &c. Hoc tamen fatendum initio
Ecclesie indulgentias fuisse admodum raras, ut
quando Alexander 2 anno 1177. in consecratione
Altaris majoris Ferrariensis concessit unum annum à
criminalibus & septimam partem à venialibus, ut
ad

*Raritas
Indulgen-
tiarum
primis
tempori-
bus.*

ad illud tempus ait Baronius, *Unde videas*, ait, *nisi sum ejus temporis concedendi per Romanos Pontifices indulgentias, quae unius anni terminum non excederent, præterquam in expeditione terræ sanctæ.* Idem observarunt alii Pontifices, quia, ut ait Innoc. 3. in Conc. Lateran. 4. *Ter indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, claves Ecclesia contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio ener- vatur.*

Et quamquam indulgentiarum veritas ex S. Scriptura non ita liquidò constet, tamen sufficientissimè *Ex scri- ptura.*
eamdem suadet, & signanter Matth. 16. Ubi dantur Petro & ejus successoribus regni cœlorum claves ad solvendum omnia vincula peccatorum super terram, qualia vincula sunt quoque pœnæ restantes: quem sensum semper tenuit Ecclesia fidelissima S. Scriptu- *rae interpres.*

Dicendum 2. In Ecclesia igitur est Thesaurus con-
stans meritis & satisfactionibus Christi & SS. Pro quo
notandum est, omnia opera bona non solum esse
meritoria, sed & satisfactoria, quatenus omne opus
virtutis est arduum & pœnale: unde quamvis opera
Sanctorum bona ultra condignum sint remunerata,
tamen ut sunt satisfactoria, vix sunt munera, cum
vix ulla peccata commiserint, quibus tot bonis ope-
ribus satisfacerent, quæ proinde satisfactiones aliis ap-
plicandæ reservantur ne omnino pereant. Neque ideo
quidquam derogatur valori meritorum Christi infi-
nito, cum satisfactiones sanctorum innuantur me-
ritis Christi, & ab illis virtutem suam accipient. Quia
verò Christi merita sunt infiniti valoris, Thesaurus
ille numquam poterit deficere. Denique notandum
ipsos hæreticos Thesaurum agnoscere, qui constet
meritis Christi, quem sibi per fidem suam specialem
volunt applicari quoad remissionem pœnæ.

Dicendum 3. Pontifex habet jure divino potesta-
tem concedendi indulgentias ex plenitudine potesta-
tis, tamquam proprius dispensator dicti thesauri;
Qui pos- snt con- cedere in- dulgen- Episco- rium.

Episcopi verò potestas indulgentias concedendi est restricta. Plenariam indulgentiam dare quoque potest Con. generale, cuius quoque generalis in Ecclesiam est authoritas, et si sit infra Pontificem. Decani verò, Præpositi, Abbates &c. non possunt dare indulgentias ex potestate ordinariæ, eò quod non sint propriæ Ecclesiæ Præfuges, ad quos spectet dispensare de thesauro Ecclesiæ. Alii fideles verò, et si possint pro aliis velle satisfacere, non ideo possunt aliis dare indulgentias, eò quod ad illud non solum requiratur, quod possint pro aliis pœnas solvere, sed debeant ab illis absolvere vi potestatis clavum. Simile quid est, quando ordinum Prælati aliquos participes faciunt suffragiorum communium sui ordinis, qui actus non est actus potestatis clavum, sed gratitudinis, benevolentiae, charitatis &c. Alii tamen ex delegatione potest competere potestas concedendi indulgentias, et si tunc dari debeant & soleant nomine sue Sanctitatis.

S E C T I O XIX.

De causâ & effectibus indulgentiarum:

Causa Indulgentiarum.

DICENDUM primò, ut validè dentur indulgentiae requiritur justa causa, non enim sine causâ potest validè dispensator de communi thesauro dispensare, alias esset dissipator, & alias posset uno verbo omnes animas ex purgatorio liberare. Unde sicuti non potest sine causâ tollere obligationem voti, eò quod illa sit juris divini, ita nec reatum pœnae, adeo ut Clemens VI. extrav. *unigenitus* dicat: Pontificibus concessam esse potestatem ecclesiasticum thesaurum proprium ac rationabilibus causis salubriter dispensandi.

*Causa pro-
prio.*

Causa hæc debet indulgentiis esse proportionata, adeo ut si indulgentia sit major, quam causæ quantitas

titas, indulgentia non censeatur rata, nisi quoad eam partem, quæ causæ magnitudinem adæquat. Magnitudo verò causæ pensari potest tum ex parte finis, tum ex parte operis injuncti ad talem finem: finis verò ille est honor & cultus SS. Sedis Apostolicæ reverentia, haereticorum convulsio &c. Finis hic debet principaliter considerari, adeò ut quamquam opus injunctum sit in se parvum & exiguum, tamen ut ordinatur ad aliquem finem ex intentione dantis indulgentias, censeatur aliquandò magnum. Ex quo sequitur, non esse facilè vituperandas indulgentias satis magnas, concessas actionibus facillimis, cum aliquando finis possit esse magnus, & causa ejus possit nos latere, nec de insufficientia causæ facile sit præsumendum: quamquam in hac materia non desint abusus, de quibus agit Conc. Trid. ses. ult.

Dicendum 2. Indulgentiæ non remittunt culpam *Effeſtus h*
mortalem aut pœnam æternam, quod solum fit *dulgenſia*
per Sacra menta. Unde quando in quibusdam indul-
gentiis dicitur dari remissionem culpæ & pœnæ, in-
telligendum id est, de indulgentiis, quibus conjun-
gitur Sacramentum pœnitentiæ. Verius quoque est
indulgentias non delere peccata venialia, quæ non
nisi interiori hominis renovatione & à peccatis aver-
fione remitti possunt. Neque etiani remittunt pœnas
civiles aut Ecclesiasticas, quæ spectant ad forum
contentiosum, alioquin indulgentiæ disciplinam po-
tius perturbarent, quam eamdem adjuvarent. Un-
de remittunt indulgentiæ pœnam temporalem pec-
catis debitam, & quidem illam, quæ injuncta est,
si in formula indulgentiarum dicatur *A Penitentis*
injunctis: Si verò indulgentiæ generatim & absolu-
tè concedantur, liberant non solum à pœnis injunctis
sed & ab injungendis & pœnis purgatorii his corre-
spondentibus: ubi enim jus Pontificis hic non restrin-
git, nec nos restringere debemus: deinde, aliæ va-
riæ indulgentiæ modernæ essent inanæ, cum vix
aliquot

aliquot dierum pœnitentia hodiè soleat injungi , quod & Pontifices non latet.

*Indulgen-
tia plena
ria effe-
ctus & al-
terius.* Si verò sit Indulgencia plenaria , liberat à pœnitentia tota , quanta sit. Si verò sit aliquot annorum aut dierum , liberatur pœnitens à tot annorum vel dierum pœnitentiâ injunctâ. Si verò pœnitentia non tantum esset satisfactoria , sed vel maximè medicinalis & pro futuris præservativa , tunc pœnitentia propter indulgentias non esset omittenda : Imò præstat semper non obstantibus indulgentiis pœnitentias adimplere , tum quòd pœnitentiæ plerumque medicinales sint & præservativæ , tum quòd incerti simus an indulgentias verè simus consecuti , tum denique quia per ea opera satisfactoria , non solum satisfacimus , sed & novam gratiam meremur.

Dicendum 3. Cùm verò indulgentiæ ad aliquot annos , intelligi soleant , quod pœnitentia illa remittatur , quæ corresponderet pœnitentiæ juxta antiquos Canones peccatis debitæ , ideo aliqui suspectas habent indulgentias datas ad 1000. Annos , cum vita hominis eo usque durare nequeat , unde nec possent tot annorum pœnitentiam exsolvere : Verum alii melius easdem indulgentias admittunt , & docent talibus indulgentiis remitti pœnam etiam 1000. annorum , id est , quanta variis peccatis corresponderet , quod verum est , cum quis modico tempore tantam pœnam variis peccatis posset contrahere . Deinde , etiam remittitur talibus indulgentiis pœna Purgatorii tot annorum , quæ pœnitentiæ Canonice corresponeat.

*Pœna pec-
catu olim
inflata.* Pro quorum intelligentia notandum est , per Canones olim cuique peccato graviori v. g. furto majori , adulterio , &c. Injunctam esse pœnitentiam 7. annorum , utri patet ex caus. 33. q. 2. cap. *Hoc ipsum* : peccato vero gravissimo v. g. homicidio , parricidio , &c. 10. aut 12. annorum pœnitentia , aut etiam per totam vitam solebat injungi . Cùm ergo multi essent qui aliquando 100. mortalia graviora commisissent , multorum millium annorum pœnitentia illis foret implenda ,

implenda, ex quo patet juxta dicta, ejusmodi Indulgentias non esse repudiandas, quæ dantur ad 1000. annos.

Solent quoque Indulgentiæ concedi ad 10. annos *Quid quis v. g. &c 3. quarentenas, aut quarenas, quæ quarenæ sub rœss.* illis 10. annis comprehenduntur. Quarenæ autem illæ erant dies particulares, quibus pœnitentes pœnas acerbiores primis temporibus pœnitentiæ, deberent persolvere.

Dicendum 4. Inter indulgentiam plenariam, pleniorem & plenissimam nulla est differentia, sed majori illa exaggeratione Pontifices insinuant, se tantum dare, quantum possunt; idem est de indulgentiis datum per modum Jubilæi, quæ à plenis non differunt, nisi ex accidente, quod in illis detur potestas vota immutandi, à reservatis absolvendi, &c. De quo infra agendo de Jubilæo.

Dicendum 5. Indulgentias defunctis quoque prodesse, est de fide: sunt enim membra Ecclesiæ, quæ *tua proinde ab aliis membris juvari possunt: de quo vide* *sunt defunctis,* Conc. Trid. ses. 25. in principio. Cum verò Ecclesia in defunctos non habeat ullam jurisdictionem, non dat illis indulgentias per modum absolutionis, sed per modum suffragii, oblatis ab Ecclesia Christi & SS. meritis, ut intuitu illorum animas è Purgatorio liberet. Ex quo videtur verius, quod Indulgentiæ defunctis non prosint certâ lege & omnino infallibiliter, quod & Ecclesiæ praxis satis confirmat, dum post applicatam defunctis Missam in altari privilegiato celebratam, pro iisdem de cetero orare & offerre non definit, tacitè innuens, indulgentias datas defunctis non prodesse illis infallibiliter, sed pendere à divinæ misericordiæ acceptatione.

SECTIO XIX.

De Dispositionibus requisitis ad lucrandas Indulgencias

Status gratiae. **D**ICENDUM primò, Requiritur primò ut suscipiens sit in statu gratiæ, cùm remissio poenæ supponat remissionem culpæ. Deinde, ut suscipiens sit Ecclesiæ membrum, & subditus illi, à quo indulgentias acquirit. Denique, ut omnia illa exequatur, quæ pontifex præscribit, adeo ut si aliquid deesse contingat, etiam sine culpa, tamen indulgentias non percipiet.

An totum opus sit in gratia in sua indulgencie merita. Dicendum 2. Probabilius videtur, quòd totum opus, quod præscribitur, non debet fieri in gratia: Ratio est, quòd opus illud non sit indulgentiæ meritum, sed solum dispositio ad illum, qualis potest esse opus factum extra statum gratiæ: Unde jejunia, elemosynæ, &c. In statu inimicitiae cum Deo, aliquando juvant ad averterendam Dei iram & poenas temporales, uti patuit in Niuiviis, Achab, &c. Quos putant plurimi, per poenitentiam solam non fuisse justificatos. Valent insuper ejusmodi opera, ad hominem Deo reconciliandum & ad eum promovendum, ad quod concedens indulgentias spectat. Denique quando indulgentiæ dantur in forma jubilæi, usus fidelium habet quòd triduo ante jejunent, postea confiteantur & communicent, alias certè deberent antea confiteri. Adde, quòd anno Jubilæi præscribitur Romæ ut omnes per 15. dies visitent basilicas, quòd moraliter loquendo non potest regulariter fieri in statu gratiæ ab omnibus. Unde Navarrus dicit hanc sententiam esse communissimam. Cùm vero contraria sententia sit quoque fundata satis, securissimum erit & consultissimum, ut totum opus fiat in gratia.

Dicen-

Dicendum 3. Si in forma indulgentiae dicatur eam concedi *Verè contritus & Confessis*, requiritur omni-
nò Confessio, tum quòd illam expressè exigat pon-
tifex; tum quòd una ex præcipuis utilitatibus indul-
gentiarum sit, inducere homines ad confessionem.
Quod etiam locum habet in iis, qui non habent pec-
catum mortale; cùm venialia sufficienter confi-
teri possint. Si verò confessio non exprimatur in for-
mula indulgentiarum, sufficiet contritio cum propo-
sito suo tempore confitendi: Hinc generaliter no-
tandum est, quòd opera præscripta debeant fieri
juxta proprietatem verborum, quæ forma indul-
gentiarum continet, adeoque opus præscriptum
debeat fieri per ipsum lucrante indulgentias,
nisi aliud indulgentiae expressè permittant, auc-
ab ipso lucrante moraliter fieri censeantur, v.
g. eleemosyna data per servum, visitatio Ecclesiæ,
quam non posset intrare, cùm talis moraliter cen-
featur dare eleemosynam & Ecclesiam talem visi-
tas.

Dicendum 4. Cum verò indulgentiae non sint de-
structivæ pœnitentiæ, sed potius completivæ: sequi
videtur, quod iis tantum prosint, qui student Deo
per pœnitentiam satisfacere: iniquum enim est, vel-
le à Deo sperare remissionem peccati sine pœnitentia,
quam semper ad reconciliationem necessariam esse,
declarant SS. PP. & Ecclesia. Deinde cum lex divi-
na semper & ubique fere pro peccatis exigat pœni-
tentiam, fructus dignospœnitentiæ, &c. sequi vide-
tur, quòd indulgentiae non dentur, nisi iis, qui per
pœnitentiam se Deo student reconciliare: non enim
indulgentiae sunt legis divinæ de pœnitentia facienda
abolitio, sed complementum, nec legis illius dis-
pensatio, sed auxilium & adjutorium satisfaciendi,
quo fit, ut qui needum de se dignos fructus pœni-
tentiae ponit, illa de thesauro Ecclesiæ suppleantur.
Sic etiam ex S. Cypriano constat, quòd indulgentiae
Martyrum non possent concedi, nisi *pœnitenti*, ait,

operanti, roganti. Illis, ait idem Doctor, potest Deus clementer ignoscere, potest exceptum ferre, quidquid praetibus & petierint Martyres & fecerint Sacerdotes. Hinc ab Ecclesia solet plerunque addi in concessionibus indulgentiarum, vere contritis & confessis: vera autem contrito importat, ut fiant fructus digni poenitentiae. Imò in forma declarationis indulgentiarum Portiunculæ à S. Francisco promulgata, ego volo vos omnes mittere ad Paradisum &c. additur illas indulgentias dari *Corde contrito confessis*. vide Speculum vitæ S. Francisci c. 87.

Confessio Indulgentiarum. Dicendum 5. Cessant indulgentiae, dum vel expressè uel implicitè revocantur: non tamen morte concedentis, quia est gratia. Cessant quoque indulgentiae concessæ certo loco, si locus ille devastetur, secus si locus ille sensim destructus reparetur, cum hoc casu censeatur locus ille moraliter perseverare. imo si Ecclesia nova loco prioris ædificetur, verius est, non cessare indulgentias priori loco concessas, uti & indulgentiae, quæ sunt datæ religiosis, qui alio migrant.

Non sufficit hic confessio aut communionem sacrilegam, pro obtainendis indulgentiis aut iubilao. Certum enim est, ecclesiam non esse contentam opere sacrilego, cui unica cura est, ducere subditos suos ad æternam salutem, qui simili opere ducuntur ad damnationem. Unde falsa sunt ejusmodi principia & condemnata, Quod præcepto annuae Confessionis satisfiat per confessionem voluntariè nullam: Quod satisfiat legi Communionis per communionem sacrilegam, &c, Quasi Ecclesiæ satisfactum foret Sacrilegio. Rectè ergo alibi dictum est, illud ut pseudo axioma esse rejiciendum quod Ecclesiastica lex solum imponat actus substantiam, non itidem modum, puta ut bene & decorè fiat illud, quod præcipit.

SECTIO XX.

De Jubilæo.

DI CENDUM primò, Jubilæum erat Hebræis annus quinquagesimus & dicebatur *Annus re-biannus missoris*, quo cessabant agriculturæ & sustentabantur frugibus præcedentis anni: Agri, dominus dividitæ revertebantur eo anno ad priorem dominum, servi donabantur libertate, &c. Levit. 25. 27. & num. ultimò cap. ad hunc modum Ecclesia N. T. respiciens, jubilæum celebrat, & varia privilegia eo tempore suis subditis concedit. Bonifacius illud instituit celebrari anno centesimo: Clemens VI. Hebræorum more ad quinquagesimum reduxit: Paulus II. & Sixtus IV. ad annum 25. quod etiamnum perseverat, & fuit anno 1675. elapsus. Eo anno conceditur ultra indulgentiam plenissimam, facultas absolvendi à reservatis, vota commutandi, componendi super malè ablatis incertis, uti in bullis compositionum fieri solet; Incipit autem hic annus jubilæi à primis vesperris nativitatis usque ad primas easdem vespertas sequentis anni, adeò ut interea omnes indulgentiæ plenariae vivis concessæ extra urbem commorantibus suspendantur. Addunt aliqui non suspendi portiunculam, prout declaravit Urbanus VIII. anno Jubilæi 1625. quod alii verum esse intelligunt, de indulgentiis illis concessis Ecclesiæ Mariæ Angelorum, non itidem alibi. Non tamen suspenduntur indulgentiæ defunctis concessæ, cùm hic cellet finis suspensionis, puta ut plurimi Romam confluarent; neque etiam revocantur indulgentiæ Episcopales, sed solum Papales, imò nec Papales concessæ in articulo mortis, prout declaravit Urbanus VIII.

Dicendum 2. Post annum Jubilæi, ut etiam post


*Indulgen-
tia in for-
ma Iubi-
læi.* coronationem Papæ , & in gravi Ecclesiæ necessitate , solet Pontifex concedere omnibus ubique fidelibus , qui Ecclesiæ aliquas visitaverint , oraverint &c. indulgeniam per formam Jubilæi in anno Sancto . Si verò quis ob ægritudinem vel professionem non possit opus præscriptum exequi , potest Confessarius illud opus in aliud commutare : item datur omni confessario approbato potestas absolvendi ab omni censura , poena , à jure vel ab homine in foro conscientiæ inficta , etiam contenta in Bulla Cœnæ . Non tamen datur potestas dispensandi super irregularitate quomodolibet contractæ : datur tamen facultas commutandi vota , excepto voto castitatis & religionis .

Jubilæum hoc solum semel poterit obtineri , ut patet ex tenore Bullæ : consultè tamen opera præscripta saepius quis exequetur , ut si forte una vice indulgentias lucratus non sit , alia vice easdem lucretur .

Eleemosynæ hic præscribi solitæ , non debent dari juxta cujusque facultates , sed juxta cujusque beneficium , ut declaravit Innoc. X. Constit. 1. *Immensæ* .

Si quis ex ignorantia aut inadvertentia usque ad ultimum diem omisit lucrari indulgentias poterit opera ad eas requisita , quæ neque una die fieri possunt , in alia commutare Confessarius , cum talis fuerit moraliter impeditus : secus est de eo , qui ex malitia eo usque neglexit indulgentias lucrari , cum talis non fuerit legitimè impeditus , de quo solo intelligitur bulla .

Si verò quis tempore Jubilæi omiserit confiteri reservata , poterit elapsio Jubilæi tempore ab iisdem absolviri , modo eadem intenderit tempore Jubilæi confiteri , sed invincibiliter eadem omiserit .



DE PURGATORIO.

§. I.

An detur Purgatorium.

NO TAT hic Eximus D. Hesselius, veteres Thelogos & Magistrum sententiārum omis-
sisse hanc quæstionem, an detur Purgato-
rium, tamquam de eo certo constaret: &
solum in dagaſſe Purgatorii qualitates, quid sit, ubi-
nam sit, &c. Videtur tamen illud negaſſe Aërius,
contra quem ſcribit S. August. haeresi 53. Imo idem ^{Haeretici} nega-
runt quidam tempore S. Bernardi, dicti ^{negantes} Apoſto-
lici, contra quos ſcribit ſerm. 66. in Cantica. Hos fe-^{Purgato-}
cuti ſunt Waldenses, & noviſſimè Luther & Calvi-
nus: ratio eorum erat, quod Christus plenissimè pro
nobis ſatisfecerit, & quod remiſſâ culpâ ſecundūm il-
los remittatur omnis poena. Variè tamen more ſuo hic
luſit Luther: qui quidem primo illud admifit, ſed ne-
gavit illud ex S. Scripturā poſſe probari: poſtea do-
cuit id ex eâ poſſe probari: tandem illud abſolutè ne-
gavit. Contra hos

Dicendum 1. De fide eſt, dari Purgatorium, ſeu *Dari Purgatorium*
locum, in quo iuſtorum animæ, quæ hic in vitâ non plenè fuerunt purgatæ à peccatis, illic expiantur. Com-^{est de fide.}
muniter hoc ſolet probari ex utroque testamento. Ex
V. T. quidem, quod Judas Machabæus Mach. l. 2. c.
12. miserit Hierosolymam 12000. dragmas argenti
offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè &
Religiosè de reſurrecțione cogitans, adeo ut addat
Scriptura: *Sancta ergo & salubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Hinc collige maniſtē 1.
animæ immortaliṭatem, reſurrecționem mortuorum,

quod remissa culpa, non remittatur tota pena, quod animæ defunctorum suffragiis vivorum possint juvari, denique dari locum, in quo animæ defunctorum auxilio vivorum possint purgari, & consequenter dari Purgatorium, et si nomen illud expressè non designet. Nec enim locus ille intelligi potest de damnatis in inferno, ubi nulla est redemptio: nec etiam de beatis, quæ vivorum suffragiis adjuvari nequeunt, utpote beati: Ergo restat, ut intelligatur de alio tertio, ubi animæ justorum possunt plenè purgari & expiari. Opponunt hæritici librum illum non esse Canonicum, 1. quidem, quod non sit in Canone Judæorum. 2. quod author illius libri petat veniam sicut erit. 3. quod S. August. l. 2. contra Gaudentium 23. doceat librum illum quidem esse utilem, si sobriè legatur: mo S. Hieron. & Ruffinus in expositione Symboli, quæ Cypriano tribuuntur, negant hunc librum esse Canonicum. Ad quæ tamen Reps. Ad 1. librum quidem illum non esse in Canone Judæorum, esse tamen in Canone Catholicorum: unde S. Aug. 18. de civit. c. 36. *Machabæorum*, ait, *libros non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.*

Ad 2. Resp. Petit author veniam, non quasi in aliquo errasset, sed si forte non satis exacto & polito stylo scripserit; subdit enim: *Alternis, uti, deletabile est,* Nec enim deletabile est, nunc vera dicere, nunc falsa.

Ad 3. Resp. Docet S. August. librum illum debere sobriè legi, non quasi lateant errores, cum euindem librum ibidem vocet *Scripturam Sacram*, sed ob exemplum Rasæ, qui ob occisionem sui ibidem videtur commendari, cum tamen revera non commendetur, si sobriè, id est attenè Scriptura illa legatur. Ruffinus autem uti & S. Hieron. solum negant libros illos non esse aptos ad convincendos Judæos, utpote ipsis non Canonicos.

Addunt aliqui contra dictum locum, varios ex illis mortuos fuisse in peccato mortali, cum penes eos inventa essent idola & idolorum donaria, quæ tamen

Deute-

*An libri
Macha-
baorum
sunt Cano-
nici.*

Deuteron. 7. vetabantur accipere. Resp. fieri potuit aliquos legem illam invincibiliter ignorasse: vel etiam desuper ante mortem poenituisse: quare, quia non constabat eos in peccato mortali occubuisse, recte pro iisdem offerri poterat sacrificium.

Eadem veritas probatur ex T. N. Mathæi 12. dicitur esse aliquod peccatum, quod non remittitur, neque in hoc, neque in futuro saeculo: ad quod ita S. August. 21. de civit: 24. non veraciter, ait, *de quibusdam diceretur, quod non eis remittitur neque in hoc saeculo, neque in futuro, nisi essent, quibus eis in isto, tamen remitteretur in futuro saeculo.*

Deinde 1. Cor 3. dicitur, quod ii, qui super fundatum, quod ipse posuit, scilicet super fidem Christi, edificent lignum, stipulam; salvos quidem fore, sic tamen quasi per ignem. Quem locum communiter intelligunt SS. PP. de purgatorio igne.

Huc accedit definitio Ecclesiæ in variis conciliis & novissimè in Conc. Trid. ses 25. ubi dicitur, Ecclesiam Catholicam Spiritu sancto edoctam, ex S. Litteris & antiqua PP. traditione, in sacris conciliis docuisse & docere, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Vide ibi dicta & definita.

Huc adduci possent variae SS. PP. sententiæ clarissimæ, dicentes esse purgatorium ignem, quæ videri possunt apud bellarminum de purgatorio. Sola notari potest hæc S. Augustini sententia in Ps. 37. *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opes sit.* Inno S. Greg. 4. dialog. 39. docet credendum esse purgatorium ignem. Denique constans fuit Ecclesiæ sensus superesse purgatorium, dum semper oravit pro mortuis: adeo ut Calvinus in suis constitutionibus fateatur, usum hunc orandi pro mortuis, fuisse ante annos 1030. quamvis addat, Patres hic aliquid humani esse passos, dum non sunt secuti scripturas.

Hanc quoque veritatem confirmat & ratio: cum enim

enim remissâ culpâ, non omnis continuò tollatur &c pœna, poterit fieri, quod quis remissâ culpâ discedat ex vitâ, ita tamen, ut restet pœna per solvenda: quæ pœna non debet necessariò esse æterna, sed sufficere potest temporalis, qualis debetur peccato veniali. Hinc etiam Ethnici, Philosophi, Mahometani & alii ratione duce & doctore, statuerunt locum, ubi delicta hic non vindicata, vindicentur in alia vita: cum spectet ad providentiam divinam, quod hic vel alibi delicta vindicentur.

Objectiones contra Purgatorium. Varia tamen contra datam doctrinam possunt ob- jici: primò quod Eccle. 11. dicitur, quod lignum, id est homo, si ceciderit ad austrum aut aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Hinc colligunt hæretici esse solum duo loca post hanc vitam.

2. Quod 2. cor. 5. Apostolus dicat, quod quisque recipiet prout gesit in corpore. Si autem animæ in Purgatorio possint juvari, non acciperent prout gesierunt in corpore.

3. Quod Apocalyp. 14. dicitur, quod qui in domino moriuntur, beati sint; nec eos tangat tormentum mortis, illos esse in pace, justum, si morte preoccupatus fuerit, esse in refrigerio, ergo non in igne illo pœnoso.

Ad quæ Resp. ad primum autem, locum illum optimè intelligi posse ad litteram, quod sicut lignum cæsum, ubicumque cadit, illic maneat, nec se solo resurgat: ita & homo, qui moritur. Si verò de morte spirituali quis velit intelligi, dici posset, quod animæ in purgatorio sint ad austrum, id est in statu salutis æternæ, de quo certi sunt. Denique juxta Hæreticos, locus ille destrueret & limbum.

Ad 2. Resp. eos etiam accipere, prout gesierunt in corpore, dum statuuntur in eo statu ob sua merita, quod suffragiis vivorum juvari possint: sicuti beati hic in vita meruerunt, ut orationes illorum, quas in cœlo fundunt, exaudiantur.

Ad 3. Resp. locum Apocalypsis intelligendum esse de judi-

judicio finali, quando beati illi, qui in domino moriuntur, requiescent à laboribus suis. Deinde animas in purgatorio non tanget tormentum mortis æternæ, id est dejiciet, cùm certò credant, illud tormentum esse finiendum. Alii intelligunt hoc de tormento mortis corporalis, quod justos non conturbat, uti nec martyres conturbavit, sed securi sint de proemio, & cupiant dissolvi & esse cum Christo. Sunt quoque animæ illæ in pace, quia securæ sunt de suâ salute post exactam hujus vitæ militiam, quare dicuntur dormire in somno pacis. Sunt quoque in refrigerio, quia non patiuntur amplius æstum tentationum hujus sæculi.

Varia insuper hic objici solent, quòd SS. PP. dicant non posse post hanc vitam deleri peccata, non posse haberi remissionem peccatorum &c. quæ omnia intelligenda sunt, de deletione & remissione quoad culpam vel pœnam æternam peccato mortali correspondentem, non verò de deletione pœnæ temporalis.

Petet aliquis, quomodo illi purgabuntur, qui in fine mundi invenientur cum debitis temporalibus? Resp. per ignem conflagrationis, sic ut illud quod deest de diuturnitate pœnæ, ejus gravitate compensetur: alii verò dicunt, quòd ea pœna intercedentibus Sanctis à Deo misericorditer condonabitur.

Pro complemento hic nota cum Exim. D. Jacobo Baio l. i. catechis. c. 218. purgatorii fide ædifi. *Fides*
Purgatori
cari fideles, quòd malint hic pro omnibus satisfacere, quàm acerbissimis pœnis in futuro; ubi econtrà; negatio ejusdem ad improbitatem vitæ impellit, dum homines à bonis operibus avertit, uti patuit in ipsis impugnatoribus purgatorii moribus & vi-
tâ impiissimis, ut in Petro Bruis, Waldensibus, Lu-
thero & aliis.

§. II.

Ubi sit purgatorium.

*Sententia
heretico-
rum.*

CAlvinus & ejus aseclæ, non tantum purgatorium negant, sed & omne in omnino locum subterraneum animarum, etiam limbum SS. PP. quos docent suis in cœlo, & solum caruisse visione beatificâ, quâ carebunt usque ad ultimum diem judicij. Docent itidem, infernum non esse sub terrâ, sed ubique, eis que pœnas nihil esse aliud, quam terrorem & anxietatem, quâ cogitant animæ Deum sibi esse iratum: undè concludit Calvinus, aniles esse fabulas, quidquid de locis animarum dicitur.

*Sententia
SS. PP.*

Dicendum tamen primò varios doctores varia assignasse loca, ubi animæ purgarentur: Gregorius 4. dialog. cap. 40. & 55. dicere videtur quasdam animas in balneis esse purgatas. Alii opinati sunt animarum loca non esse corporea, quod S. August. aliquando opinatus est, & retractavit 2. retract. c. 24. Origenes verò docuit purgatorium ignem nil esse aliud, quam conscientiam accusantem & anxiā pro peccatis, ut de inferno docet Calvinus. Alii insuper ut Gregorius Nyssenus & alii docent purgatorium esse aërem caliginosum, in quo dæmones versentur.

*Est sub
terra.*

Dicendum tamen cum communi SS. PP. & Theologorum sententia, Purgatorium esse locum subterraneum, loco damnatorum vicinum. Quod verò purgatorium sit locus inferni, videtur communis Ecclesiæ sensus, adeoque illud negare, periculum in fide: dum Ecclesia pro animabus rogat, liberari eas de pœnis Inferni; de profundo lacu, &c. Sic etiam Apocalypf. 5. dicitur creaturas, quæ sub terra sunt, dedisse laudem Deo & agno. sic S. August. Epist. 99. in illad a Et. 2. Solatis doloribus Inferni, libera-

liberatis, ait, à pœnis Purgatorii. Denique, animæ in Purgatorio eamdem pœnam patiuntur, quam damnati, eo solo discrimine, quod una sit æterna alia temporalis, adeoque congruit, ut eodem fere loco puniantur, ut eadem pœna.

§. III.

De Pœna Purgatorii.

DI CENDUM primo, Animas in Purgatorio puniri pœnâ damni, id est, non videre Deum: unde in eisdem oritur magnus dolor, uti in illis, qui suâ culpâ excluduntur à conspectu Patris. Non enim introibit in Cœlum aliquid coquinatum, nec statui beatitudinis convenit aliquid paui.

Dicendum 2. Quamvis non sit de fide, in Purga-
torio esse ignem, est tamen maximè temerarium hoc negare. Quod non sit de fide, probatur ex eo, quod Græci in Conc. Flor. ses. ult. et si agnoscerent Purgatorium, & orationem pro defunctis; tamen dubitabant, an vero igne ibidem animæ punirentur, quod tamen Concilium illud tolerabat.

Quod tamen sit temerarium illud negare, patet ex eo 1. cor. 3. *Salvus erit quasi per ignem*: Quod de verò igne Purgatorii intelligunt SS. Patres & Doctores, adeo ut S. Greg. 4. dial. 39. dicat, ignem Purgatorii esse corporeuni. Deinde ignis inferni est verus ignis & corporeus, ut alibi ostensum est in primâ parte, ergo & ignis Purgatorii, cum sit unus & idem. Quomodo verò ignis ille agere possit in spiritum, dictum est ibidem, puta ut ait D. Aug. Veris, sed miris modis.

Dicendum 2. Pœna Purgatorii tanta est, ut nullæ pœnæ hujus vitæ illi comparari possint. Unde S. August. Enchiridii 112. dicit, *Exulare à civitate Dei, tam grandis pœna est, ut nulla ei possint tormenta, que nquam vides,*

novimus, comparari. Et S. Gregorius in Ps. 1. pœnitent: illum, ait, transitorium ignem omni tribu'atione præsen- ti existimo intollerabiliorem. Et Beda in Ps. 37. Nulla, ait, Martyrum aut latronum cum Purgatorii pœnis confe- renda supplicia.

*An sit
maxima.* Quæstio tamen est, an sit gravissima pœna appretiativè, an verò etiam maximè acerba. Resp. in primis certum est, eam esse gravissimam appretiativè, Cum animæ illæ pluris æstiment visionem Dei, quam quodvis aliud bonum: ergo etiam pluris æstiment parentiam visionis, quam quodvis aliud malum. Viarant tamen auctores, an qualibet pœna ignis purgatorii sit gravior maximi pœnâ hujus vitæ. Et qui-dem hæc est S. Augustini sententia in Ps. 37. abi ait, *quia dicitur salvus erit, ille ignis contemnitur..... gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid homo pati potest in hæc vitæ.* hoc tamen passim intelligitur de pœnâ gravissimâ purgatorii cum plurimi doceant leviorem pœnam purgatorii minus acerbam esse acerbissimâ pœnâ hu-jus vitæ, cum illud æquitati consonum non videatur, quod minima peccata puniantur majori pœnâ, quam hic puniantur maxima scelera. Quia tamen plurimi sustinent, non omnes animas sustinere pœnam ignis, neque eam semper pati, hinc videtur satis verosimile, quod ob minima peccata v.g. verba otiosa aut similia, non exurentur animæ: imo Beda quosdam refert, qui post mortem apparentes, dicebant se degere in ameno loco, quem crederent Paradisum, nec tamen erant Beati. Quod verò Apostolus 1. Cor 3. etiam dicat stipulas puniri per ignem, non ideo dicendum est, quod velit levissima peccata puniri per ignem, sed quod optimè conveniret ejus instituto & compara-tioni uti hujusmodi vocibus, eo quod in ædificiis construendis soleamus uti ligno, lapidibus, fæno, stipulis &c.

*An ter-
queantur
a demoni-
bus.* Dicendum 3. Verosimilius videtur animas in pur-gatorio non torqueri à Dæmonibus: cum enim ani-mæ illæ diabolum vicerint & superayerint, conve-nientius

nientius est eas à dæmonibus. non torqueri. Verum in hac re , uti & in aliis multis nihil certi , unde & Concilium Trid. Ses. 25. Subtiliores ac difficiliores quæstiones , quæque ad ædificationem non faciunt , & ex quibus plerumque nulla sit pietatis accessio , voluit à popularibus sermonibus secludi : incerta item , vel quæ specie falsi laborant , evulgari ac tractari non permittit.

Dicendum 4. Certum est Purgatorium non duraturum ultra diem judicii extremi. hinc S. August. 21. civit. 16. *Purgatorias pœnas* , ait , *nullas futuras opinetur* , *nisi ante ultimum illud tremendumque judicium*. Colligitur idem ex loco Matthæi 25. Ubi post ultimum illud judicium solum statuuntur 2. loca , unum à dextris , alterum à sinistris. Falsa tamen & singularis est sententia Dominici Soto in 4. sent. dist. 19. q. 3. art. 2. ubi docet , nullam animam in Purgatorio torqueri ultra 10. annos , eo quod nullum sit peccatum , quin in hac vitâ pœnitentiâ 10. annorum possit expiri , ubi tamen pœna Purgatorii est gravior & suâ gravitate diuturnitatem compensat. Verum sententia hæc communi Ecclesiæ praxi & sensui repugnat , dum per 100. annos anniversaria celebrat pro defunctis , certo sibi persuadens , tam diu animas posse in Purgatorio torqueri. Hinc referunt , quod concionator , qui hanc sententiam Soti prædicaverat , publicè revocare coactus sit ab inquisitoribus.

§. I V.

De conditionibus animarum in Purgatorio.

DICENDUM primò , Eas esse in gratiâ , patientissimè Deum sustinentes & laudantes , ut patet ex Apocalypsi 5.

2. numquam ab eâ gratiâ excident. Probatur , quia confirmatus nullus in eis esse potest inordinatus motus , quo' ^{confirma-} gratia

gratia deperditur. Neque etiam Deus potest ab eis gratiam suam sine culpâ substrahere , hanc autem ponere non possunt , cum sint extra statum merendi & demerendi : hoc quem fit protectione Dei , in cuius manu sunt animæ justorum , & cuius dextera defendit illas.

Dices , nondum sunt in patriâ , ergo in viâ , & consequenter possunt demereri. Resp. si statum merendi spectes , non esse amplius in viâ , sed in termino. Si verò præmium spectes , sic adhuc sunt in viâ , quia illud necdum acceperunt. Hinc justissimè à Leone X. damnatus est Luther art. 39. austerens animas in purgatorio assiduè peccare.

De suâ salute secura. 3. Animæ illæ , sunt de suâ salute securæ. Est contra Lutherum iterum docentem , quasdam esse de suâ salute incertâs. Cum enim animæ in mortali discedentes statim ad inferna descendant , ut ait Flor. Con. & cognoscant animæ in purgatorio se eo non descendere , cognoscunt se non habere peccatum mortale , & consequenter esse in gratiâ & de suâ salute securas. In fine enim hominis , denudatio operum ejus , ut sciat opera sua post particulare cujusque judicium. Hinc quandò Ecclesia orat , ne cadant in obscurum , ne absorbeat eas tartarus , &c. Ecclesia orat eo modo , considerando defunctos , ac si essent in die obitûs : vel etiam eo rogandi modo utitur ad extandum majorem effectum in fidelibus , ut studiosius pro defunctis exorent.

Quando etiam pars judicium particulare. Judicium autem cujusque particulare , sit in separazione animæ à corpore , cum nulla sit differendî ratio. Si verò aliquandò legitur , quasdam ante mortem esse judicatos , ut de quodam Chrysoario refert Greg. 4. dial. 38. imò etiam dilatam esse sententiam , ut videtur factum esse cum doctore illo in vitâ S. Brunonis: intelligi debet , quod aliquandò videantur esse damnati ante mortem , eò quod cederint in desperationem. Doctorem verò illum ante judicatum fuisse est verosimilius , sed ita hominibus

nibus apparuisse ad eorumdem instructionem aut conversionem.

Judicium autem illud à Christo homine fieri, vi-
detur colligi ex S. Scripturâ Matth. ult. ubi dicit <sup>Christo habet
mine,</sup> Christus, datam sibi esse omnem potestatem in cœ-
lo & in terrâ, ad quam maximè spectat potestas
judicandi.

Quòd autem animæ è purgatorio exeant, ali-
quando permissione divinâ, ut fidelium orationes
implorent, est manifestum. Cùm verò multi à Chri-
sto & Apostolis sint revocati ad vitam, verosimile
est, eos suisse confirmatos in gratiâ, ne umquam ex
eâ excidere possent, alias maximo suo damno ex-
citati essent, cùm certitudinem suæ salutis semel ha-
bitam perdidissent. Undè sequitur, animas in gratiâ
constitutas suis receptaculis posse egredi. An autem
aliqui ex inferno sint ad vitam revocati, videri po-
test de eo Bellarminus hic, & alii. Hoc tamen hic
notandum est, non omnes continuò animarum ap-
paritiones esse credendas, neque etiam omnes om-
nino rejiciendas, ut faciunt Sectarii nostri temporis,
docentes illas esse meras dæmonum illusiones: con-
stat enim ex S. Scripturâ 1. Reg. 28. animam Sa-
muëlis apparuisse Sauli: itidem 2. Machab. 15. ap-
paruerunt Hieremias & Onias: Moysen quoque
Matthæi 17. Quod verò subindè illusio sit dæmonis
in hujusmodi apparitionibus negari quoque non
test.

§. V.

De suffragiis pro animabus defunctorum.

SUPPONENDUM primò, esse triplex genus suf-
fragiorum, puta Missam, orationem, eleemosy-
nam, & indulgentias. Ad orationem & eleemosy-
nam reducuntur omnia opera pœnalia & satisfacto-

ria. Sunt qui addunt 4. genus scilicet restitutionem, sed perperam : Quia sive illa fiat, sive non fiat, nihil defuncto obest aut prodest per se loquendo, cùm Deus non puniat nisi ob culpam in vita contractam : Si vero aliquando legatur, animas quasdam ob restitutionem reversas esse, dici potest id factum esse ad aliorum instructionem, quòd restituere in vita debeant.

Suffragia profunda defunctis. Dicendum ergo suffragia prodefunctis. Constat ex constanti Ecclesiæ sensu orantis pro mortuis; item Machab. 2. c. 12. ubi dicitur, quòd sit *Sancta & salubris cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Item Apostolus pro defuncto rogavit 2. Tim. 1. his verbis : *Det illi Dominus invenire misericordiam.* Deinde Jacobi 5. dicitur, *Orate pro invicem, id est pro omnibus unius corporis Ecclesiæ membris indigentibus, qualia etiam sunt defuncti.* Imò & Christus tam mortuis quam vivis profuit, mortuus est enim pro peccatis totius mundi, ut vivorum simul & mortuorum dominetur. 1. Joan. 2.

An SS in Cælo orent pro defunctis. Negat quidem Soto, eo quòd Sanctorum oratio non sit satisfactoria; suffragia verò solum prosint per modum satisfactionis. Verum hoc defendi non potest sine periculo erroris, & vel ex sola praxi Ecclesiæ probari potest, quæ Deum orat, ut animas fratrum, sororum, &c. Beatâ Mariâ Virgine intercedente cum omnibus Sanctis, ad perpetuæ beatitudinis consortium, pervenire concedat. Ad rationem Sotii verò dici potest, quòd et si oratio Sanctorum non sit satisfactoria, esse tamen imperatoriam, & eatenus posse animabus applicare satisfactiones Christi. Quomodo autem suffragia prosint defunctis, colligi potest ex iis quæ dicta sunt de indulgentiis. §. 18. in fine.



DE CENSURIS.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Censura.

DICENDUM primò Censura Ecclesiastica nihil est aliud, quam poena Ecclesiastica spiritualis & medicinalis, ita ab Ecclesia imposta, ut ab eadem tolli possit. Quod sit pena spiritualis per se patet, quia censura propter aliquod crimen privat per se quibusdam bonis spiritualibus. Dicitur verò medicinalis &c. ad distinctionem aliarum poenarum Ecclesiæ quæ sunt perpetuae, ut sunt depositio, degradatio, &c. quæ sunt absque spe remissionis & merè punitivæ, non medicinales.

Opponi posset contra datam definitionem, quod Ecclesia non possit privare fideles bonis spiritualibus, cum potestas à Christo data sit Ecclesiæ ad ædificationem, non verò ad destructionem: neque pro suo libitu Ecclesia est domina bonorum spiritualium, sed solum dispensatrix in bonum fidelium.

2. Censuræ cum sint privativæ bonorum spiritualium, non videntur esse medicinales, ac proinde utiles, cum privatio bonorum spiritualium non possit esse utilis.

Ad primum R. similèm potestatem ferendi censuras in Ecclesia vergere ad ædificationem, tam ipsius rei, quam communis boni Ecclesiæ. Datur enim, ut reus suam contumaciam agnoscat ac relipiscat: ^{Quoniam} ^{Censura} ^{et si molles} sic Paulus I. Cor 5. dicit: tradidi eum satanæ, ut spiritus salvis fiat. Deinde, potestas illa etiam vergit in bonum commune Ecclesiæ, dum bono communis expedit, quod putrida membra abscindantur & segregentur, ne totum corpus inficiant, & cætera

Cc 2 timo..

timorem habeant, dum vident pertinaces censuris affligi. *Flagellato enim pestilente, stultus etiam sapienter erit*, Prov. 20.

Hinc colligi potest, quod censuræ sint quoque medicinales & utiles. Etsi enim aliquid incommodi adferant reo, puta quod quibusdam bonis spiritualibus privetur, censentur tamen utiles ac medicinales respectu majoris boni; ad quod de se ordinantur, uti dictum est.

Solet etiam objici, quod Ecclesia non possit privare bonis spiritualibus, cum ea sint interna, quæ Ecclesia non attingit. Resp. quod Ecclesia etiam de internis iudicare possit, dictum est in materia de legibus. Deinde, quod etiam merè interna possint ab Ecclesiâ censurari mox videbimus. Dico tamen Ecclesiam posse privare bonis internis ab externis causatis, v. g. fructu proveniente ex missis, ex suffragiis, Sacraimentis &c. quod fit per censuras.

Ecclesiæ potest ferre censuras, est de fide. Dicendum 2. de fide est, in Ecclesiâ esse potestatem ferendi censuras. Probatur 1. ex Matth. 18. ubi Petro promittitur amplissima potestas clavium ligandi & solvendi, ad quam spectat fideles suos rebelles pœnis compescere & punire, hæc enim potestas in omni republicâ & omni pastori est omnino necessaria. Idem eadem ratione probari potest ex his verbis Joan. 21. *Pasce oves meas.*

Probatur 2. ex continuâ Ecclesiæ praxi. Apostolus 1. Cor. 5. excommunicavit incœstuosum: 1. Tim. 1. excommunicavit Hymenæum & Alexandrum: quod omnes retrò Pontifices & rectores Ecclesiæ sunt secuti. Hinc Ecclesia in Concilio Constantiensi damnat sess. 8. artic. 30. Wiclef, qui sic habet: *excommunicatio Papæ, vel cujuscumque Prælati non est timenda, quia censura Antichristi.* Idem ferè censuit Luther, docens censuras non esse tam timendas, quam optandas; tantum auferre commercia externa &c. quibus etiam adjunxit se Erasmus Rott. docens in colloquiis de fide, quod excommunicatio territet pueros, non verò vires fortes. Di-

Dicendum 3. Communiter statuuntur 3. solum ^{Quot sine} species censuræ, scilicet, excommunicatio, suspen- ^{species cen-}
 sio & interdictum. Alii addunt duas alias, cessationem ^{sunt.} à divinis & irregularitatem contractam ex de-
 licto. Alii denique assignant 7. Verum sententia pri- ^{Irrégula-}
 ma agnoscens tantum 3. Est omnino tenenda. Cef- ^{ritas non}
 sationi enim à divinis uti & irregularitati primariò ^{est Censu-}
 non tam competit ratio pœnæ quam impedimenti; ^{ra.}
 quo ab altari removetur is, qui tale vel tale habet
 impedimentum, quod irregularitati est proprium:
 vel etiam, quod ponatur in signum injuriæ Ecclesiæ
 illatæ, quod cessationi à divinis est proprium: adeo-
 que cessationi à divinis & irregularitas differunt à cen-
 surâ in ratione formalí. Ex quo ulterius deducunt alii,
 quod quando in Jubilæo datur potestas absolvendi à
 censuris, non detur potestas relaxandi irregularita-
 tem ob delictum, uti Navarrus cap. 27. num. 250.
 testatur illum esse curiæ stylum.

§. I I.

Quinam possint ferre censuras, & in quas personas?

DICENDUM primò, Omnes ii possunt ferre cen-
 suras, qui habent jurisdictionem Ecclesiasticam
 ordinariam in exteriori foro, v. g. Papa, Patriar-
 cha, Archiepiscopi, Episcopi & eorumdem vicarii.
 Item capitulum sede vacante, Concilium generale,
 provinciale & synodale, legitimæ regularium con-
 gregationes & ab Ecclesia approbatæ: Itidem ex
 concessione Papæ vel consuetudine legitimè præscrip-
 tâ, habent eamdem potestatem Prælati religionuni
 v. g. Generales, Provinciales, Abbates, Guardiani,
 Priors, Rectores, &c. In omnibus tamen servan-
 da est cujusque ordinis constitutio, quia in quibus-
 dam potestas illa denegatur aut restringitur: sic apud
PP. Societatis excommunicare non possunt Superio-
 res conventuales, sed solum provinciales, ita com-
 Cc 3 pendium

pendium privilegium Soc. verbo *correctio* §. 2. & V.
Apostata §. 7. & 8.

Alii insuper hanc potestatem Parochis dederunt, maximè in rapinâ & surto, quæ tamen potestas illis est ablata per Trid. ses. 25. c. 3. reform.

An femi- na possit ferre Cen- suram. Dicendum 2. Ut quis sit capax jurisdictionis Ecclesiastice juxta aliquos debet esse Tonsuratus, unde aliqui inferunt nec feminam nec laicum posse ferre censuram. Verum, cum hoc solum pendere videatur ex jure humano, verius videtur, tam feminæ quam laico id posse competere. Etsi enim jure divino feminæ non sit data potestas clavium, tamen ostendi nequit ex eo, quod saltem alicujus potestatis partis per Papam non possit reddi capax: quod enim numquam sit concessa talis potestas, non evincit eam concedi non posse, sed quid fieri deceat, solum ostenditur. Laicis tamen etiam conjugatis competere posse eam potestatem est clarus, cum in variis universitatibus Rectores possint esse conjugati, qui & possint excommunicare.

In quos possit ferri ditos viatores. Hinc bruta animalia non propriè *Censura.* ligantur centuris, sed solum adjurantur & exorcisantur ab Ecclesiâ precibus, benedictionibus, &c. Ne fructibus terræ noceant. Mortui autem sunt extra forum Ecclesiæ, et si sint de communione Sanctorum, adeoque censuræ sunt incapaces, ad quam requiritur, quod sint subditi in foro Ecclesiæ. Censuræ quoque incapaces sunt Judæi, gentiles & alii non baptisati, et si etiam temporaliter subditi sint Regibus Christianis. Hinc Paulus, de his qui foris sunt, quid ad nos? possunt tamen omnes baptisati usum rationis habentes ligari censuris, etiam Apostatae & qui transeunt ad judaismum, cum ratione Baptisini sint subditi Ecclesiæ, secundum jurisdictionem Ecclesiasticam. De pueris & perpetuo amentibus, clarum est eos non posse ligari censuris, tum quia delicti non sunt capaces, ob quod censura debet ferri: tum quia moraliter loquendo

quendo subditi non sunt. Variant tamen de pueris ante annos pubertatis, id est masculis ante 14. annum, & feminam ante 12. annum, an ii possint incurre-re censuras: Alii ob imbecillem ætatem hos excusant & docent cum iis mitius esse procedendum: verius tamen dicitur, etiam hujusmodi pueros esse censuræ capaces, quare duo tales tonsurati se se percutientes excommuni-cati censentur Canone *Si quis suadente diabolo* Hic enim canon latus est sine ullâ ætatis restrictione, so-lumque docet hujusmodi pueros ad S. Sedem non esse mittendos, sed ab Episcopo posse absolvi. Ita commu-niter Theologi & Canonistæ. Hoc tamen notandum, debere culpam in ejusmodi pueris esse mortalem, quod saepè sepius deest in illis, quam in aliis pro-ætatis, defœtu plenæ advertentiæ & delibera-tionis.

Dicendum 4. Defuncti tamen etsi censurari non possint, propriè de censurâ loquendo, cum non sint *An in deg
functos,* in foro Ecclesiæ subditi, nec propriè contumaces & correctionis capaces, qui est finis censuræ: Largè tamen & impropriè loquendo aliquando leguntur ex-communicari, v.g. declarando eos discessisse in sta-tu damnationis & excommunicatione, ideoque eos Ecclesia anathematisat, privat suffragiis, sepulturâ sacrâ, &c. Quæ declaratio non est propriè censu-ra lata in defunctos, quia non ordinatur ad emenda-tionem defuncti, etsi ordinetur ad terrorem vivo-rum, dum vident tali poenâ contumaces puniri. Et hoc modo intelligendi sunt *Canones & Doctores*, dum dicunt mortuos ab Ecclesiâ solvi aut ligari, id est im-propriè, quatenus Ecclesia, aliqua permittit aut ye-tat fieri defunctis à vivis.

Dicendum 5. Episcopus non potest ligare censuris *Qui sub-
suum subditum, si crimen sit cognitum extra ejus diti pos-
territorium. Ita statuit cap. ut animarum de consti-
tutionibus in 6. ubi dicitur: Extra territorium jus dicen-
ti non patetur impunè. Intelligi id debet, quamdiu degit
extra territorium, nec in illud redit. Neque tamen* *sunt cen-
surari.*

eadem ratio est de Religiosis peccantibus extra suum Monasterium , nisi fortè peculiari indulto sint exempti , cùm Religiosus ubicumque degat , sit subditus suo Superiori , & Superior Religiosus censeatur habere totum mundum pro territorio.

Episcopus quoque existens extra suum territorium non potest ligare censurâ suum subditum , prout colligitur ex cap. *Novit de officio legati* , eo quòd extra territorium non habeat tribunal , ad quod citari possit subditus & audiri. Hoc autem intelligi debet , nisi veniam habeat ab ordinario loci , in quo degit. Sic etiam Episcopi expulsi , possunt agere censuris in loco vicino suæ diecœsis in suos expulsores , si id in diecœsi suâ agere impedianter.

*Possunt in
eundem
ferris plu-
res censu-
ra.*

Dicendum 6. Ligatus unâ censurâ potest denuò ligari alâ , non tantum diversæ speciei , sed & ejusdem. Sic , qui ligatus est unâ censurâ excommunicationis , accidente novâ contumaciâ potest ligari aliâ. Imò ob eatdem culpam potest quis à diversis superioribus ligari eâdem excommunicatione. Sic etiam ob furtum sacrilegum , duæ possent incurri excommunicationes , una constituta furto , alia Sacrifilio.

¶. III.

*Ob quam causam possit ferri censura , & quæ à cen-
surâ excusat*

*Censura
debet fer-
ri propter
culpam .
Et qui-
dem gra-
vem.*

DIENDUM primò , Cùm censura sit propriæ poena , debet ferri propter culpam sive peccatum. Hinc sequitur primò , ut poena sive censura sit justa , debet proportionata esse culpæ : Adeòque cùm censuræ Ecclesiæ sint poena gravis , supponere debent culpam gravem , ne si ob leviores culpas censuræ ferantur , disciplina Ecclesiæ contemnatur. Sequitur secundò , Quòd quidquid excusat à culpâ excu-

excusat etiam à censurâ actui annexâ vel omissioni, v. g. inadvertentia, ignorancia, metus, &c. de quibus postea.

Dicendum 2. Verius esse, quod censura ferri possit ob peccatum occultum. Probari id potest ex dictis de legibus, quod Ecclesia puniat credentes, &c. Potest ferri ob pecatum occultum. ob actus mere occultos. Imò hanc praxim diu in Ecclesiâ fuisse, tradit Morinus de poenitentiâ c. xxvi. ubi ait, quod quamvis alicui durum videatur, quod crima occulta publicâ poenâ puniantur, si tamen quis in memoriam revocet ea, quae ab annis 500. hucusque in Ecclesiâ statuuntur, docentur, scribuntur: Deprehendet Ecclesiam perpetuò sibi vindicasse autoritatem nonnulla peccata occultissima, & quae naturâ suâ, nisi reo sponte confitente, eingerere non possent, publicè & gravissimè puniendi. & num. 3. addit: Sane viri gravissimi & numero non pauci censuerunt Ecclesiæ autoritatem hucusque sepe disfundere, scilicet ut peccatis mere internis censuras possit infligere, & assignat Antoninum, Panormitanum, Adrianum, Majorem, &c. Imò & Tertullianum. Hinc colligo, censuras ferri posse in peccata occultissima, imò & interna, si aliquo modo exterius prodantur: Denique, quod Ecclesia censuras ferre non possit in actus mere internos, non tam venit ex parte potestatis Ecclesiæ, quam defetu notitiae. Vide dicta de legibus.

Dicendum 3. Ad incurrandam censuram requiriatur actus consummatus juxta scopum legis, id est ea consummatio, quam lex requirit, ut incurritur poena. Hinc si excommunicetur occisor, non incurritur censuram, si solum percussit vel vulneravit: Debet actus esse consummatus, cum furta censuram. si vulnerans, non incurret eam, qui percussit sine vulnere. Si verò mandans aut consilens excommunicentur, videndum est, an lex absolute in tales ferat censuram, an verò tantum effectu secuto; in casu vero dubii, si lex sit absoluta, videtur absolute intelligenda.

Dicer-

Ad cen- Dicendum 4. Cùm jure divino requiratur in censurandum surato contumacia, sequi videtur non posse excommunicari v. g. aliquem, ob peccatum præteritum in reo censuram. sine contumaciâ in futurum. Hinc quando in quibusdam religionibus quidam ob peccatum præteritum excommunicantur & arcentur à divinis officiis, non est ea excommunicatione propriè dicta, sed solum poena, non censura.

Ignorantia excusat a censurâ. Dicendum 5. Ignorantia invincibilis facti, vel legis excusat à peccato, adeoque & à censurâ, quæ ob peccatum infligitur. Idem est de indeliberatione, metu & aliis quæ auferunt voluntarium & consequenter culpam. Variant tamen authores, an ignorantia censuræ, excusat à censura idest, si quis ignoret actui alicuius annexam esse censuram. Pro cuius pleniori intelligentia Notandum est, censuram aliquando ferri terminis generalibus, aliquandò verò cum certo modo, v. g. qui scienter, studiosè, advertenter hoc vel illud fecerit: si priori modo generaliter feratur, ignorantia vincibilis censuræ, quæ sufficit ad mortale peccatum, non excusat quoque à censurâ; quia sicut scire potest & debet legem, dum eam vincibiliter ignorat: ita etiam censuram annexam illi legi. Imò ut censuram incurrat, non requiritur necessariò, quòd censuram noscat illi legi esse annexam, uti communis est opinio: sufficit enim quòd sit contumax contra legem Ecclesiæ, ob quod Ecclesia censuram infligit, quod fieri potest, et si censuram ignoret esse annexam.

Alii tamen illud notant quoad ordinationes superiorum ordinariorum maximè ob cap. *ut animarum:* ubi dicitur de constitutionibus in 6. sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, varios excusari ab incurriendâ censurâ, dum nihil de eâ audierunt, vel audire facile potuerunt; maximè cùm censuræ tamquam odiosæ sint restringendæ, quæ opinio multis placet in praxi, non tantum de jure ordinariorum, sed & de quocumque jure positivo, dum quis invincibiliter ignorat actui suo annexam

nexam esse censuram. An verò ignorantia illa vincibilis sit an invincibilis, colligi poterit ex circumstantiis, ignorantis, pro diligentia in cognoscendo aut ejus negligentia &c.

Dicendum 6. multis modis fieri potest, quod censura sit nulla. Primò censura est nulla seu invalida, si constet censuram ferentem non habere jurisdictionem. Secundò si præcipiat rem impossibilem, turpem, contrariam bono communi &c. quo casu omnis lex est nulla. Unde generatim quot modis lex non obligat, etiam censura lata in prævaricatores legis, est etiam nulla & invalida. Tertiò censetur censura esse nulla, si nullo modo sit proportionata culpæ, v.g. si pro re parvi momenti ponatur excommunicatio. Quartò si lex quoad est coercitiva, numquam sit recepta, vel abrogata vel consuetudine contraria vel legitimâ præscriptione.

Hoc tamen hic notant plerique, debere in moraliter constare legem esse nullam tam ex parte legislatoris, quam ex parte materiæ: si enim hoc sit solum verisimile, standum est pro legislatore & lege, quibus est possessio; unde quia motiva legislatoris non sunt ita omnibus manifesta, non debet facile judicari de invaliditate censuræ, nisi prudenter constet de contrario. Sæpè enim superiori aliquid est grave, & ut tale injungitur, quod subditis, quos latent motiva legislatoris, & superioris, apparel leve & nullius momenti. Quare in casu dubii habere se debet reus ut ligatus censurâ.

Dicendum 7. censura lata ab homine secundum allegata & probata contra innocentem non est valida, in tantum, ut ratione sui obliget in conscientia: non enim verosimile, quod Ecclesia velit tantis bonis privare innocentem. Tenetur tamen talis censuram illam servare eousque, ne dei scandalum aliis fidelibus, quasi autoritatem Ecclesiæ vellet contemnere. Unde inferunt aliqui, illum qui innocens excommunicatur, celebrando non incurrire irregularità.

lalitatem , communicantes cum ipso non incurrit excommunicationem minorem , nec coram Deo privari communibus Ecclesiæ suffragis.

§. I V.

De modo seu formâ, quâ fertur censura.

DI CENDUM 1. variis modis potest ferri censura, nempe vel ab homine , vel à jure ; alia est latæ sententiæ, alia sententiæ ferendæ , alia fertur absolutè & alia conditionatè. Censura lata à jure est , quæ fertur instar legis constanter duraturæ , neque cessat morte eam ferentis. Censura ab homine lata est , quæ instar sententiæ fertur à Judice , & latore physicè vel civiliter mortuo , expirat. Censura latæ sententiæ, est quæ ipso facto incurritur ; sententiæ ferendæ est , quæ alicui facto per judicem est infligenda. An autem censura aliqua sit latæ sententiæ an ferendæ , judicari & colligi debet ex tenore verborum , v. g. si dicat , *ipso facto excommunicetur , ipso jure , eo ipso , &c.* Erit centura sententiæ latæ : si vero dicatur , *qui hoc fecerit , excommunicetur , excommunicabitur , &c.* Aut etiam si aliquid sub poenâ excommunicationis solum prohibeat , erit sententiæ ferendæ.

Absoluta & conditio-
nata. Censura absolutè fertur , quæ sine apposita conditione fertur. Conditionatè , quæ sub conditione fertur , nec nisi eâ positâ incurritur.

Quomodo censura debet ferri. Dicendum 2. Ut censura dese valeat , satis est quod feratur aliquo signo externo & sensibili , quo voluntas judicis innorescat , sive illud sit vox , sive scriptura : ut tamen licet feratur , debet ferri scripto , in quo etiam causa exprimitur , alioqui eam ferens peccat , & suspenditur ab ingressu Ecclesiæ , quâ tamen poenâ aliqui eximunt Episcopum.

**Prærequisi-
tum mo-**
ritus Dicendum 3. Cum ordinatione Ecclesiæ , censura non feratur nisi ob contumaciam contra Ecclesiam vel

Vel Superiorem, videtur ordinariè prærequiri aliqua monitio, cùm contumacia sine aliquâ monitione pœviâ vix possit intelligi. Si tamen censura feratur delicto futuro, non requiritur admonitio à lege vel prohibitione diversa, cùm ipsa lex per se sufficienter moneat, alias nulla censura ipso factâ poterit incurri. Admonitio hæc ex præscripto juris debet esse trina, aut trinæ æquivalens, v. g. quando judex semel admonens, relinquit terminum aliquem deliberandi, significans hanc unam monitionem esse loco trium. Aliud esset, si foret periculum in morâ, quo casu unicâ tantum monitione factâ posset judex progredi ad sententiam.

Monitiones tamen illæ debent fieri ipsi reo, vel ^{Quomodo} ~~monitus~~
saltem eo modo, ut ad ejus notitiam facile possint ^{debetas}
devenire, idque coram testibus, uti habetur ^{capt. fieri,}
Sacro de sent. excommun.

§. V.

De absolutione à Censuris.

DICENDUM primò, Censura lata ab homine ^{Aquo tol-}
tollitur communiter ab eo qui eam intulit, vel ^{tatur censu-}
ab ejus successore, vel à superiore vel delegato. Di-
co *communiter*, quia in articulo mortis, quilibet Sa-
cerdos absolvere potest à censuris. Debet tamen ille,
qui censuram intulit, retinere jurisdictionem, ut
eam possit tollere: hinc si privetur officio, non po-
terit ab eâ absolvere. Successor tamen ejus in eadem
authoritate, potest ab eâ absolvere. Hinc capitulum
sede vacante, potest tollere censuram ab Episcopo
latam: idem est de capitulo regulari, mortuo præ-
lato. Superior itidem eam tollere potest, qui non
solum dignitate, sed etiam jurisdictione est superior,
respectu personæ & quoad causam, de qua agitur.
Denique delegatus potest vi jurisdictionis sibi à supe-
riore

riore communicatæ etiam tollere censuras: ita tamen, ut delegans absolutionem sibi non reservaverit: fit enim sacerdos, ut delegans confirmet censuram à delegato latam, ita tamen, ut delegans sibi absolutionem ab eadem reservet.

*A quo
non reser-
vata.*

Dicendum 2. Censura lata à jure, si non sit reservata, tolli potest ab omni eo, qui potest absolvere à peccatis mortalibus respectu ejus, quem potest absolvere. ita colligitur ex capt. *nuper* de sent. excommu. quod etsi solum agat de excommunicatione minori, & de Episcopo ac proprio Sacerdote; communiter tamen idem intelligitur de omni aliâ censurâ non reservatâ, uti & de omni alio Confessario legitime approbato.

*A quo re
servata.*

Si verò censura sit reservata, ordinariè non potest tolli, nisi ab authore legis, vel ejus superiore, vel ab eo, qui in jurisdictione illi succedit, vel denique à delegato. Dico *Ordinariè*, quia in articulo mortis nulla est reservatio, ut dicitur in Conc. Trid. sess. 14. c. 7. Imò in illo articulo valdè probabiliter dicitur, quod etiam inferior clericus non sacerdos possit absolvere ab excommunicatione & interdicto personali: Quod aliqui colligunt ex cap. *Pastoralis* §. Præterea de officio judicis ordinarii, ubi dicitur, quod in illo articulo possit specialiter excommunicatus absolviri ab alio, quam ab eo, qui excommunicavit, aut à superiore, indicando simul, quod per *Alium* velit significare omnem illum, cui jurisdictione Ecclesiastica potest communicari. Neque dici hic potest, quod absolutio illa hic erit planè inutilis, eo quod excommunicatus (si dederit doloris signa) poterit absolviri post mortem: Quia ea absolutio equidem ad hoc erit utilis, ut mente destituto detur viaticum aut extrema unctio; quod pro eo publicè oretur, sacrè sepeliatur, quod non posset fieri à quovis sacerdote post mortem, si censura esset reservata, sed solùm ab eo, cui est reservata, vel ejus delegato.

Con-

Contraria tamen sententia, scilicet, quod nemo non Sacerdos possit absolvere ab aliqua censura, satis plausibiliter docetur à variis, eo quod collectio prædicta ex dicto capitulo sit valde infirma, neque de cætero dicta facultas ullo jure vel consuetudine probari possit, imò contrarium sit fortè magis expediens ut major Censuræ habeatur aestimatio.

Pro praxi tamen absolutè verum est, quod in articulo mortis deficiente sacerdote, aut illo præsente, molente tamen absolvere, possit & debeat quivis clericus, etiam primæ tonsuræ, absolvere à censuris moriturum. Ratio ejus est, quod sententia prior sit satis probabilis: adeoque eo casu, in quo extrema tentanda sunt, sit tenenda. Imò hoc multi extendunt eo casu ad Laicum deficiente Clerico, quod ille debeat moriturum absoluere, qui pro eo casu etiam ab Ecclesiâ statuitur judex ob ingentem necessitatem, & hoc Ecclesiam posse, ipsis est in comprehendendo.

Dicendum 3. à Censuris Papæ reservatis absolve-
re possunt Episcopi in casu quarundam occurrentium
circumstantiarum: an vero absolvere possint in vim ^{sunt à com-}
^{An Epis- copi absolv}
privilegii illis. à Conc. Trid. sess. 14. reform. c. 6. ^{verò p- f-}
diximus agendo de hæresi. Dictæ vero cir-
cumstantiæ sunt, magna infirmitas, ratione cuius ^{pa reservat}
censemur excusati ad adeundum Pontificem, ad ob-
tinendam dictam facultatem. 2. Periculum gravis
damni sive in rebus fortunæ, sive in viâ, sive in
salute. 3. Paupertas tanta, ut spectabilis conditione
personæ, non sufficiat ad subeunda onera, ad eam
absolutionem à Papâ obtainendam. 4. Defectus æta-
tis, v. g. grandæva senectus. 5. Fragillitas sexus,
v. g. feminæ. 6. Obligatio alendi familiam. 7.
Cura animarum. 8. Servitus. 9. Nimia loci distan-
tia. 10. Omne impedimentum, quod prudenti ju-
cio judicatur legitimum & sufficiens, ne quisteneat-
tur adire Pontificem, eo quod censeatur prudenter,
Pontificem nolle subditos suos illis casibus obligare
ad se conueniendum.

An

An verò inipeditus quidem adire Romam , teneat tamen epistolam mittere , vel agere per procuratorem pro absolutione , variant authores . Verius docere videntur illi , quod , si commode id fieri possit (ut sappè fit) omnino id fieri debeat , cùm eo casu non censeatur prudenter Pontificem velle impendi absolutionem ab Episcopo , dum commode ipse vel per litteras , vel per procuratorem potest conveniri . Prædictam facultatem , ratione similium impedimentorum , variis concedunt Parochis , quoad reservata Episcopis , scilicet , quod possint Parochi absolvere à censuris Episcopo reservatis , quandò Episcopus non potest commode conveniri . Ratio ejus est , quod in casu similium impedimentorum , censuræ illæ non censeantur Episcopis reservatae , & eo posito simul verum est , quod dicit Con . Trid . sess . 14 . c . 7 . inferiores confessarios extra mortis articulum nihil posse in reservatis , quia eo casu censuræ illæ non sunt reservatae .

Dicendum 4 . absolvi etiam aliquandò possunt à censuris Papæ reservatis , vel per bullam cruciatæ , in qua datur facultas , quā quis bis , semel scilicet in vita , & semel in morte absolvi potest ab omnibus casibus & censuris Papæ reservatis excepto hæresi etiam sine onere comparendi : vel etiam per specialia privilegia ab ipso Papa data , absolvere quidam possunt à censuris Papæ reservatis . Si verò generaliter det Pontifex facultatem absolvendi à casibus sibi reservatis , non censemur comprehensi casus Bullæ Cœnæ , neque casus hæresis , nisi exprimantur , eo quod casus illius Bullæ specialiter reserventur , & consequenter indigent speciali expressione in concessione facultatis absolvendi ; hinc & idem habet praxis , & stylus curiæ , quod expressè addatur à casibus nobis reservatis , Etiam in Bullæ Cœnæ , etiam ab hæresi .

An Religiosorum in hac materia attinet , Notandum I . omnia omnino eorum sint a cœna Præfelicia , quæ habebant viæ vocis oraculo , ante Urba-

Urbanum VIII. ab eodem esse sublata 1631. die 20. *suris Pa-*
Decembbris. Secundò, quod ad casum hæresis attinet, pa reservat
notanda est hæc Alexandri VII. Censura lata in di-
ctum articulum damnatum num. 4. anno 1665. Pre-
lati regulares possunt in foro conscientie absolvere quo scum-
que sacerdtales ab heresi occultâ, & ab excommunicatione
proppter eam incarsâ. Tertiò notari potest, quod per nul-
la mendicantium privilegia absolvî possint, simoniaci
in ordine collato aut suscepso, à suspensione per Six-
tum V. impositâ, & à Clemente VIII. confirmata,
eo quod apertè satis derogatum ibi sit eorumdem pri-
vilegiis, de quo videri potest Rodrig. qq, Regul. tom.

1. q. 20. art. 13. De cætero rectè monet hic Exim. D. *Religiosi*
Sylvius, quod Religiosi, qui habent facultatem ab-
solvendi à censuris reservatis, debeant diligenter con-
siderare vigorem sui privilegii: item, si habeant fa-
cultatem absolvendi à casibus & censuris reservatis *bene con-*
siderens sua privi-

legia.
Episcopis, non idèò possunt absolvere ab iis, quæ re-
servantur Papæ, etiam iis casibus, quibus Episcopi
interdum ex peculiari concessione possunt ab iis absolv-
vere: cùm ejusmodi censuræ non possint dici Episco-
pales, quæ solæ sunt illæ, à quibus Episcopi possunt
ordinariè in omni casu absolvere, & non solùm ex
commissione in certâ circumstantiâ. Ita ferè Sylvius.

Quæret aliquis, an qui ab Episcopo accepit facul-
tatem absolvendi à casibus ipsi reservatis censeatur
simul accepisse facultatem absolvendi à censuris,
Episcopo reservatis? Affirmant aliqui satis probabi-
liter, cùm sub nomine casuum reservatorum veniant
etiam omnes illi casus, qui censuram habent an-
nexam. Alii tamen addunt, attendendam hic esse
concedentis intentionem, qui nisi quid speciale de
ea facultate exprimat, non censetur eam concedere,
cùm absolutio à censuris habeat specialem difficulta-
tem, quæ proinde generali concessione non videtur
comprehendi: ita rursum D. Sylvius.

Quæres insuper, an quando datur facultas absolv- *Quid ab-*
vendi à censuris in foro conscientiæ, possit exerceri sibi in
Tom. III. D d dicta

foro censuris. dicta facultas extra Sacramentum pœnitentiæ. Resp. Notari primò potest tunc dici in foro conscientiæ siue interiori absolvì à censuris, quando quis absolvitur, salvo jure cognoscendi de illo delicto, in foro exteriori, & pro eo poenam & satisfactionem imponendi. An autem solum in foro interiori, an in utroque, puta in exteriori & interiori, detur illa facultas absolventi, ex forma concessionis potest dignosci. Si vero ea facultas detur simpliciter, uia datur in bullâ cruciatæ & quibusdam aliis; variant authores, an censorius comprehendendi facultas pro utroque foro. Varii affirmant ex eo, quod favores sint ampliandi, ut habetur in utroque jure, juxta regulas juris in 6. deinde, quod forum exterius & interius debeant sibi conformari. Alii tamen verius putant, quod dicta facultate generaliter datâ, non detur facultas absolventi in utroque foro: primò, quod illicet videatur absolvî censuratus, absque eo quod satisfaciat Iudici, quem contumaciter offendit: 2. quod alias maximè detraheretur autoritati & vigori fori exteriori, si toties quoque absolveretur in foro externo, quoties absolveretur quis in interno. 3. Eo quod absolutione pro foro externo semper specialiter soleat peti & expressè concedi. Ex quibus omnibus rectè concludi potest, absolutionis facultatem generaliter datam, solum comprehendere absolutionem pro foro interno, maximè cum Pontificis intentio sit, dum similem facultatem concedit, censuratum liberare à peccatis, ad lucrandas Indulgentias aut Jubilæum, uti ex bullis patet.

Absolutio censura non debet necessariò fieri in Sacramentum Pœnitentiæ. His ergo positis, ad quæstionem satis communiter respondent D.D. quod dicta facultas exerceri possit, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, eo quod censura ex suâ naturâ non exigat relaxari in Sacramento Pœnitentiæ, unde etiam Episcopus confirmatus, imo in mortis articulo quilibet clericus, & juxta aliquos etiam laicus potest absolvere à censuris. Nec quidquam obest, quod dicatur in Bulla, In foro

foro conscientiae, eo quod hoc soleat in'elligi (ut dictum est) prout opponitur foro contentioso : seu ad securitatem conscientiae. Idem docent , si quando addatur in Bullâ , *Poteris Confessarius, Sacerdos Confessarius absolvere* , imò , etsi de iur facultas absolvendi in foro Pœnitentiae : tum quod prioribus verbis non exigatur actuale ministerium Pœnitentiae , sed solum conditio personæ , quæ à censuris absolvat , etsi extra Sacraumentum : tum etiam , quod per id , in foro Pœnitentiae , sano sensu & Ecclesiæ usu intelligi possit prout distinguitur contra forum contentiosum : imò etsi dicatur in Bullâ *confessionibus diligenter auditis* Non debet absolutio fieri in Sacramento Pœnitentiae , eò quod dicta particula restringat id , à quo debet in illo actu absolvî , puta peccata , non verâ censuras , quæ extra Sacramen:um possunt deleri.

Ex dictis colligi potest , quod ei si pœnitens ob defectum aliquem non consequatur absolutionem à peccatis , tamen consequatur absolutionem à censuris , eo quod supponatur Sacerdos velle absolute absolvere à censuris , quæ absolutio non necessariò connectitur absolutioni à peccatis , uti mox dictum est.

Dicendum 5. Religiosi non exempti à jurisdictione Episcopi , non possunt absolvî à censuris à Prælati suis , sed ab Episcopo , qui proprius eorum est Prælatus : exempti verò , à suis superioribus absolvî possunt , cùm Prælati ejusmodi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem ordinariam , quam proinde etiam possunt delegare. Excipe tamen casum , quo potestas eorum aliquando est restricta à superiore v. g. generali , reservanti sibi aliquarum censurarum absolutionem : unde , quo ad hanc facultatem , consulendæ sunt cuncte ordinis constitutiones. Hoc quoque hic notari potest , quod Religiosus Confessarius habens à Papa privilegium absolvendi à censuris Papæ reservatis , possit absolvere in vim dicti privilegii alium Religiosum à Censurâ tali , si in Religione illâ non sit reservata talis censura. Denique , hoc pro praxi notant variis ,

*Superior
debet esse
facilis ad
dandum
facultas.
item absol
vendi a
reservatis*

rii, quod superior Religiosus rogatus ab alio Confessario Religioso pro facultate absolvendi quempiam à censurâ reservata, teneatur, etiam aliquando sub peccato mortali, dare dictam facultatem, nisi aliud quid urgens obstet, puta, si frequens esset reincidentia, aut quid simile.

Dicendum 6. Potest quis absolvit ab una censurâ, remanente alterâ si sit pluribus censuris irretitus, eo quod censuræ sibi mutuò non necessariò connectantur. Sit tamen superior habens potestatem, indefinite dicat, *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti*, & ipsi de pluribus pœnitentis censuris constet, censetur pœnitens ab omni censurâ absolutus, cum talis intentio censeatur esse in absolvente, & de cætero adeo sufficiens potestas ab omni censurâ absolvendi. Aliud esset, si in supplicâ, fecisset pœnitens solùm mentionem unius censuræ, tunc enim solùm censeretur superior velle absolvere ab illa censurâ, pro quâ fuit petita absolutio, idque etsi esset absolutio indefinita & universalis.

*Absolvi
potest ab-
fens à cen-
surâ.*

Dicendum 7. Poterit absolvit à censuris absens, unde a liqui inferunt, quod si Confessorius oblitus fuerit absolvere pœnitentem ab excommunicatione, vel si ab eâ eum absolvat, ad quam tamen ejus facultas se non extendit: possit postea obtentâ ad hoc facultate, eumdem pœnitentem, etsi absentem, absolvere. Poterit itidem absolvit à censuris ille, qui est planè invitus, & qui permanet in contumaciâ, si illud foret necessarium aut valde expediens bono communi, vel etiam si expediret bono privato censurati sine detimento boni communis, v. g. si prudenter timeatur, quod si diutius in censura perseveret, fiet deterior, aut in communitate timeatur sedatio, Ecclesiæ perturbatio, &c.

*Etiam de
functus.*

Poterit quoque à censuris absolvit defunctus: cum enim etiam post mortem maneat censura, v. g. excommunicatione, saltem quoad aliquem effectum, v. g. quod non possit sepeliri in loco sacro, & quod prive-

tur

tur communibus Ecclesiæ suffragiis; sequitur quòd à censura quoad hos effectus possit defunctus absolviri. Requiritur autem ad hanc absolutionem, quòd defunctus dederit signum resipiscientiæ. Absolviri autem debet ab eo, qui eum in vita à censuris potuisset absolvere. Si verò jam sit sepultus, non est necesse eum ex humiliari, ut verberetur, sed satis est, si verberetur sepulchrum. Hæredes verò tenentur implere satisfactionem, si quæ agenda sit, prout ferunt opes à defuncto reliæctæ: non tanien tenentur in se suscipere obligationes personales defuncti. Si autem censura illa fuisset occulta, docent multi, non esse necessarium procurare absolutionem, sed esse dissimulandum: consultius tamen est, etiam secretò querere absolutionem, eo quòd non sit planè certum, quòd suffragia pro tali oblata, illi prosint non absoluto, prout aliqui docent.

§. V I.

De Ritu absolvendi à Censuris.

DICENDUM primò, Qui ligatus est censurâ propter aliquam læsionem factam proximo, non potest absolviri, nisi adhibitâ prius satisfactione: imò ^{Debet præs} _{requiri} ^{satisfactio} qui aliàs talem absolvit, mortaliter peccat, & ad restitutionem aliquando ipse obligatur, juxta dicta in materia de restitutione. Satisfactione autem illa non debet semper re ipsâ esse facta, sed aliquando sufficere posset fidejussio, caucio, juramentum satisfaciendi, aut quid simile.

2. Qui in articulo mortis absolvitur à censurâ ab aliquo qui de jure eum absolvere non poterat, in- ^{Ut postea} _{se sistat super} ^{iori} jungendum est pœnitenti, ut postea (si convalescat) se sistat superiori, à quo de jure absolviri potest.

3. Si per privilegium solum in foro conscientiæ

We forum externum molester. quis absolvatur à censurâ , exigendum est à poenitente efficax & firmum propositum , quod eâ absolutione non abutetur , perturbando forum externum cum aliorum scandalô , sed quod se , quoad illud forum , geret ut censuratus ,

Aliquem do jura- mentum. 4. Quoad crimina horrenda , v. g. incendiariis , falsariis , &c. exigendum est juramentum de cætero ab iisdem abstinenti , quamquam ad valorem absolutionis , tale juramentum non necessariò exigitur.

Ritus absolvendi in foro extero ab excommunicacione. Dicendum 2. Absolutio à censuris in foro externo saltem quoad excommunicationem debet fieri eo ritu , qui præscribitur in c. *Anobis de sentent. excom. puta* , quod absolvens beat dicere psalmum *Miserere* , & interim flagellare excommunicatum virgâ in humeris , postea dicere *Kyrie eleison* , *Pater noster* , & deinde dictis aliquot versiculis in Cærimoniali contentis , dicenda est oratio , *Deus cui proprium est misericordia* , &c. Ac tandem dicat : *Auctoritate Domini N. IESU Christi* , & *Apostolorum Petri & Pauli* , mili concessâ , *absolvo te à vinculo excommunicationis* , *quam incurrisli ob hanc vel illam causam* , & *restituo te Sacramentis Ecclesie & Communioni fidelium in nomine Patris* , &c. Hæc tamen absolutionis forma , non ubique est recepta , unde mori seu præscriptio cujusque Ecclesiæ hic est attendendum , quæ præscribunt cujusque Ecclesiæ cærimonialia vel Pastoralia.

Absolutio ad cautelam & ad reincidentiam. Notanda tamen antea est distinctio absolutionis à censurâ , quâ alia dicitur absolutio ad *cautelam* , alia ad *reincidentiam* : prior est , quando dubitatur , an quis censuram incurrit , & solet dari ante absolutionem pénitentis à peccatis. Posterior est , quando tollitur censura , ita tamen , ut rursus in eam incidat , nisi hoc vel illud certo tempore præstiterit . Et hæc de censuris in genere.

§ VII.

De Excommunicatione.

EXCOMMUNICATIO n il est aliud, quam censura Ecclesiastica, quā quis separatur à communione Ecclesiae. Id innuit ipsa vox, *excommunicatio*, quasi extra communicationem factus. Dicitur verò à *communione Ecclesiae*, eo quod excommunicatione solum privet iis bonis, quae sunt sub potestate Ecclesiae, & quorum distributio ad Ecclesiam spectat: quapropter non separat excommunicatione à communione purè internâ, quae sit per gratiam, fidem, & charitatem. Figurata est olim in L. V. per exclusionem leprosorum è castris & aliorum inmundorum. Imò ipsa ratio dictat, membrum putridum à communione aliorum esse segregandum.

Excommunicatione alia est minor, alia major. *Quid si excommunicatio* Major, est censura, per quam quispiam punitur pri-vaione Sacramentorum Ecclesiae, & suffragiorum, & convictu civili, seu omni exteriori communione fidelium. Minor verò est, quae solum separat à communicatione Sacramentorum. Per excommunicationem tamen solitariè sumptam intelligitur excommunicatione major, & tantum valet, quantum *Anathema*. Notant verò Chrysost. hom. 5. in c. I. ad Tim. & alii, Deum aliquandò in primitivâ Ecclesiâ permisisse, ut excommunicati visibiliter & corporaliter ob siderentur à dæmone, idque ut eo magis timeretur excommunicatione, & à peccatis deterretur.

Quinam autem excommunicare possint, sufficienter colligi potest ex dictis §. 2. Hoc tamen cum Concilio Trid. ses. 25. c. 3. notandum est, excommunicationem majorem, non nisi ob graviora crimina esse ferendam, ne si temerè feratur, facile contineatur, unde sobriè & circumspicè est ferenda, & ubi ferenda.

catera correctionis media deficiunt. Unde non est ea ferenda, quando executio realis vel personalis fieri potest, vel alia ratio suppetit damni avertendi. Unde eā potestate abutintur, & graviter peccant superiores, aliqua sub excommunicatione prohibentes, quae sub pœna vel aliis mediis potuissent impedire.

E ffectus excommunicationis Effectus verò excommunicationis majoris sunt varij. 1. quòd privet Communione Sacramentorum tam activâ, quam passivâ, sive quòd nec illa ministrare valeat, aut percipere. Imò, si exerceat actum ordinis, sit irregularis.

2. Quòd privet publicis Ecclesiæ suffragiis, quae Ecclesia illis subtrahit; dicitur *publicis*, id est, quae nomine Ecclesiæ pro omnibus aut aliquibus applicantur, eo quòd quis privatim pro excommunicatis suffragia offerre possit, & pro illis orare; undè etiam Sacerdos, ut est privatus minister, potest in Missâ pro illis orare.

3. Privat officio divino, cui nec publicè, nec privatim potest interesse. Non tamen excusat à recitatione horarum privatâ, si sit in sacris, aut habeat beneficium.

4. Privat externo convictu fidelium.

5. Facit collationem beneficij excommunicato factam, esse nullam: undè in litteris pontificiis, quibus beneficia conferuntur, solet dari absolutio ad cautelam, ad effectum litterarum consequendum.

6. Irritam reddit gratiam per rescriptum à sede Apostolicâ obtentam: undè eādem ratione solet dari ejusmodi absolutio ad cautelam.

7. Privat voce activâ & passivâ in electionibus, non solum ad beneficia Ecclesiastica, sed & ad dignitates sacerdtales, quibus annexa est jurisdictio, v.g. Regalem, Ducalem &c.

8. Liberat subditos ab obedientiâ excommunicatorum tam sacerdariuni, quam Ecclesiasticorum, si excommunicatio sit publica.

9. Suspedit ab officio & beneficio.

10. Excom-



10. Excommunicatus non potest esse testis , ad-vocatus , actor , procurator.

11. Si per annum in excommunicatione contumaciter permanserit , potest contra eum tamquam suspectum de hæresi procedi , ita Con. Trid. sess. 25. c. 3. reform.

12. Si in excommunicatione moriatur , quod corpus (si ab aliis dignosci possit) debeat exhumari , idque ab eo publicè in pœnam , qui eum scienter in loco sacro sepelivit. Unde sequitur , quod excommunicatio privet sepulturā sacrā.

§. VIII.

*Quomodo sit intelligenda excommunicatio Canonis ,
si quis suadente diabolo , contra percussores
Clericorum.*

CANON est ille : *Si quis suadente diabolo manus vi-*
lentas in Clericum vel Monachum injecerit , anathe-
matis vinculo subjaceat . & nullus Episcoporum illum pre-
sumat absolvere , nisi mortis urgentis periculo , donec Apo-
stolico conspectui præsenietur. In hoc canone varia no-
tari possunt pro praxi : primò quidem , qui compre-
*hendantur nomine percussoris : scilicet , omnis ille , *Quid per-*
qui possit mortaliter peccare , sive vir sit , sive mu-
lier. An verò eo nomine etiam intelligi debeat man-
dans , aut consulens , variant Auctores , alii affir-
mant , eo quod illi sint veræ causæ morales injuriæ
Clerico illatæ , idque satis plausibiliter. Qui verò
violentæ tali percussione non obstat , cum potest &
debet , maximè ex justitiâ , v. g. judex , pater , tu-
tor , magister , parochus , etiam satis verosimiliter
*huic censuræ subjacent , ob dictam rationem.**

Sub percutiende etiam comprehendi potest ipse clericus , se ipsum violentè percusiens irato animo , aut ex desperatione vel tædio vitæ : non tamen illi qui

qui ex dolore aut disciplinâ sese verberant, eo quod illis casibus non sint injuriosi statui clericali. Nec potest dici, quod hoc casu Clerico volenti sese verberare, non fiat injuria; cum non possit clericus illud velle aut in illud consentire, quo casu non habet locum dictum axioma, *volenti & scienti non sit injuria*: uti alibi diximus de adulterio consentiente marito.

Quis Clericus. 2. Notari potest persona, quem violentia manu percuitur, puta Clericus aut Monachus. Sub Clerico comprehendere initiatum vel primâ tonsurâ, aut aliquo ordine minori. Varii tamen Clerici hic non comprehenduntur, puta qui ob aliquam causam non amplius gaudent privilegio Canonis, v. g. qui publicè exercent officium Lanionis, cauponis, ludionis, mihi, parasiti &c. Sub Monacho vero comprehenduntur omnes Religiosi & Religiosæ, etiam conversi & novitii, qui omnes gaudent privilegio Canonis, & in favorabilibus habentur Religiosi, etsi solùm in viâ sint ad religionem: undè eorum delicta etiam enormia, ab Ecclesiastico Judice debent judicari, & puniri. Equites vero certæ congregationis v. g. S. Joannis, Jacobi &c. si in communi degant & votum solemne castitatis, paupertatis & obedientiae emittant, juxta varios gaudent privilegio Canonis: non itidem illi, qui solùm vovent castitatem conjugalem, & obedientiam aliquam limitatam, quidquid aliqui in contrarium dicant.

Quid de Tertiariis. Idem ferè dicendum est, de tertiaris S. Francisci vel S. Dominici. Illi enim, qui sub ordine mendicantium habentur ex concessione Sixti V. sub tertia illorum Regulâ, certum est, eos sub nomine Monachi hic comprehendendi. Illi vero tertiarii, qui religiosi non sunt, sed solùm ex devotione aliquâ & affectu religionis vel habitum assumunt, omnia sua offerunt & regulam observant, non videntur hic sub nomine Monachi comprehendendi, nec gaudere privilegio canonis.

Idem

Idem quoque est de Eremitis, quorum aliqui verè ^{Quid de} Eremitis, sunt religiosi, aliqui verò non sunt, qui solum habitum deferunt, nullum votum soleinne emittentes, qui proinde nec religiosi sunt, nec gaudent privilegio canonis.

Sed quid de Canonissis & Begginis Belgii? Canonissas dictas, Ecclesiasticas esse, et si sacerulares, latè probat Bertrandus Loth. q. 2. de eisdem art. 2. & ut alios canonicos in sortem Domini vocatas, & ob eam causam ab aliis personis laicis esse distinctas: undè etiam Ecclesiasticorum munia obeunt, horas decantant, orationi & divinis officiis incumbunt, idque non ex privatâ devotione, sed ex publico instituto, & earum collegia dicuntur Capitula, auctoritate Ecclesiastica visitantur, ab eâ diriguntur, & ut alii Ecclesiastici gubernantur.

Idem dicit præfatus author de Begginis Belgii, ^{Quid de} quod sint Ecclesiastice, & à Laicis distinctæ, quod ^{Begginis,} ex instituto orationi & aliis ecclesiasticis exercitiis incumbant, quod Ecclesiastica auctoritate visitentur, & ut aliae personæ ecclesiastice ab Ecclesiasticis gubernentur.

His ergo positis, videtur easdem, ut alias personæ Ecclesiasticas gaudere privilegio canonis, & consequenter eos, qui in easdem manus violentias injiciunt, hác censurâ innodari. Nec obstat, quod illæ non sint initiatæ aut professæ solemniter, eo quod hoc non requiratur ad personam Ecclesiasticam, uti patet in monialibus, quæ initiatæ non sunt, & tamen sunt personæ Ecclesiastice. Neque etiam requiritur quod sint professæ, uti patet in clericis primò tonsuratis qui tamen gaudent privilegio canonis; adeoque ^{Quid de} etiam dictæ canonicae & Begginæ, cum sint verè Ecclesiastice. Aliud est de devotis, quæ Ecclesiastice ^{Quæ suis devo-} non sunt, sed merè Laicæ & & sacerulares.

3. Considerari poterit illa vox, *Manus violentias*, ^{Quid sit} idest ipsa percussio, quâ communiter auctores intelligunt non solam percussionem propriæ dictam ^{inferre manus violentias.} sed

sed & omnem actionem injuriosam externam & corporalem circa Clericum aut Monachum v. g. illum occidere , vulnerare , percutere , eum violenter detinere in publico , per viam illi auferre vestes , pileum , &c. Requiritur tamen , ut dicta injuria censetur gravis in ratione injuriæ , quâ ratione fieri potest , ut percussio de se quidem sit levis , sed tamen sit gravis in ratione injuriæ , v. g. si quis illum virgulâ percutiat in facie , si in illum expuat , sordibus jaciat & deturpet , quæ actiones , etsi physicè sint leves , tamen spectata conditione personæ Clerici , prudenti & morali judicio estimantur graves.

Inaniter tamen aliqui eximunt illum à censurâ , qui veneno Clericum interimit , cum actio illa sit maximè injuriosa , & quæ ac si quis Clericum aut ense aut sagittâ aut bombardâ occideret . Excusant tamen à censurâ hâc Monialem gravidam , quæ veneno aut aliâ potionē fœtum extinguit , cum non sibi , sed fœtui faciat injuriam , adeoque nec statui Ecclesiastico sit injuriosa.

*Regula
generalis*

Generaliter autem censetur hic violentas manus injicere in Clericum , qui ponit talēm actionēm , quæ prudenti & morali judicio censetur graviter injuriosa Clerico *Ut tali* : Quod addo , quia actio aliqua potest esse graviter injuriosa Clerico , non ut Clerico , sed ut personæ communi , v. g. si aliquis laceraret vestes Clerico non adhærentes , si quis clanculo ei surripiat aureum aut bursam. Requiritur ergo utriusque gravis injuria Clerico , ut Clerico , id est , censetur irrogari gravis injuria statui Ecclesiastico.

Excusantia ab hâc censura. 1. ignorantia Clerici , item imperfectio aut inadventitia actus , quâ de causâ excusari possit , qui subito motu aut passione ob aliquod probrum agitatus Clericum percutit aut protrudit : Item , qui joco illum percutit : Qui vel famæ vel corporis , vel pudicitiae defendendæ causâ eum verberat cum justo moderamine inculpatæ tutelæ ; quâ ratione aliquando

do feminis consultum fuit, Clericos sibi importunos & ad libidinosa sollicitantes, acriter percutiendo repellere cuius exemplum de se refert Thomas Cantip. de apibus. Sic etiam excusat, qui Clericum percutit causâ disciplinæ, v. g. quando Magister, Pater, aut Herus, Clericum, Discipulum, Filium, aut famulum verberat ; quando quis Clericum turpiter agentem cum uxore, filiâ aut sorore percutit : Ratio horum omnium est, quod dictis casibus non censetur percussio fieri *Suadente Diabolo*, sed potius suadente passione aut disciplinæ Zelo.

A dictâ excommunicatione regulariter loquendo *Quis dis-
solus Pontifex potest absolvere, uti expressè ex ver-
b's bullæ citatis constat.* Alii tamen ex privilegio idem possunt, uti sunt legati à latere, & ipsi Episcopi, in casu quo est difficilis ad prædictos concursus, uti alibi dictum est, deinde etiam ordinariè Episcopi & superiores ordinum, quandò percussio est levis, aut mediocris, non enormis. Idem dic de capitulo sede vacante. Censetur verò ex se enormis percussio in jure, quandò ex eâ sequitur mors vel membra mutilatio, vel magna sanguinis effusio ex aliâ corporis parte, quam è naribus, vel aliâ ex quâ facile solet fluere. aliquandò etiam erit enormis ex parte personæ, si sit superior aut Episcopus, qua ratione colaphi cæsio de se quidem mediocris respectu clerici paris, erit enormis, si infligatur Episcopo aut Superiori. Verùm generaliter hoc notandum quod gravitas aut levitas ex morali potissimum dependeat iudicio.

§. I X.

De Viandis Excommunicatis.

EXCOMMUNICATOS vitandos esse jure divino *An iure
divino de
beatu-
tari* docent aliqui ex eo, quod Christus Matth. 18. *beant ut
dicat ejusmodi nobis esse debere, ut Ethnicum &*

Pu-

Publicanum: Item quod Paulus dicat ad Tit. 3.
Hereticum hominem devita. Denique quod Epist. 2.
 Joan. dicitur, *Ne ave ei dixeris.* Sed infundatè. Si
 enim jure divino deberent vitari, certè concilium Ba-
 fileense & Constantiense non potuissent ordinare, ut
 solum aliqui excommunicati vitarentur, cum Eccle-
 sia non possit abolere jus divinum generale. Ex di-
 cits enim locis solum sequitur, quod debeant vitari
 quando id necessarium est ad nostrum vel illorum
 bonum, puta ne ab ipsis pervertamur, aut illos in
 suâ contumaciâ foveamus, extra quem casum ne-
 cessitatis lex illa Christi non obligat. Alia loca solum
 innuunt, esse legem Apostolicam, ut dicit Fabianus
 Papa cap. *Sicut Apostoli.* In qua, Ecclesia potest ex
 causâ dispensare, & eam ex parte abolere.

**Duo tamen genera excommunicatorum solum
 sunt genera vitanda.** Duo tamen genera excommunicatorum solum
 sunt genera vitanda esse sanxit Ecclesia, scilicet qui nominatim
 essent denunciati, & publici Clericorum percusso-
 res. Hinc Hæretici publici et si excommunicati, non
 debent vitari, quia non sunt nominatim excommu-
 niciati, ut hic habet praxis in Belgio.

In quibus debent vitari. Porro illi duo vitari debent in iis, quæ continen-
 tur hoc versu: *Os, Orare, Vale, Communio, mensa negatur,*

Os significat collocutionem verbis aut litteris fa-
 Etiam osculum aut similia amicitiae signa.

Orare significat communicationem orationis pu-
 blicæ, aut officii Ecclesiæ publici, v. g. Missæ, Chori
 processionum, &c.

Vale, Significat omnem salutationem sive verbis
 sive litteris factam, sive gestu corporis. Licet tamen
 resalutare, quia hoc exigit obligatio gratitudinis &
 urbanitatis.

Communio importat omnem contractum & societa-
 tem in negotiis.

Mensa verò significat, quod non possimus cum ex-
 communicato manducare in eadem mensâ.

Si quis scienter in dictis casibus communicet cum
 ex-

excommunicato, peccat mortaliter, cum in materia gravi contraveniat de recte mandato Ecclesiae. Quid vero agendum sit sacrificanii, si excommunicatus tempore Missæ ingrediatur, dictum est alibi de sacrificio.

Excusant tamen certæ circumstantiæ ab iisdem vi. In quibus non debet
tandis, quæ continentur hoc versu:
utile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

Utile, significat, quando id exigit vel illius vel mea magna utilitas, v. g. ut illum convertam, aut ab eo consilium necessarium exquiram.

Lex. Significat legem matrimonii, quâ conjuges si bi mutuo possunt & debent communicare, maxime in petitione & redditione debiti.

Humile importat quod ratione servitutis aut subjectionis, servi v. g. filii &c. communicare possint cum suis Heris, parentibus &c. per *res ignorata* intellegitur ignorantia, quâ nescitur aliquis esse excommunicatus.

Necesse vero significat, vel ejus vel meam necessitatem: sic medicus licet eum curat, hospes eum recipit hospitio.

Hoc denique circa dicta notandum est, ipsos excommunicatos teneri vitare alios, sive illi publicè *nicatus* sive occultè sint excommunicati. Id aperte dicit *debet vitare alios* Concilium Constant. his verbis: *per haec tamen non insendimus excommunicatis ullum jus concedere, aut eos in aliquo sublevare.* Totum enim decretum, quo decernitur, quod soli nominatim denuntiati & publici percussores Clericorum debeant vitari, est in favorem aliorum & ad sedandas conscientias timoratas, non vero in aliquem favorem excommunicati.

De absolutione ab excommunicatione, diximus in fine de censuris in genere, de earundem absolutione.

§. X.

*De suspensione, &c interdicto.**Quid sit
suspensio.**Quatu-
plex.**Suspensi-
o laica.*

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.

27.

28.

29.

30.

31.

32.

33.

34.

35.

36.

37.

38.

39.

40.

41.

42.

43.

44.

45.

46.

47.

48.

49.

50.

51.

52.

53.

54.

55.

56.

57.

58.

59.

60.

61.

62.

63.

64.

65.

66.

67.

68.

69.

70.

71.

72.

73.

74.

75.

76.

77.

78.

79.

80.

81.

82.

83.

84.

85.

86.

87.

88.

89.

90.

91.

92.

93.

94.

95.

96.

97.

98.

99.

100.

101.

102.

103.

104.

105.

106.

107.

108.

109.

110.

111.

112.

113.

114.

115.

116.

117.

118.

119.

120.

121.

122.

123.

124.

125.

126.

127.

128.

129.

130.

131.

132.

133.

134.

135.

136.

137.

138.

139.

140.

141.

142.

143.

144.

145.

146.

147.

148.

149.

150.

151.

152.

153.

154.

155.

156.

157.

158.

159.

160.

161.

162.

163.

164.

165.

166.

167.

168.

169.

170.

171.

172.

173.

174.

175.

176.

177.

178.

179.

180.

181.

182.

183.

184.

185.

186.

187.

188.

189.

190.

191.

192.

193.

194.

195.

196.

197.

198.

199.

200.

201.

202.

203.

204.

205.

206.

207.

208.

209.

210.

211.

212.

213.

214.

215.

216.

217.

218.

219.

220.

221.

222.

223.

224.

225.

226.

227.

228.

229.

230.

231.

232.

233.

234.

235.

236.

237.

238.

239.

240.

241.

242.

243.

244.

245.

246.

247.

248.

249.

250.

251.

252.

253.

254.

255.

256.

257.

258.

259.

260.

261.

262.

263.

264.

265.

266.

267.

268.

269.

270.

271.

272.

273.

274.

275.

276.

277.

278.

279.

280.

281.

282.

283.

284.

285.

286.

287.

288.

289.

290.

291.

292.

293.

294.

295.

296.

297.

298.

299.

300.

301.

302.

303.

304.

305.

306.

307.

308.

309.

310.

311.

312.

313.

314.

315.

316.

317.

318.

319.

320.

321.

322.

323.

324.

325.

326.

327.

328.

329.

330.

331.

332.

333.

334.

335.

336.

337.

338.

339.

340.

341.

342.

343.

344.

345.

346.

347.

348.

349.

350.

351.

352.

353.

354.

355.

356.

357.

358.

359.

360.

361.

362.

363.

364.

in ordine inferiori, censetur etiam suspensus ab ordine superiori. Item, Suspensus ab ordine superiori, non censetur suspensus ab ordine inferiori. Ratio dictorum est, ^{Regulae} quod quando prohibetur minus, censetur prohibe- ^{pro ius- punctione.}
ri majus, non tamen contra. Non ideo tamen, quando Episcopus v. g. suspenditur à collatione diaconatus, suspenditur etiam à collatione Sacerdotii, eo quod sint diversæ functiones unius ordinis, quarum una non est alteri annexa.

Si verò sit suspensio à beneficio vel beneficiis; privatur quis fructibus beneficiorum, & juxta aliquos etiam distributionum, quæ ratione beneficii dantur: alii tamen posterius illud negant, eo quod distributiones non orientur directè ex beneficio, sed ratione alterius, quod beneficio annectitur. Hoc tamen in jure communiter advertitur, quod suspensus à beneficio ob delictum, possit percipere de fructibus beneficii, quantum satis est ad simplicem sustentationem. Qui verò ita suspensus est ob contumaciam, nihil ex illis percipere potest, cum se resipiscendo à suspensione liberare possit, & fructus iterum percipere.

Suspensio verò tolli potest per appellationem præcedentem sententiam judicis, eò quod legitima appellatio ex dispositione juris auferat judici potestatem ulterius procedendi, nisi ex speciali privilegio aliud sit statutum, ut quando jura statuunt, quod procedi possit, non obstante appellatione. Sic etiam appellatio improbabilis nihil obstat, quia ut dicitur in jure, cap. *Ad nostram*, de Appellationibus, *remedium appellationis*, quod jure introductum est ad sublevandos innoxios, non debere in patrocinium improborum converti.

Appellatio verò suspensionem subsequens, tollit ^{Et aliquā-} censuram suspensionis, si versetur circa materiam ^{do substa-} temporalem, qualis est etiam suspensio à beneficio, ^{quent.} quæ versatur circa fructus beneficii, qui sunt merē temporales; Unde suspensio à beneficio per subsequentem appellationem impeditur, & suspensio

poterit interea percipere fructus beneficii. Idem aliqui docent de suspensione à Pontificalibus.

*Definit a-
liquando
per seip-
sum.* Definit etiam aliquando per se ipsam suspensio , uñ quando lata est ad certum tempus , donec aliquid fiat , aut non fiat , quibus casibus suspensio tollitur tempore elapso , aut posito aut omisso eo , quod præfigebatur. De cætero tollitur per superiorem legitimum , de quo vide dicta de censuris in genere §.

*Forma ab
solusionis
à suspen-
sione.* Forma autem absolutionis ejus est hæc : *Absolvo
te à vinculo suspensionis , quam incurristi ob talem causam ,
et restituo te executioni ordinis tui vel officit , in nomine
Patris , &c.*

*Quid in-
terdictum.* Interdictum est censura , quâ prohibentur certa Sacra menta , officia divina & Ecclesiastica sepulta ra. Alind est *locale* , aliud *personale* , aliud *mixtum* :

Locale *locale* est , quo prohibentur fieri prædicta in certo loco. *Personale* est , quo alicui personæ prohibentur prædicta : *mixtum* quandò personæ & in certo loco simul. Ex dictis collige , esse triplicem effectum inter-

Effectus *interdicti* , scilicet prohibere certa Sacra menta , officia divina , & Ecclesiasticam sepulturam. Licet tamen tempore interdicti conferri Baptisma , tam parvulis , quam adultis , Confirmatio , Pœnitentia & Eucha ristia moribundis , imò etiam pœnitentia illis qui non fuerunt causa interdicti , nec dederunt auxilium , consilium aut favorem : non tamen sine speciali pri vilegio extrema Unctio , nec ordo , nec Eucharistia , nisi moribundis. Verius tamen non poterit admini strari Matrimonium , eo quod Ecclesia administrationem Sacramentorum , tempore interdicti prohibeat , nisi expresse aliud excipiat. Aliqui tamen dicunt , posse sine solemnitate illud administrari , eo quod sit solum contractus , & licet sit Sacmentum , tamen videtur esse intentio Ecclesiæ , illa sola Sacra menta prohibere , que sunt ex administratione ministrorum Ecclesiæ : Minister autem Matrimonii , juxta illos , sunt ipsis contrahentes , cuius contrarium nobis videtur probabilius , uti dicam de Matrimonio.

Sub

Sub officio divino comprehenditur, solemnis benedictio aquæ, chrismatis, templi, calicis, recitatio horarum choralis, celebratio Missæ; jure autem antiquo singulis septimanis licebat facere unam Missam ad renovandum Sacramentum pro infirmis quod jus Bonifacius VIII ita mitigavit, ut liceat quotidie tempore interdicti dicere unam Missam & alia officia submissâ voce, ianuis clausis, interdictis exclusis, sive pulsu Campanæ, ne quidem ad sanctus vel ad S. Hostiæ elevationem: exceptis tamen certis diebus, scilicet, Pascha, Pentecostes, Assumptionis B. V. quibus diebus ianuis aperitis & pulsatis campanis officia divina possunt celebrari. Videri potest cap. *almain* 6.

Quod verò ad S. Sepulturam attinet, notari potest, quod sub hac poenâ non comprehendantur Clerici: deinde, quod etiam ii omnes, qui tempore interdicti potuerunt interesse sacris, possint etiam separari in loco sacro, eo quod, quibus communicavimus vivis possimus communicare defunctis,

His annexa est *Cessatio à divinis*, quæ & *suspensio* ^{*Quid cessatio à divinis*} organorum dicitur, & nihil est aliud, quam prohibitus Ecclesiæ, quâ ad detestandum dolorem suum ob immane aliquod crimen contra Ecclesiam vel Deum perpetratum, prohibetur, ne Clerici in Templo divina officia obeant, ut hac ratione reus corriganter. Differt ab *interdicto*, quod qui causam dedit interdicto, specialiter interdicatur, secùs in cessatione à divinis. Item quod Clericus in interdicto exercens ordinem Sacrum fiat irregularis, non autem in cessatione dictâ.

Depositio quoque & *Degradatio* his dictis sunt satis affines: *Depositio* est poena Ecclesiastica quâ Clericus in perpetuum privatur officio & beneficio, retento solo privilegio Canonis & fori Ecclesiæ. Solet ea vocari *Degradatio verbalis*. *Degradatio realis*, quæ & *degradatio simpliciter* dicitur, est poena Ecclesiastica, quâ Clericus in perpetuum privatur officio & beneficio.

Ritus de gradatio-
nis. etiam privilegio fori & Canonis, unde instar Laici potest tractari & verberari. Fieri autem debet cum certa ceremonia: si degradandus sit Episcopus, debet hoc fieri à Metropolitano, assistentibus 12. Episcopis. Si Sacerdos, ab Episcopo proprio assistentibus 6. Episcopis: si Diaconus aut Subdiaconus assistentibus 3. si vero tot Episcopi haberi commodè nequeant, adhiberi possent Abbates mitrati, immo in horum defectu personæ aliæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ. Degradandus vero sicutur indutus vestibus sui ordinis, ante Episcopum, instrumenta Sacra manus gestans, quibus ab Episcopo privatur, sub certa verborum formâ in Pontificali præscriptiâ.

§. X.

De Irregularitate.

Quid ir-
regulari-
tum. REGULARITAS est impedimentum Canonis cum, seu per Canones introductum, per se & directe impediens susceptionem ordinis vel ejus usum. Hinc patet primò, quod nil inducat irregularitatem, nisi in jure sit expressum, excepto tantum casu, quo dubitur, an hic occiderit, & an cum moderamine inculpatæ tutelæ, quo casu habetur ille, de quo dubitur, ut irregularis: ita jura expressè statuerunt in detestationem homicidii, tamquam quod maximè dedeceat mansuetudinem Ecclesiasticam. In aliis tamen casibus dubiis, non habet locum dicta exceptio.

Oritur ex
delicto &
ex defec-
tu. Oritur autem irregularitas ex delicto, quando imponitur ob aliquam culpam: & ex defectu aliquius, quod ad debitam functionem Ecclesiæ requiritur.

Defectus
lenitatis Irregularitas ex defectu ad 4. reduci potest. Prima est ex defectu lenitatis seu ex hominis occisione aut mutilatione justâ. Excipitur ab hac irregularitate, occiso facta ad necessarium sui defensionem, que-

verò

Verò occisio sit talis, prudenti judicio est disjudicandum: non tamen occisio offensiva aut judiciaria: unde miles in bello justo alterum invadendo occidens, Judex reum condemnans, accusator talis rei, advocatus accusatori favens in causā sanguinis, testis, si sequatur mors vel mutilatio: notarius sententiam scribens, dictans aut recitans: omnes Ministri Justitiae & omnes alii qui efficaciter censentur cooperari ad mortem vel mutilationem, censentur ex hoc defectus irregularares. Fit etiam irregularis Sacerdos reo afflensis, sese sententiæ executioni immiscens, de quo egimus agendo de reo, in z. z.

In hac irregularitate dispensare potest Papa, & juxta aliquos Episcopi, eo quod dictum homicidium in jure æquivaleat homicidio casuali, in qua dispensant Episcopi. Itidem dispensare hic possunt omnes ii, qui habent privilegium dispensandi generaliter in omni irregularitate excepto homicidio voluntario, bigamia & defectu natalium.

Provenit quoque irregularitas ex homicidio voluntario, quam incurruunt omnes ad illud efficaciter concurrentes, in tantum, ut si plures eundem vulneraverint, & nesciatur ex cuius iectu sit mortuus, omnes sint irregularares. Aliud tamen est, si vulnus de se non fuerit lethale, & incuria medici fiat lethale: quo casu, ille qui vulneravit, liberatur ab irregularitate, cum mors non sequatur ex vulnere sed aliunde. Mandans tamen & consulens censentur irregularares, si mors sequatur ex mandato aut consilio. Imò non obstans, qui ex justitia obstat tenebatur, fit quoque irregularis, eo quod talis in jure habeatur reus homicidii: hoc tamen intellige, si dolosè omittat talis homicidium impedire.

Sub homicidio voluntario comprehenditur etiam illud, quod est voluntarium in causa & indirecte, v. g. si quis intentus operi alicui, non adhibeat debitam circumspectionem, & alterum suā actione occidat, fiet irregularis: v. g. Si quis lapidem ex fene-

strâ dejiciat in publicum, neque videat aut clamet; ne quem tangat.

Ex defectu corporis. Irregularitas autem ex defectu corporis oritur **ex tali corporis deformitate**, ut Sacrum Mysterium nequeat decorè ministrari. Talis deformitas est, si careat quis naso, altero oculo, pede, &c. Item epileptici, sive qui patiuntur morbum caducum: qui sunt ita manci, ut sine fulcris subsistere nequeant: in dubio autem an deformitas sit sufficiens ad inducendam irregularitatem, Episcopi est disjudicare.

Irregularitas hæc ordinariè tantum tollitur per dispensationem Pontificis, vel alterius ex ejus privilegio.

Ex bigamia. Alia est irregularitas ex bigamiâ sive secundis nuptiis orta. Fundatur hæc in S. Scripturâ, dum Apostolus 1. Tim. 3. & Tit. 1. requirit in Episcopo, Diacono, &c. Ut sint unius uxoris viri, id est non bigami. Ratio verò hujus est, non quod secundæ nuptiæ male sint, sive non sint Sacramentum, sed quod careant quadam Sacramenti ratione, cum per secundas nuptias non bene significetur unio Christi cum Ecclesiâ tamquam unicâ suâ sponsâ, cujus personam Clerici debent gerere.

Bigamia. Porro Bigamia hæc irregularitatem causans est triplex, una *vera*, alia *interpretativa*, alia *similitudinaria*. *Verâ* est, quando quis duas uxores legitimas habuit sive habet, & cum utrâque consummavit. *Interpretativa* est, quando quis contrahit cum viduâ, vel cum corruptâ: vel etiam quando quis cognoscit suam uxorem, quæ adulteriū commisit, idque notorium sit, aut evidenter probatum. *Similitudinaria* est, si professus vel ordinatus ordine S. Matrimonium contrahat cum aliquâ, & affectu maritali consummat. Item si Clericus vel Laicus contrahat cum moniali professâ. Denique si mortuâ uxore initieris safaris, & postea Matrimonium ineas, quibus casibus censetur esse Bigamia, & incurri irregularitatem.

In hâc Bigamia potest dispensare Pontifex, in verâ autem

autem & interpretativâ non potest Episcopus , nisi ad ordines minores : in similitudinariâ autem potest , etiam ad maiores.

Postrema irregularitas ex defectu , est irregularitas illegitimorum , sive illorum , qui non sunt natu^{flu nata} de legitimo thoro. Fittamen s^ep^e, ut proles , quæ tempore nativitatis aut conceptionis non erat legitima , per subsequens matrimonium legitimetur. In dubiis autem , an proles sit legitima , quoad Ecclesiastica censetur talis: hinc expositii censentur tales. Aliud est in foro civili , in quo expositii habentur illegitimi , nisi contrarium probetur.

Irregularitas hæc tollitur per professionem religionis approbatæ , ita ut professus fiat habilis ad ordines sacros , non tamen ad dignitates & prælaturas , undè nequit esse Generalis , Provincialis , Abbas sine dispensatione Papæ.

Irregularitas insuper provenit ex aliquibus delictis , ac primò ex delicto publico , cui est annexa infamia ^{infamis.} juris , quæ incurritur vel per sententiam judicis de aliquo crimen convictem , vel per crimina , quibus de jure annexa est infamia. Talia sunt perjurium in judicio , simonia , sodomia , usuræ usurarum , duellum , sacrilegium , haeresis , crimen lesæ maiestatis , fautorem esse , receptatorem , defensorem hæreticorum , & eorum filii.

Aliter provenit irregularitas ex delicto circa Sacra-^{Ex delicto} menta , v. g. si quis bis baptisetur sciens , aut eum-<sup>circa Sacra-
menta.</sup> dem bis baptiset absolute , id est sine ullâ conditio-
ne. Qui bis confirmatur , aut confirmat , bis ordi-
natur , aut ordinat : bis eamdem hostiam consecrat ,
juxta aliquos sunt etiam irregulares , quod melius
alii negant , cùm nihil deis in jure sit expressum , &
alii solum hoc inferunt à pari aut à majori , quale
argumentum in his positivis est nullum.

De irregularitate ex homicidio voluntario , dictum est in anterioribus.



CAPUT DECIMUM

De Extremâ Unctione.

SECTIO I.

Quod extrema Unctio sit Sacramentum.

*Quid sit
ext. un-
ctio.*

*Vnde di-
catur ex-
trema.*



DICENDUM primò *Extrema Unctio*, est unc^{tio} olei benedicti, in certis corporis partibus facta à Sacerdote, adhibitā certā formā verborum, & certis ritibus. Dicitur *extrema*, ad distinguendam illam à reliquis unctionibus, v. g. catechumenorum, confirmatorum, ordinatorum &c. tum etiam, quia confertur in extremo vitæ, tum denique, quia confertur post alias unctiones. Dicitur quoque *corporis curatio*, quo nomine libentissimè utuntur Hæretici. Aliquando etiam dicitur *manus impositionis*, ut appellatur à Possidio S. Augustini discipulo & amico, in ejus vitâ cap. 27. idem fit à S. Antonino i. p. chron. c. 1, tit. 5. §. 14. vocant verò eam hoc nomine, vel quia sine manus impositione non conferebatur, vel quod effectum manus impositionis causabat, puta sanitatem corporalem, ut constat ex Marci 5. & vlt: vel etiam, quod conferat sanitatem animæ, quam poenitentia, quæ dicitur *manus impositionis* confert & causat.

*Est Sacra-
mentum.*

Dicendum 2. *Extrema unctio* est Sacramentum, quidquidogganniant sectarii. Patet hoc ex Conc. Trid. sess. 14. c. 1. item ex Jacobi cap. 5. ubi ait: *infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesie & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Da-minus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei. Quibus verbis,*

verbis, ut ait Conc. Trid. sess. 14. c. 1. ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam; proprium ministerium & effectum hujus salutaris Sacramenti.

Duo sunt, quae hic potissimum objiciunt sectarii: primò, quod hic sit sermo de curatione per donum miraculorum, adeo ut modo hoc dono cessante, sit superstitionis in eam adhibere. Alterum, quod Epistola illa Jacobi non sit canonica, unde eamdem stramineam vocat Luther; Imò S. Hieron. & Eusebius expressè dicunt, eam à S. Jacobo non esse conscriptam, imò esse notham. Verùm ad primum quod attinet, apertè colligitur hoc esse falsum vel ex eo solo, quod donum miraculorum, non solum ægris, sed & cœcis, claudis &c. adhiberi poterat, ubi tamen Apostolus vult ungi solos infirmos. Adeo, quod donum illud non esset oleo alligatum, quod tamen Apostolus requirit. Ad aliud respondeo, epistolam illam esse canonicam, judicavit semper tota antiquitas & Ecclesia, cui si in hac parte fides denegetur, quomodo quis sciet aliquem scripturæ librum esse canonicum, cum hoc ex sola traditione constare possit? imò ipse Calvinus confiteratur eam esse canonicam, & ait: *ego, quia nullam ejus (Epistolæ) repudiandæ causam justam video, libenter eam sine controversia amplector.* Idem faciunt & alii. D. Hieronymus autem dicit epistolam illam in initio fuisse dubiæ fidei, sed progressu temporis autoritatem sacram obtinuisse. Eusebius verò ait, eam quorundam opinione esse adulterinam, sed addit: *nos autem scimus in plurimis Ecclesiis publicè esse receptam:* pluris verò hic valet publica Ecclesiæ acceptatio quam quorundam privatorum opinio.

Dicendum 3. Verius videtur extremam unctionem non institui Marci 6. ubi dicitur: *Ungebat oleo mulitos ægros, & sanabant: Tum quod hæc unctio primariò spectabat ad curationem corporalem, ubi sacramenta primariò spectant ad curationem spiritualem: tum quod*

Apostolus

Apostoli tum non essent Sacerdotes, & non solum ægros, sed & claudos ungebant, imò etiam non baptisatos. Ea propter dicit Conc. Trid. ses. 14. can. 1. extremam unctionem Marci 6. insinuatam, id est ad umbratam & velut in figura expressam. Verum quidem est quod Patribus Tridentinis loco particulæ *insinuatum*, quæ habetur in Tridentino ses. citatâ, proposita fuerit particula *institutum*; sed fallit Petrus Suavis dum in pseudo Historiâ vult particulam *institutum* communi Patrum consensu fuisse propositam. Nam ut bene Cardinalis Pallavicinus lib. 12. cap. 12. Histor. Tridentin. uno mense ante formationem decreti pluriimi Theologi observaverant id esse falsum. Et talis, inquit, fuit specialiter *Judocas Ravenstheyn Theologus Lovaniensis ex mandato Reginæ Mariae Tridentum missus.*

Quando- Dicendum 4. Circa institutionem ejus ita definit
nam & Conc. Trid. ses. 14. in procœmio. *Clementissimus redem-*
quare in- *prior noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutari-*
picuta. *bus remediis, adversus omnia omnium hostium tela esse*
prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacra-
mensis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se inte-
greros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo
possint: ita extrema unctionis Sacramento finem vitæ, tam-
quam firmissimo quodam præsidio, munivit. Nam et si adver-
sarius noster occasiones per omnem vitam querat & capiet,
ut devorare animas nostras quoquo modo posset: nullum ta-
men tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versuti &
nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia, etiam
si possit, divine misericordiae deturbandos, quam cum im-
pendere nobis exitum vitæ perspicit. Ubi Concilium insti-
tutionem ejusque causam & congruentiam appositè
declarat & proponit. Institutum verò videtur in ulti-
ma cœna, quando Christus Apostolos suos Chrisma
facere docuit, ut patet ex Epistola Fabiani: licet enim
propriè de oleo Confirmationis sit sermo, de omni ta-
men Chrismate loquitur ibidem Pontifex, maximè
cum ratione unctionis Mariæ Magdalenæ, Christus
sit

fit occasionem nactus, de hac & omni alia unctione differendi. Hoc quoque falsum est, quod docet Calvinus, authorem hujus Sacramenti esse Innocentium, qui tamen expressè dicit, primum hujus Sacramenti præconem fuisse D. Jacobum.

SECTIO II.

De materia extrema unctionis.

DI CENDUM primò, *Hujus Sacramenti materia est Oleum olivæ ab Episcopo Benedictum*, ita Conc. Flor. *ext. un-*
Conc. Trid. verd. ses. 14. c. 1. Ecclesia, ait, *intellexit* *Glossa.*
materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. Oleum autem propriè est oleum olivarum, unde oleum amygdalarum, raparum, nucum, &c. Non est hujus Sacramenti materia. Debet quoque oleum illud *Benedictiss.*
esse benedictrum, prout ex continua Ecclesiæ praxi *alii.*
constat. Hujus autem benedictionis minister ordinarius est Episcopus, idque non tantum ex præcepto, sed etiam ad necessitatem Sacramenti. Probabile tamen est, posse simplicem Sacerdotem ex commissione benedicere oleum unctionis, prout patet ex veteri Græcorum praxi ab Ecclesia Latina approbata: Clemens enim VIII. in constitutione quæ incipit, *Instructio super aliquibus ritibus Græcorum*, §. 3. ita habet: *non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta præter Chrisma ab Episcopis Latinis diœcesanis accipere, cum ejusmodi olea ab eis, in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur seu benedicantur: Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo etiam juxta eorum ritum benedici potest, cogantur accipere*. Hinc, etsi simplex Sacerdos non possit benedicere Chrisma, poterit tamen benedicere oleum extremæ unctionis, quæ diversitas ex praxi Ecclesiæ constat.

Dicendum 2. Ad dictam olei benedictionem, non requiruntur determinata verba, cum in diversis Ecclesiis

444 DE EXTREMA UNCTIONE.

Ecclesiis forma benedicendi sit diversa. Unde colliguntur aliqui, & valde probabiliter, valere extremam unctionem collatam chrismate confirmationis, cum in illo sit oleum olivarum ab Episcopo benedictum, neque requirantur determinata verba ad ejusdem olei benedictionem. Antamen Ecclesia requisierit determinata verba, tamquam necessaria ad benedictionem olei, valde dubium est & incertum, atque ideo de valore talis sacramenti dubium erit: quod enim ab aliquibus docetur, quod verba benedictionis illius debeant significare effectum hujus Sacramenti, sicut sine fundamento dicitur, ita idem aequo jure negatur.

Oleum quatum.

Dicendum 3. Oleum unctionis debet quotannis renovari, uti ex praxi & usu Ecclesiae constat, & satis ex rituali Romano agente de hoc Sacramento, & dicente, vetere oleo in coenâ Domini combusto, novum esse benedicendum. Si tamen ob bella aut alia urgentia impedimenta, non possit acquiri novum, posset quis veteri oleo uti. Si verò sine urgenti necessitate ægrum quis ungeret oleo veteri, moraliter peccaret, cum in re gravi sine necessitate contraveniat Ecclesiae statuto.

Oleum mixtio.

Licitum quoque est oleo consecrato admiscere aliud oleum non consecratum, in minori tamen quantitate: nec ideo tali mixtione, oleum illud non benedictum, fit benedictum sed eâ mixtione illud fit, quod oleum benedictum ad plures possit extendi, adeo ut numquam moraliter loquendo fieri possit, quin unctionis fiat aliquâ saltem parte olei benedicti, quod est unum moraliter cum oleo benedicto, cui mixtione illa imbibitur.

Materia proxima.

Dicendum quartò, Unctio est materia proxima hujus Sacramenti, quæ juxta Ecclesiae praxim fieri debet per modum crucis. Poterit illa fieri unicâ etiam guttâ olei, cum tali guttâ possit quis dici moraliter unctus. Non tamen debet Sacerdos immediatè tangere infirmi membrum, sed poterit virgula aut calamo linire: unde & Pastorale Mechliniense agens de hoc Sacramento dicit, quod Sacerdos

dos peracturus unctiones, pollicem vel virgulam intingat in oleum sacrum.

Dicendum 5. Satis probabile est, quod quinque unctiones ^{Quae usq;} quinque sensuum non sint de essentia hujus Sacramenti, sed sufficere unicam. Ita post varios DD. ^{Actiones finit additq;} fensit facultas Theol. Lovan. approbans Pastorale Mechliniense, cuius haec erat Doctrina. Deinde Octavius Francipannus hic Nuntius Apostolicus, concessit quondam Ecclesiae Leodiensi, ut in morbo Contagioso ungerent sensum magis expositum, dicendo, *Pet istam sanctam unctionem, &c. indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum auditum, gustum, adoratum, &c. deliquisti, amen.* Neque probari potest, quod Jacobus plus requisierit, quam unctionem unicam, dicendo, *Ungentes eum in nomine Domini.* Neque contrarium colligitur ullo modo ex Conc. Florentino, quod quinque unctiones prescribit quinque sensuum, cum illud Concilium etiam requirat unctionem pedum & renum, de quibus unctionibus tamen certum est, quod non sint ad essentiam hujus Sacramenti necessariae, & unctione renum ob decentiam feminis non adhibetur à plurimis. Patet quoque, quod dictum est, ex Sacramentali quodam Veneto à Leone X. approbato, quod solum requirit unicam unctionem, prout patet ex prescripta forma, *Ungo te oleo, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus varias catervas in nomine patris.*  Adde, quod aliás non subsisteret hoc Sacramentum si quinque sensus defectu organorum non possent inungiri. Ex quibus tamen non sequitur, quod juxta hanc dictam sententiam, possit Pastor v. g. tempore pestis adhibere unicam dumtaxat unctionem, cum certae obligationi hoc Sacramentum administrandi, non possit satisfieri per dubiam & probabilem administrationem, qualis esset unctione facta juxta dictam opinionem. In hoc tamen casu, uti & in aliis, observanda est Ecclesia cujusque praxis & consuetudo.

Dicendum 6. Si quis organo alicujus sensu careat, ^{Quid a} debet inungi in parte organi talis sensus sive illud an- ^{gendum si} ^{ager organ} ^{no sensus} ^{careat.}

tea habuerit, sive non habuerit, cum peccare potuerit, desiderando actum aliquem illius sensus. Si vero absolutè eo in membro careat, v. g. manu, pede, &c. debet inungi pars pedi vel manui magis vicina, cum etiam peccasse potuit, per sensum internum externo correspondentem. Cum vero tactus dicatur esse in omnibus partibus corporis, si necessitas exigeret, posset ungiri alia pars, quam manus. Manus vero sacerdotalium interius, sacerdotum vero exterius sunt inungendæ: Etsi ea praxis non sit universalis, cum Pastorale Mechliniense generaliter dicat, quod palmæ manus semper sint ungendas, licet ungendas sit Episcopus aut Sacerdos. Si vero organa sint gemina, ambo sunt ungenda, nisi contrarium necessitas suadeat. De cætero quoad ordinem unctionum, & alios hujus Sacramenti ritus, servanda est cujusque Ecclesiæ consuetudo.

SECTIO III.

De Forma extremæ Unctionis.

Forma ext. Uni- **D**IENDUM primò, Juxta rituale Rom. Forma hujus Sacramenti est hæc: *Per istam Sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi dominus, quidquid per visum deliquisti, Amen, & alia ad alios sensus. Aliqui loco to Dominus, ponunt to Deus,* imò aliæ Ecclesiæ aliam formam, priori tamen quoad sensum æquivalentem. Græcorum forma juxta Arcudium est hæc: *Pater Sancte, animarum & corporum medice, qui filium tuum unigenitum Dominum nostrum, JESUM-CHRISTUM omnem merbum curantem, & ex morte nos liberantem misisti, sana quoque servum tuum N. à detinente illum corporis infirmitate, & vivifica illum per Christi tui gratiam.*

Forma
bac potest esse enun- **D**icendum 2. et si formæ dictæ sint deprecativæ, uti patet, possunt tamen esse enuntiativæ, uti patet ex
stativa.

ex Alberto mag. in 4. dist. 23. a. 4. docente esse antiquissimam totius Germaniae praxim, uti formam enuntiativam, imò illam vocari *Gregorianam*, seque vidisse antiquissimos illius regionis libros formam enuntiativam continentem, imò Sacramentale Veneratum à Leone X. approbatum, ejusmodi formam continet, hanc scilicet: ungo te oleo S. ut hac unctio ne protectus, fortiter stare valeas adversus varias cater vas in nomine Patris &c. Item S. Bonav. dist. 23. a. 5. q. 4. hanc tribuit Ecclesie Mediolanensi Ambrosii: similiter ad oculos: ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid intellectio visu deliquerit, per hujus olei unctuonem expietur per Dominum nostrum &c. Imo Marinus testatur, in Sacramentario Romano, ex Bibliotheca vaticana edito, reperi indicativam.

Objiciunt hic aliqui, omnes formas à Christo institutas esse easdem: deinde quod expressè Jacobus dicat orent super eum: denique, quod Conc. Trid. dicat se formam illam deprecativam didicisse ex traditione Apostolica. Ad quæ Resp. Formas illas esse easdem quoad sensum essentiali, non verò quoad verba. Deinde formæ indicativæ sunt implicitè rogationes, in quantum non significant vel causant suum effectum, nisi cum ordine ad merita Christi, quæ toties censentur exhiberi æterno Patri, quoties nobis applicantur per Sacraenta. Denique, agit Conc. Trid. de forma essentiali sive secundum sensum essentiali non verò secundum verba: jam autem est idem formæ sensus essentialis, sive forma pronuntietur deprecativè, sive indicativè. Hinc etiam videmus sèpè variari verba hujus formæ, cùm sèpè loco deliquisti dicatur peccasti.

SECTIO IV.

De ministro & effectu extremae unctionis.

Minister ext. un- **D**I CENDUM primò , minister hujus Sacramenti necessarius est Sacerdos uti patet ex Jacobo requi-
tionis. rente Presbyteros , qui orent super ægrum eumque *Quid. hic Presbyter.* ungant : ubi to Presbyter nomen officii est non ætatis , quomodò sæpè significat seniores , cùm impertinens sit , an senes an verò juvenes orent & ungant ægrotum : Si verò aliquando unctionio attribuatur à SS. PP. aliis , quàm Sacerdotibus : intelligendum est , de unctione ab hac extremâ unctione distinctâ , vel passivè id est , quod sacerdtales unctione hâc uti possint , eam recipien- do , non conferendo .

An pos- finit esse plures Mi- plementum. gistris. Dicendum 2. Sacramentum hoc potest conferri à pluribus Sacerdotibus , etsi non debeat. Probatur prius , quia cùm Sacramentum hoc constet pluribus materiis & formis partialibus , poterunt plures quâ- que formam proferre cùm materiâ illi correspon- dente. Imò hoc moris esse dicunt apud Græcos , concurrentibus 7. Sacerdotibus , qui olim quidem ut assistentes adhibebantur , ut preces multiplicarent , unico tantùm ungente ; nunc autem uno post alium formam partialem cum formâ correspondente ad- hibente : quod inter alios Græcorum rituum abusus computat Arcadius , sed à Jacobo Goar defenditur.

Quòd verò non debeant necessariò plures Sacer- dotes adhiberi , patet ex eo , quòd sensus Apostoli sit , quòd quilibet æger respectivè suum accersat Presbyterum , qui oret super infirmum eumque un- gat : uti diceretur , religiosi obedient Superioribus , id est , quilibet suo .

Iurisdic- tio Minis- tri. Dicendum 3. Sacerdos administrans hoc Sacra- mentum , debet habere jurisdictionem in ægrotum , quem ungit , cùm administratio hujus Sacramenti sit actus

actus superioritatis : undē Religiosi etiam exempti, sine licentiā Parochi aut Sedis Apostolicæ hoc Sacramentum sacerdibus administrantes , incurunt excommunicationem. Valet tamen hoc Sacramentum collatum à Sacerdote non habente jurisdictionem , cùm jurisdictione essentialiter non sit requisita in ministro hujus Sacramenti.

Dicendum 4. Constat ex Conc. Trid. ses. 14. effectus hujus Sacramenti primarium esse gratiam sanctificanteam , habentem annexum speciale jus ad robur animi in extremâ & periculosâ cum Diabolo luctâ consequendum. Effectus secundarii sunt , quod remittat peccata post suscepta Sacra menta nondum remissa , quod remittat poenas peccato debitas , quod abstergat peccati reliquias , idest , torporem animi , anxietatem de obtainenda salute , &c. Delet quoque aliquando peccatum mortale , si invincibiliter illud ignoretur , cùm Sacramentum illud institutum sit ad remissionem peccati , dicente Apostolo *Et si in peccatis fuerit , remittentur ei* , quod sine ratione intelligendum dicitur de solis venialibus , cùm omnes ea habeant , unde frustranea esset illa conditionalis dicta. Confert quoque sanitatem corporis , non quidem certâ lege , sed , si animæ ægroti expeditat , & secundum ordinem divinæ providentiae . Dictos effectus confert ex opere operato , nec quidquam obstat , quod dicatur *Oratio fidei salvabit infirmum* , quasi effectus ille esset ex opere operantis , dependens à fide & oratione ministri : sed quod forma à Sacerdote adhibitâ , conferatur ille effectus: porro forma illa dicitur esse *Oratio fidei* , tum quod fide discitur , tum quod præcipua fidei fundamenta contineat , puta mysterium Trinitatis , Incarnationis , &c.

SECTIO V.

Quibus Sacramentum hoc debeat conferri.

Infirmis debet hoc Sacramentum dari. D ICENDUM primò, Sacramentum hoc administrari debet infirmis illis, de quorum morte timeatur, unde à Tridentino ses. 14. vocatur *Sacramentum exequitium*. Hinc ait Pastorale Mechliniense : *nemini, qui gravi morbo affectus non est, Sacramentum unctionis dari licet*. Constat autem ex rituali Romano, etiam *Etiam se. viibus.* senibus præ senio morientibus esse ministrandum, maxime cum senectus ipsa morbus sit. Cavet tamen ministrari iis, qui periculum mortis aggrediuntur, qui ultimo supplicio sunt astiendi, nisi una graviter ægrotent.

Tempesti. ve debet administra- Dicendum 2. Non est expediens expectari ultimum vitæ periculum, sed satis est, quod medicorum iudicio de vitâ periclitetur, inò expedit, ut articulus ille præveniatur, ut sanâ mente, & propriâ devozione, uberiorem hujus Sacramenti gratiam consequatur ægrotus. Cum vero effectus hujus Sacramenti secundarius sit sanitas corporis, conferri debet, dum aliqua spes vitæ superest; ex quo patet redarguendam esse plurimorum praxim, quâ Sacramentum illud usque ad extremum fere halitum differunt; uti & meritò increpandum hunc fidelium sensum, quo sibi persuadent Sacramenti hujus collationem esse vitæ desperatæ signum, ubi tamen Sacramentum illud institutum est ad consequendam sanitatem mentis & corporis.

An pos-fer conferri sanis. Ex quibus omnibus sequitur perperam à quibusdam doceri, Sacramentum illud conferri posse sanis, imò hoc à Græcis observari, eo quod in euchologio Græcorum habeatur titulus : *Officium olei peragendum in Ecclesia vel in domo*; Ex quo colligunt aliqui, quod sancti in Ecclesia ungì possint; tamen rectius docent, qui dicunt

dicunt desperatè agros ungi domi, de plebe tamen multos deferri ad Ecclesiam, & ibidem in catechumenæ depositare hoc Sacramentum. Ita Jacobus Goär. Si vero aliqui non ita ægri depositant inungi, dicunt hoc fieri ex devotione ad acquirendum benedictionem, quæ datur unctione ceremoniali, idque ex intentione Ecclesiæ Græcæ & intentione Sacerdotum ungentium.

Patet quoque, Sacramentum hoc collatumis, qui non ita graviter decumbunt, non valere, cum Apostolus & concilia expressè agant de infirmitate gravi. Sufficit tamen, quod tam gravi morbo laborent, ut prudenti judicio judicari possint de vita periclitari. Unde pro praxi notandum, in urbibus & ubi medici suppetunt, eorum judicium hic esse exposendum, nisi manifestè periculum appareat, aut quid aliud obsteret. In pagis vero, & ubi medicorum copia deest, ipsius Sacerdotis judicio erit procedendum, qui morbi gravitate & periculo consideratis, hoc Sacramentum vel negare poterit vel conferre. Quare juvabit Parochi cognoscere signa, quæ periculum vitæ manifestant. Ea vero, medicorum judicio & experientiâ sunt sequentia.

1. Si pulsus ægri sit planè debilis, & intervalla ha- *Signa med-*
beat, si se retrahat, aut admodum raro pulset. *ribundæ,*

2. Si habeat oculos & faciem lividam, & cada-
verosam, musculos faciei, nasum, labia contrahat:
si faciem suam abscondere, lucem fugere continuò
satagat:

3. Si continuò singultiat deliquium, animi pa-
tiatur, si evomat particulas pulmonis.

4. Si sudor faciei, vel manuum sit frigidus: si lin-
gua sit admodum sicca, vel nigra. Ex quibus & aliis
colligi posset, instare mortis articulum, & esse vitæ
periculum; hoc tamen notato, ut ubi medicorum
judicium deest, præstet in administratione hujus Sa-
cramenti esse faciliorem, quam difficiliorem.

Dicendum 3. Non potest hoc Sacramentum con-

Si de morte ferri non Baptisatis, nec etiam mortuis: si tamen de se sit dubium, conferri poterit sub conditione,

bim. bim.

Si vivas, ungote, &c. Præniitti quoque debet confessio & communio, dum præmitti potest ad effectum tamen hujus Sacramenti non est omnino talis dispositio necessaria, cum solum prærequiratur status gratiae, qui haberi potest aliâ viâ, quam per præviam Confessionem aut Communionem, immo aliquando datur iis, quibus tam Confessio quam Communio est impossibilis. Unde rituale Rom. addit, præmit tendam esse Confessionem & Communionem, Si tempus & infirmi conditio permitat. Communionem verò post Extremam Unctionem dari solitam probat Menardus in notis ad librum Sacmentorum Gregorii Pag. 334. ubi dicitur: Deinde communicent cum Corpore & Sanguine Domini.

Dicendum 4. Nemo est capax hujus Sacramenti ante rationis usum, ut sunt perpetuò amentes & infantes. Ratio hujus est, quod, ut docet Concil. Trid. hoc Sacramentum sit consummatum pœnitentiae, prædicti verò pœnitentiae non sunt capaces: Deinde, etiam sunt incapaces præcipui effectus hujus Sacramenti, puta remissionis peccatorum, excitationis fiduciae in Deum, confortationis in ultima lucta, &c. Pueri tamen, qui Confessionis sunt capaces, etsi nondum communicaverint, hujus Sacramenti sunt capaces, etsi sint solum 7. aut 8. annorum: illi enim cum sint capaces pœnitentiae, etiam capaces sunt ejusdem consummativi, id est hujus Sacramenti. Amentes quoque qui habent lucida intervalla hujus Sacramenti sunt capaces.

Objiciunt aliqui ad prædicta, quod sicut Extrema Unctio est instituta ad robur animi contra dæmonis insidias, in remissionem peccati, &c. Ita Confirmationis instituta sit ad robur animi in fide profitenda: sicuti ergo pueri sunt capaces Confirmationis, etsi nondum possint profiteri fidem, ita pueri sunt capaces Extremæ Unctionis, etsi nondum peccare possint,

fint, aut tentari ad consensum peccati. Resp. ad illud, discriminem ejus nobis constare ex Ecclesiæ praxi, per quam nobis innotescit voluntas Christi. Adde, quod puer sit capax primarii effectus Confirmationis, puta characteris, quo constituitur miles Christi. Idem dic de ordine respectu pueri.

SECTIO VI.

An Fideles debeant hoc Sacramentum suscipere, & quando Parochus teneatur hoc Sacramentum administrare.

DICENDUM primò, Etsi hoc Sacramentum non sit necessarium necessitate medii, uti patet in ^{Necessitas extrema} _{unctionis.} pueris post Baptisma susceptum statim morientibus, est tamen necessarium necessitate præcepti, si in infirmitate immineat periculum mortis. Ratio ejus est, quod Apostolus dicat, *Inducat Presbyteros, inducat verò præceptum importat.* Deinde Conc. Trid. ses. 14. c. 3. agens de iis Apostoli verbis, dicit iis fuisse traditum, quinam hoc Sacramentum suscipere debeant; *debeant vero* præceptum sonat. Hinc postea dicit, esse *Dei mandatum*, non solum Presbyteris illud Sacramentum ministrandi, sed fidelibus quoque illud idem in gravi infirmitate suscipiendi. His accedit fidelium communis apprehensio, quā judicant male agere illos, qui in gravi infirmitate hoc Sacramentum suscipere negligunt, cum sit species quædam prodigalitatis, respuere eo casu bonum adeo salutare & utile: unde, si adsit contemptus (qui in illud suscipere negligentibus saepe comitur) aut etiam scandalum, erit peccatum mortale illud Sacramentum negligere sine justa causa.

Porro, etsi Sacramentum hoc sit sita necessarium, sèpè tamen Ecclesia illud administrare prohibet tempore interdicti, uti ex plenitudine suæ potestatis posse


test dispensare in aliis quæ sunt juris divini, puta ab obligatione voti, juraimenti, absolvendo, ita quoque poterit Ecclesia justa de causa fideles absolvere ab obligatione suscipiendi hoc Sacramentum.

Parochus Dicendum 2. Tenetur Parochus ex justitia, etiam cum periculo vitae, suis subditis ministrare hoc Sacramentum: debet enim bonus Pastor animam suam datus dare ponere pro fratribus suis. Hinc ait S. Aug. tract. 123. hoc Sacra. in Joan. *Christi amor in eo qui pasticit oves ejus, in tantum debet crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem.* Iten Epistolâ 180. dicit, *Quod mercenariis suis damnabilis.* Ratio verò hujus doctrinæ est illa, quod etsi hoc Sacramentum non sit absolutæ necessitatis, est tamen præcepti & maximæ utilitatis, unde ex negatione hujus Sacramenti, deberent subditi subire nimis magnum incommodum, puta quod peccatorum Reliquiae iis non abstergantur, quod in periculosa cum diabolo lucta non confortentur, nec à mortali, cuius sibi consciæ non sunt, forte liberentur. Nec potest dici, posse eos justificari per votum Pœnitentiae in contritione inclusum, eo quod contritus sit actus maximè arduus, attritus verò solum probabiliter in articulo mortis sine Sacramento justificet, quo fit, ut maneat æternæ mortis periculum. Inde esto, quod justificetur, privabitur ratiæ adhuc robore contra dæmones calcaneo insidiantes, aliisque fructibus hujus Sacramenti. Excipitur ratiæ à dicto casu, si ex administratione majora timerentur incomoda, y. g. quod reliqui subditi defectu Parochi necessariis destituerentur auxiliis, ut docet alibi S. August.

Quod de hoc Sacramento dictum hic est, intelligendum quoque majori jure est, de Sacramentis necessariis, Baptismo, pœnitentia, & eodem jure de Eucharistia, quæ Sacraenta etiam cum periculo vitae tenentur ex justitia suis subditis Parochus ministrare, ad quem spectat subditis providere non solum de necessariis mediis ad salutem, sed & de iis, quæ ad illam sunt maximè utilia & opportuna.

Dicea-

Dicendum 3. Cùm Sacramentum hoc non impri-
mat characterem, iterari omnino potest, quatenus fi-
nito mortis periculo, in aliud quis potest incidere, id-
que sive durante eodem morbo sive diverso, eò quòd
hoc Sacramentum non respiciat infirmitatem, sed in-
firmitatis statum: durante tamen eodem periculo in-
firmitatisiterari non potest. Hinc ait Conc. Trid. ses.
14. c. 3. *Quod, si infirmi post suscep tam hanc unctionem
convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari po-
terunt, cum in aliud vite discrimen inciderint.*



CAPUT UNDECIMUM.

De Ordine.

SECTIO PRIMA.

An Ordo sit Sacramentum.

DICENDUM primò, *Ordo est signaculum Ecclesie, per quod spiritualis potestas traditur, ad ordinandum Sacrosanctum Christi corpus ordinata.* Ordo ille *est Sacramentum, ut patet Lucæ 22. ubi Apostoli constituuntur Sacerdotes, dum illis dicitur: Hoc faci-ze in meam commemorationem.* Item patet illud ex 2. Timot. 1. ubi dicitur: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, qua est in te per impositionem manuum mearum:* & 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, qua in te est, qua data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii, id est, Episcoporum, qui mecum in tua ordinatione convenerunt, sic etiam act. 6. ordinantur Diaconi impositione manuum. Ex quibus omnibus patet, ordinem esse ritum externum, quo confertur gratia necessaria, ad dignè cujusque ordinis officium debitè peragendum.* Ratio hujus est, quòd in N. L. sit Sacramentum,

crificium, ergo & Sacerdotium, quod sacrificio cor-
respondet: cum enim in V. L. Sacerdotes essent spe-
cialiter deputati ad Dei cultum, & sacrificium, potiori
jure Sacerdotes in N. L. erant agnoscendi, quæ me-
lioribus reprobationibus est sancita, ad Heb. 8. Unde
rectè Conc. Trid. ses. 23. Can. 3. Si quis dixerit ordi-
nem, sive sacram ordinationem non esse verè & propriè Sa-
cramentum à Christo Domino institutum, vel esse figmen-
tum quoddam humanum excogitatum à viris rerum Eccle-
siasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eli-
gendi Ministros verbi Dei & Sacmentorum, anathema
sit. Quomodo verò quisque ordo sit Sacrementum,
declarabitur agendo de unoquoque in particulari.

S E C T I O II.

De distinctione ordinum eorumque officiis.

DI CENDUM primò, Cùm perfectissimum ordi-
nis manus sit sacrosanctum N. L. Sacrificium,
ejusque actus sit res prorsus divina, ut ait Conc. Trid.
consentaneum fuit, ut in Ecclesiæ ordinatissima di-
spositione, plures ac diversi essent ministrorum ordi-
nes, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distri-
buti, ut qui jam Clericali tonsurâ insigniti essent, per
minores ad maiores adscenderent. Unde vistum est
7. Ordines Spiritui Sancto septiformis munera largitori instituere
7. Sacros Ordines, scilicet ostiarii, lectoris, exorcistiæ,
acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotii. Ex illis 4. primi vocantur minores & non Sacri:
reliqui 3. vocantur maiores & Sacri. Horum omnium
(ut notat Conc. Trid.) tota antiquitas meminit, &
ab initio nascentis Ecclesiæ semper eos in usu fuisse
testantur cum primis Canones Apostolici & alia ve-
terum monumenta, & SS. PP.

Aliqui tamen in assignando ordinum numero va-
riant, adeò ut author tractatus de 7. Ecclesiæ gradi-
bus

bus apud D. Hieron. primum ordinem ponat *fossarium*, seu qui sepulturæ fossas faciunt: ex quo videtur sequi, constitutionem minorum Ordinum esse ex determinatione Ecclesiæ.

Dicendum 2. antequam quis ad ordines admittatur, ^{Quid tonsura.} perpetuo Ecclesiæ usu observatum est, ut accipiat tonsuram Clericalem, qui gradus non est ordo, sed solum ad ordines dispositio: unde Catechismus Rom. *Sicut ad Baptismum exorcismis, ad Matrimonium sponsalibus homines preparari solent, ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tamquam aditus ad ordinis Sacramentum illis aperitur.* Quod verò tonsura non sit Sacramentum, constat ex eo, quod tonsura non sit à Christo instituta, sed ab Ecclesia introducta. Dicitur tamen subinde ordo, & imprimere characterem, tum quia est gradus eminentior, tum quia hominem Clericum à Laico distinguit.

Clericis primâ tonsurâ insignitis ademerunt Hære. ^{An Clerici} possessionem rerum temporalium, & signanter ^{et habeant dominis.} Wiclefin eo damnatus à Conc. Constantiensi num. tempora-
10. 32. & quamvis Clericis aliquando interdicatur ^{temporium.} possessio rerum temporalium à SS. Patribus; eò quod Clerici dicant, *Dominus pars hereditatis meæ, & fons mea Deus,* solum volunt, ne Clerici nimiè sollicitudine rerum temporalium, res spirituales amittant & negligant.

Dicendum 3. Ostiarii officium est, habere claves Ecclesiæ, portas Ecclesiæ claudere & aperire, ab ejus ingressu infideles & alios indignos arcere, prohibere ne Laici nimis prope ad altare accedant & Sacerdotem turbent: quod officium si aliquando, modò maximè foret necessarium, ait Estius. Officium illud figuravit Christus, quando ementes & vendentes ejevit de templo: item illi, qui 1. Paralip. 23. dicebantur *janitores templi.*

Lectoris officium erat ex edito loco recitare Scripturam Sacram, tum eam, quæ inter psalmодiam nocturnam dici solebat: tum eam, quam ad populum

*Officium
Ostiarii.*

Lector.

lum expositurus erat Episcopus: stante etenim Episcopo ex edito loco, Lector ex loco edito, sed submissiore recitabat Scripturam ab Episcopo expoundingam. Hinc inolevit mos recitandi Evangelia ante Concionem. Huic officio annexum erat, prima fidei rudimenta Catechumenos edocere, sub hoc quoque officio comprehendebatur officium psalmistaræ, cuius officium erat modulis & cum cantu intonare, quod Lector recitabat.

Exorcista. Exorcistæ officium erat energuinenis manus imponere, & invocare super illos nomen Domini: unde ab ejurando dicti sunt exorcistæ. Hanc potestatem dedit Christus Apostolis Matth. 10, immo hoc officium penes Iudaeos fuisse constat ex Matth. 12. ubi dicitur, *fili i vestri in quo ejiciunt, scilicet daemones?*

Acolyti. Acolythi id est *improbibiti*, ita dicti, quod non prohiberentur proprius ad altare accedere, quod aliis Laicis non permittebatur: horum officium erat accendere luminaria altaris, ea deferre, manibus tenere sub Sacrificio Missæ, sub Evangelio, &c. unde & ceroferarii sunt dicti.

Subdiaconi. Subdiaconi officium erat patenam & calicem deferre ad altare, illaque Sacerdoti tradere, vinum & aquam ad altare allata Sacerdoti suppeditare. Ad eundem pertinet lavare sacra linea, manus Sacerdotis lavare, Epistolam cantare, quæ olim recitabatur à Diacono.

Diaconi officium est Secunda officia. Diaconi officium volunt adversarii esse mere profanum, & ex sua institutione fuisse solum eleemosinarios, vti modò sunt Ministri mensæ Spiritus Sancti, quorum officium est, providere pauperibus. Verumtamen certum est, eorum officium esse spirituale, ad quod Apostoli quærebant eos, qui essent pleni Spiritu Sancto, quibus sua ordinatione conferebatur gratia ad dignè officium suum persolvendum, unde statim post ordinationem suam Baptisabant, Prædicabant, &c. quos proinde vult Apostolus, ut sint habentes mysterium fidei in conscientiâ.

scientia pura, & ab Ignatio Martyre vocantur *Ministri Iesu Christi, & Ecclesie Dei*, Epistolâ ad Trallianos. Si verò aliquandò dicantur esse mensarum Ministri, uti appellantur à S. Hieronymo & aliis, partim innuitur finis secundarius institutionis Diaconorum: partim retunditur eorumdem superbia, qui se Sacerdotibus pares, imò superiores jactitabant.

Ratio autem quare antiquitus Diaconi Sacerdotibus sese comparabant, imò ultra eos sese efferebant, erat iuxta Spondanum ad annum Domini 402. quod Diaconi Ecclesiæ bona administrarent, undè majori obsequio à populo honorabantur, qui solet lucrum honorare: ex quo, insolentia Diaconorum adversus Presbyteros, ut etiam in conviviis vellent præsidere, dare benedictionem, &c. ad quam insolentiam retundendam indictum est Concilium Nicænum, in quo lege sancitum est, ut Diaconi sese Sacerdotibus inferiores agnoscerent, quod & eidem malo repullulantis secuta sunt alia concilia. De eadem causa quoque disserit S. August q. ex utroque mixt. 101. & Hieron. Epist 85.

Officium Diaconorum aperte indicat Scriptura Sacra, dum post Episcopos salutantur Diaconi, ad Philip. 1. & act. 6. ubi ordinantur impositione manuum. Imò in V. T. Levitæ ut Diaconi Sacerdotio inserviebant. Solebant verò antiquitus Diaconi instigare auditorium ad attentionem, distribuere sanguinem Christi, absente Episcopo & ex commissione Baptisare, recitare Evangelium, illudque veluti catechismum populo exponere, aliquandò ex commissione concionari, catechumeni baptisandi nomen Episcopo recitare, oblatos thesauros pauperibus erogare &c.

Huic Diaconorum officio adjungi posset, officium *Diaconissarum*, quas tam in Ecclesiâ Græcâ, quām Latinâ dudum viguisse testantur scriptores. Præcipua earum officia erant, illa officia exhibere feminis, quæ exhibebant Diaconi viris. Hinc custodiebant-

bant portas , per quas ingrediebantur mulieres , filiarum confessus in Ecclesiâ ordinabant , prâma fidei rudimenta & Baptisini ritûs explicabant , feminis aderant dum ad baptisma nudabantur , Episcopi iusfa ad feminas deferebant , virginum egentium unâ cum Diacono curam gerebant &c. Earum ordinatio ante 600. circiter annos in occidente cessavit , in oriente diu ante. Benedictionem earundem præscribit ordo Romanus , & antiqua ritualia.

Sacerdotum officium , ad quod cæteri ordines destinantur & inserviunt , est offerre Deo incruentum Novæ Legis Sacrificium , de quo vide dicta de Eucharistiâ. Vocantur aliquando *Presbyteri* , id est Seniores , non tantum ob ætatis maturitatem , ad hunc sacerdotii gradum requisitum , sed ob morum gravitatem , prudentiam & doctrinam requisitam : *Cani enim sunt sensus hominis , & etas senectutis vita immaculata.* Gradus sacerdotii dividì solet , in simplices Sacerdotes & Episcopos. Etsi enim initio nascientis Ecclesiæ communi Sacerdotum & Episcoporum consilio Ecclesia gubernaretur , semper tamen illorum officia fuerunt jurisdictione distincta. Porrò , quamvis omnes Episcopi sint ordinatione & consecratione æquales , jurisdictione tamen & auctoritate sunt diversi: alii enim sunt Episcopi , alii Archiepiscopi sive Metropolitani aliis Episcopis præpositi , alii sunt Primates , id est tam Episcopis , quam Archiepiscopis alicujus regni Praefecti , alii Patriarchæ , qui Primitibus , Archiepiscopis , & Episcopis alicujus orbis partis præsunt , ut Constantinopolitanus Asiac minori : Jerosolimitanus Orienti , Alexandrinus Asiac &c. quibus omnibus superior est Romanus Pontifex , tamquam Ecclesiæ caput.

Cardinalates. Cardinalatus , etsi non sit propriè ordo , ad similitudinem tamen L. V. nunc abolitæ , Sixtus 4. septuaginta Cardinalium numerum constituit , uti etiam ad similitudinem Discipolorum à Christo designatorum ; eosdem vocat S. Sylvester *Coadjutores* , ex quo videtur

videtur consequens Cardinales etiam tempore S. Petri extitisse, quatenus & tunc temporis erant aliqui, ex clero electi, quorum consilio Pontifices uterentur, numerum verò eoruindem designare, erat Pontificis, quem tamen moderatum esse voluit Concilium Basileense sess. 23. ne superfluâ numerositate vilesceret Cardinalium dignitas, ut etiam quòd constare debèret litteratis in Theologiâ vel jure ac illustrium Principum filiis.

Leguntur quoque in Ecclesia fuisse Chorépiscopi, *Chorépiscopi copia.* qui (ut volunt plurimi) fuerunt ordinatione solum simplices Sacerdotes, uti colligunt ex Damaso epistola 4. & 5. ita tamen, ut parvulis oppidulis aut villis præsiderent, undè & Episcopi rurales & villarum sunt appellati, cum specialitatem jurisdictione ipsis ab Episcopo communicatâ.

Quomodo autem & quâ ratione sublati sint *Quomodo sublati* Chorépiscopi, declarat Morinus p. 3. de sacris Ord. *sunt Chorépiscopi.* exercitat 4. c. 6. ubi ait: tandem tacito consensu, sed ipsorum orienti & occidenti communi, circa medium seculum 10. in totâ propè Ecclesiâ à Chorépiscoporum creatione desitum est. Nomen Episcopi, quod nomini suo inferum erat, inanem gloriolæ affectum animis eorum inspirabat, semperque Episcopi videri & esse avebant; huic malo Episcopi non aliter se posse mederi, quâm ipsorum extinctione crediderunt. Hanc tamen extincionem magno cum temperamento fecerunt. Nomen primum sustulerunt, ne amplius superbiendi illis occasionem daret: deinde officia bipartiti sunt. Quæ Episcoporum erant propria, ut ordinare, Ecclesiás consecrare, confirmare, & ejusmodi cum nullo Presbytero ab eo tempore amplius communicarunt, sed sibi solis reservarunt. Cætera verò, quæ ad jurisdictionem & Ecclesiæ regimen pertinent, Archipresbyteris & Decanis ruralibus potissimum attribuerunt. Unde etiam antiquitus paulò post Chorépiscoporum extincionem, Archipresbyteri à multis Decani rurales vocabantur, ut notat Innoc. 3: extrav. de officio Archid. c. ad hæc. Haec tamen Morinus.

Abbâ.

Abbates. Abbates quoque in Ecclesiâ dudum viguisse constat. Aliquibus ex Apostolico privilegio conceditur usus mitræ & baculi, tonsuræ & minorum ordinum collatio, Presbyteri solemnis degradatio cum Episcopo, jurisdictio episcopalís in suos, de quorum potest. Conc. Trid. sess. 23. c. 4. & sess. 25. cap. 11. reform.

Episcopa- Aliorum insuper officia in Ecclesiâ fuisse referunt
Presby- scriptores, v. g. *Episcoparum*, id est illarum, qua-
teria. rum viri erant Episcopi creati. *Presbyterarum*, qua-
**Regionar- rum qui Pontifici in aliqua regione celebranti infer-
 rum.** vebant; *Stationariorum*, qui Pontifici in sua statione
Stationa- celebranti serviebant: Basilicariorum seu Palatinorum,
rvi. qui in Basilica Lateranensi per vices servire debe-
**Basilica- bant, denique Oblationariorum, qui oblationes susci-
 rum.** pere & Archidiacono deferre debebant.
Oblatio-
narii.

S E T T I O III.

An omnes ordines sunt Sacramentum.

Episcopatus est or- **D**ICENDUM primò, Episcopatus est verus ordo
do. & verum Sacramentum, uti patet ex dictis se-
Materia & forma ctione primâ, neque ideo sunt 8. ordines, cum Episcopatus sub Sacerdotio comprehendi soleat, quâ
Episcopatus. ratione dividitur Sacerdotium in sumnum & non
 summum; materia verò ordinationis Episcopalis est
 impositio manuum, forma verò *Accipe Spiritum*
Sanctam, tum quod ejusmodi materia à Paulo ad-
 hibita sit, uti constat ex 1. Timoth. 4. tum quod
 forma sit per quam opportuna ad significandum
 effectum hujus ordinacionis. Unctio ergo manuum,
 impositio libri Evangeliorum inter cervicem & sca-
 pulas non spectant ad materiam ordinationis Episcopalis,
 tum quod illa unctio ab Apostolis non sit
 adhibita, tum quod talis libri impositio non fiat à
 mini-

ministro ordinis, sed à facellano, & olim à Diacono, unde ejusmodi ritus sunt solum accidentarii. Formam dictam Græci variant, uti & materiam : Materia apud illos est impositio manū cum pallio super caput ordinandi. Forma est hæc : *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & imperfecta perficit, promovet N. amabilissimum Deo Presbyterum in Episcopum à Deo custodite civitatis N. oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia Spiritus Sancti.* Ex quo collige, quòd forma ordinationis Episcopalis non sit necessariò imperativa.

Dicendum 2. Ad ordinationem Episcopi non requiriatur necessariò præsentia plurium Episcoporum. Patet hoc ex facto Gregorii XIII. qui Patriarchæ Antiochiae concessit, ut ab uno duntaxat Episcopo ^{An requiriatur præsentia plurium Episcoporum?} consecraretur. Idem fecit Innocentius X. dum concessit Fabio Chislio, ut solus ordinaret Archiepiscopum Ephesinum. Idem probat Exim. Pater Lupus ad canонem 4. Concilii Nicæni, ubi refert de quodam Farrando Diacono, antiquo canonum collectore ex Synodo Zellensi, & ex sanctionibus Syrici Papæ referente hunc canonem, *Unus Episcopus Episcopum non ordinet, exceptâ Ecclesiâ Romana.* Deinde Paulinus Antiochiae Episcopus solus elegit & consecravit Evagrium successorem, quo facto, etsi canones violaverit, Ecclesia tamen Romana Evagrii communionem amplexata est, id est ut verum agnovit Episcopum. Ita Theodoretus l. 5. Hist. c. 23. & quamvis canone 1. Apostolorum dicatur, *Episcopus a. 2. aut tribus Episcopis ordinetur :* Item juxta Pontificale Rom. *Episcopus consecrans, & alii assistentes Episcopi imponunt manus, & pronuntiant formam.* Ibi enim solum indicitur præceptum plures adhibendi Episcopos, non vero eos necessariò ad valorem ordinationis Episcopalis esse requisitos, uti ex dictis constat. Adde, canones Apostolicos, non esse adeo certæ authoritatis, cum aliquando ut apostrophi sint rejecti, & aliqua concilia, plures de iis. ^{Materia & forma Ordinarum}

alii

alia pauciores , sunt amplexata , de quo vide Car ranzam.

Ordinatio Sacerdotus : Dicendum 3. Ordinatio Sacerdotis est quoque verum Sacramentum , cùm in illa conferatur gratia & potestas in Corpus Christi & sanguinem consecrandum , & remittendi peccata. Materia ejus est porrectio Calicis cum vino & patenæ cum pane : Item impositio manuum , qua confertur potestas remittendi peccata , quæ potestas est potestas Ordinis. Forma , sunt verba materiae dictæ correspondentia. Et quamquam Conc. Florentinum meminerit solius porrectionis dictæ , non item impositionis manuum , non ideo negavit impositionem illam , ut essentialiter requisitam , sed solùm instruebat Armenos , qui circa impositionem non errabant ; sic etiam Conc. Trid. dicens materiam hic esse impositionem manuum , non exclusit aliam , scilicet porrectionem dictam , sed assignavit impositionem ut materiam principalem.

Objiciunt aliqui , quòd Judas & S. Thomas sine impositione manuum fuerint Sacerdotes ordinati. Item quòd Pontificale Rom. ante impositionem manuum vocet Sacerdotes jam ordinatos. Resp. dici potest , quod Judas non fuerit Sacerdos , cùm per ministerium ejus , de quo act. 10. uti & per eum Episcopatum intelligi possit Apostolatus , ubi tamen longo tempore ante fuerint Apostoli , quam Sacerdotes. Deinde , addi potest , quòd etsi Judas fuerit absolute Sacerdos , tamen fuerit Sacerdos valde imperfectè , cum etsi habuerit potestatem in corpus Christi verum , non tamen eam habuerit in corpus Christi mysticum.

De S. Thoma dici potest , vel quòd Christus illi postea apparens manus imposuerit , vel quòd illi etiam absenti Christus dederit Spiritum S. & effectum sacramenti dederit sine sacramento visibili , ita Cyrillus.

Pontificale verò Romanum intelligi debet , de ordi-

ordinatione sacerdotali quoad ejus actum principalem, scilicet consecrandi, ita tamen ut potestas illa compleri debeat, per potestatem absolvendi, quod innuitur per explicationem casulæ, quam ordinandi prius habent plicam.

Ex quo sequitur, non valere ordinationem factam cum calice vacuo & patena vacua, cùm desit essentia-
lis materia Sacerdotii, & calix vacuus ejusque tra-
ditio sit materia subdiaconatus: alii verò volunt ejus-
modi ordinationem Sacerdotis esse validam: quid quid
sit, certum est, taliter ordinatum esse, sub conditio-
ne saltem, reordinandum.

Dicendum 4. Ordinatio Diaconi est quoque verum *Ordinatio Diaconi.*
Sacramentum, quo confertur gratia ad munus suum
dignè exequendum, idque debitâ materiâ & formâ,
de quibus statim. Et licet Diaconus nihil faciat, quin
idem fieri possit à non Diacono, tamen ad illud, quod
facit specialiter est depulatus, & speciale in sua or-
dinatione consequitur gratiam, uti in simili dici solet
de Sacerdotio respectu baptismi, ad quem conferen-
dum Sacerdos acquirit in ordinatione gratiam specia-
lem, eis baptisare competere quoque possit non Sa-
cerdotibus. Ordinem hunc in Ecclesia admittendum
esse, ex traditione docent SS. Patres, & signanter D.
Hieronymus in fine Epistolæ 85. ad Evagrium, ubi ait:
ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de V. T. quod Aaron & Filii ejus atque levitæ in templo fuerint, hoc sibi Episcopi & Presbyteri & Diaconi vindicant in Ecclesia.
Adde quod Diaconorum fiat mentio ad Philip. 5. &
1. Timoth. 3. unde patet, sanctos Patres, qui solum
videntur agnoscere 2. ordines, puta Episcopatum &
Sacerdotium, voluisse solos eos ordines fuisse à Chri-
sto institutos. De Diaconis vide plura sectione præce-
denti.

Dicendum 5. Subdiaconatus, & alii minores or-
dines, probabiliter sunt quoque Sacramentum. Pro-
batur ex Concilio Florentino, quod ait: *Sexum Sa-
cramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius tra-*

ditionem confertur ordo & numerando ordinis cuiusque materiali, æqualiter loquitur de subdiaconatu & aliis, ac de Presbyterio. Deinde Concilium Trid. ses. 23. can. 3. dicit generaliter, ordinem esse Sacramentum, & cap. 2. recenset omnes ordines, etiam minores. Unde ut verum sit, quod quandoque legitur, quòd subdiaconatus non fuerit semper verus ordo, sive ordo sacer, intelligendum erit, quòd subdiaconatus non semper habuerit annexum castitatis votum, quod Sacramento est planè extrinsecum. Hoc tamen notandum est pro hac sententia, initio nascensis Ecclesiæ, ob raritatem ministrorum officia Lectoris, Ostiarii, Exorcistæ, &c. Commissa esse Diaconis, ex quo sequitur, omnes ordines à Christo esse institutos, non ut omnino necessarios, sed Ecclesiæ dispositioni relictum esse, illos quos vellet assumere pro temporum varietate, adeo ut Ecclesia nunc plures, nunc pauciores ordines assumpserit. Nec ideo sunt plura Sacraenta, quam 7. quia omnes ordines minores, et si sint Sacraenta, continentur sub uno Sacramento, scilicet sub ordine,

*Constitutio
ordinum
pendet à
beneficiis.
to Eccle-
sia.*

*Minores
Ordes
probabi-
liter non
sunt Sa-
cramenta.*

Dicendum 6. Probabile tamen est minores ordines non esse vera Sacraenta. Ita post varios authores tenet Morinus. Fundatur hæc sententia in eo, quòd minores ordines ab Ecclesia sint solùm instituti: adeo ut Urbanus II. in Concilio Beneventano dicat apud Ivonem in decret. p. 5. c. 7. *Sacros ordines dicimus Diaconatus & Presbyteratus. Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse, super his solis præceptum Apostolicum habemus. Ratio dictæ opinionis est, quòd si dicti ordines essent Sacraenta, non videtur quomodo à Laicis tam facile possent ministrari, neque solet Ecclesia tales ordines suscepuros admonere, ut se se constituant in statu gratiæ per Confessionem vel aliam viam, quod indubie fieret, si forent vera Sacraenta. Accedit, quòd materia ordinum illorum in aliquibus Ecclesiis adhibetur ab Archidiacono, forma vero proferatur ab Episcopo, ubi tamen in vero Sacramento,*

to, præsertim ordinationibus, fieri vix soleat, ut forma & materia adhibeatur à diversis.

Ad illud verò, quod ex Concilio Florentino, uti & Tridentino in contrarium attulimus, responderi poterit, quòd non fuerit mens illorum Conciliorum definire quæstionem hanc controversam, an omnes minores ordines essent Sacra menta, sed solum docere eorumdem officia modò in Ecclesia observari: unde dicendo *cujus materia*, &c. To *cujus* afficit solum vocem *ordinis*, non verò *Sacramentum ordinis*: Quare postmodum additur, *Confertur ordo*, non autem *Sacramentum Ordinis*. Quæ sententia, et si utraque sit probabilis, posterior tamen negativa ob rationes allatas videtur plausibilior.

Dicendum 7. Materia Diaconatus duplex est & *Materia Diaconatus.*
partialis, una est, impositione manuum, & traditio libri Evangeliorum: Forma, sunt verba illis respectivè correspondentia. Alia materia, est traditio *Eius forma.*
Calicis & patenæ, quam pro materia assignat Conc. Florent: quod et si impositionis manuum non meminit, eandem tamen non negavit, uti ante dictum est in simili de Sacerdotio. Et quamvis solum 8. annis post Christi ascensionem scriptum fuerit Evangelium primum S. Matthæi, & tempore intermedio plurimi sint ordinati Diaconi: tamen quidam hic docent, dispensatione divinâ tales esse ordinatos solum manum impositione, quod uti gratis asseritur, ita & gratis destruitur: Alii docent eos ordinatos esse traditione membranæ, in qua præcipua fidei rudimenta essent conscripta, quòd itidem gratis asseritur, cum & modo possent ita ordinari Diaconi. Unde alii rectius docent, quòd Ecclesia aliter determinaverit materiam ordinationis Diaconi primis temporibus, quam modo determinaverit, quod Ecclesiæ relictum esse, diximus agendo de Sacramentis in genere.

Dicendum 8. Materia subdiaconatus est traditio *Materia Subdiaconatus.*
Calicis vacui & patenæ vacuæ, uti patet ex Concio-
lio Florentino & aliis. Nec quidquam obstat, quòd *natura*,

antiquitus subdiaconis vetitum sit , attingere vasā sacra , cùm hoc sit intelligendum de vasis continētibus de facto Corpus aut Sanguinem Christi. Forma est , verba huic traditioni correspondentia.

Materia aliarum ordinacionum est id , quo significatur ejus potestas , dum traditur , v. g. materia Acolyti , est traditio Urceorum : Exorcistæ , traditio libri exorcismorum ; Lectoris , Libri Sacri : Ostia-rii , traditio clavium Ecclesiæ , &c. Forma verò sunt verba tali traditioni correspondentia.

Quali contactus instrumentorum sit hic requiri- tum ob Ecclesiæ praxim , tum ob periculum nulli- tatis Sacramenti. Ad valorem tamen Sacramenti probabiliter satis sufficit contactus moralis instru- mentorum , eo quod physicus contactus probari ne- queat , neque ex institutione Christi , quæ nullibi extat ; neque ex ratione Sacramenti , per quod datur po- testas spiritualis , quæ æquè dari potest , per conta- ctum moralem ac physicum. Aliud est in Sacra- mento Baptismi & Confirmationis , in quibus debet materia subiecto physicè applicari , idque ad veri- ficationem formæ quod hic non requiritur.

Si verò ordinandus in Sacerdotem tangat physi- cè calicem , non requiritur ad valorem physicus con- tactus patenæ superpositæ : Item non requiritur con- tactus physicus hostiæ , dum tangitur patena , in qua est hostia : sicut enim censetur attingi vinum in Ca- licie contentum , dum tangitur cuppa , ita & censem- tur tangi hostia , dum tangitur patena. Unde in pon- tificali Romano solùm præscribitur , ut ordinandus simul tangat cuppam Calicis & patenam nullâ fa- etâ mentione hostiæ.

SECTIO IV.

De Ministro & subjecto ordinis.

DICENDUM primò, Patet ex Conciliis Florentino & Tridentino, & continuâ Ecclesiæ praxi, ordinarium Ordinis Ministrium esse Episcopum, cui competit hæc administratio vi sue ordinationis, adeoque conferri potest ab Episcopo excommunicato, hæretico, degradato, &c. Minores Ordinestamen Conferri possunt à simplice Sacerdote ex commissione Papæ, uti constat ex praxi Abbatum: unde aiunt Concilia, ordinarium Ordinis Ministrium esse Episcopum, quo dicto insinuant extraordinarium esse Sacerdotem, quare & dicta potestas aliquando data est Missionariis in partibus infidelium remotioribus.

Imò concessa est à S. Sede quibusdam Abbatibus Cisterciensibus potestas conferendi subdiaconatum & Diaconatum suis subditis, uti patet ex Bulla Innocentii VIII. Quæ est quinta in Bullario Rodriguez, de quo jure, cùn modo satis constet, dubitari nequit, cujus si fuissent consciî variî scriptores veteres, idem nobiscum indubie docuissent.

Hinc patet falsissimum esse hoc sectariorum dogma, quo docent, penes Magistratum politicum esse potestatem eligendi, constituendi, instituendi quoscumque Ecclesiæ sive verbi divini Ministros, ut ex Concilio Trid. patet sess. 23.

Dicendum 2. Soli mares sunt ordinis capaces. Hinc si quando officia Diaconiarum dicuntur ordines, impropriè tali nomine utuntur. Infantes verò etiam ordinum sunt capaces, cùm illis potestas spiritualis conferri possit, ad certa munia obeunda, sine proximâ facultate exequendi eadem munia. Variæ tamen sunt conditiones in ordinandis requisitæ: Exactam tamen & necessariam Clericorum conditionem describit

noſter Philippus Bonæ Spei opere ſingulari & erudi-
to de eadem re composito. Ac primò quidem requi-
rit, ut clerici elegantur, uti ſonat ipſa vox Clericus,
quod eſt forte electus. Primò tamen debent eligi ſeu
aſſumi à Deo, juxta illud Psal. 64. *Beatus quem ele-
giſti & aſſumpſisti, inhabitat in atriis tuis.* Per oſtium
enim, ideſt Christum, intrandum eſt in oyile ovium
ideſt Eccleſiam, aliās qui aſcendit aliunde, ille fur-
eſt & latro. Sic ipſe Christus Marci 3. *Vocavit ad ſe
quos ipſe voluit, & veneſunt ad eum.* Ex hiſ & aliis c.
16. Taxat præfatus Doctor Clericos illos, maximè regu-
lares, qui ad ſacros ordines deſiderant ſublimari,
feque vel apertè offerunt, vel occultè appetunt in-
vitari: qui, ſi viderint diem præteriſſe, quo ſe à
Prælatis ſuis putabant commoneri, & ſpe fruſtrata
ad optatos ordines nequaquam promoveri: mu-
muran, & aſſerunt indignius debito ſe traſtari, cum
eorum perſonæ amplius, ut aſtimant, debuerint
honorari: Unde & de diſcretione magiſtrorum diſ-
putant, vel eorum erga fratres dilectionem accuſant,
quia videlicet unumquemque fratum juxta debitum
modum diligere, vel quomodo cumque deferendu in-
ſit, nesciant diſcretius pervidere. Ita ferè Philippus,
qui & concludit dicens: *Ille ergo ſecurè, ille, inquam,
ſalubriter promovetur ad Eccleſiaſtīcam dignitatē: qui in
ipſā promotione, non ſuam ſed Dei ſequitur voluntatē:
& ſi poſſet fieri, mallet ſecurius in humili remanere, quam
in ſublimi periculofiuſus eminere.* Unde & ſtatuta noſtri
ordinis diſt. 1. c. 21. Nullus honorem ambiat, vel ut
ad ordines mittatur, Prælatum ſollicitando fatiget: ſed
unusquisque patienter expellat, quo uisque à Deo tamquam
Aaron, per ſuum Prælatum vocetur atque mittatur.

Qualita- 1. Tamen generaliter requiritur certa aetas, quæ
ies ordi- jure novo Tridentini ad ſubdiaconatum debet eſſe
nandorum 22. ad Diaconatum 23. ad Sacerdotium 25. ſaltem in-
choatorum annorum: ad Epifcopatum requiritur
annus 30, compleetus. Pro minoribus ordinibus, ſup-
poſito rationis uſu, & ſuppoſitâ ſufficienti ſcientiâ,

non

non requiritur certus annorum numerus, præcipitur tamen in Pontificali Rom. ne tonsura conferatur ante annum ætatis septimum.

2. Requiritur in ordinando sufficiens scientia: tonsurandus debet scire rudimenta fidei, legere, scribere: Ad minores ordines requiritur scientia linguae latine. Ad Subdiaconatum & Diaconatum requiritur, ut litteris sint instructi, & sciant illa, quæ ad officium suum exequendum requiruntur. Ad Sacerdotium requiritur, ut sciant docere populum ea, quæ ad salutem sunt scitu necessaria: ad Episcopatum, ut sit potens exhortari in verbo, & eos qui contradicunt, arguere.

Porrò examen hujus scientiæ etiam quoad regulates, spectat ad Episcopum, vel alios ab eodem deputatos: qui spectare debent non tantum ad scientiam, sed & ad Doctrinæ sanitatem: non enim hic sufficit Doctrina falsis & perniciosis dogmatibus innixa & suffulta, sed Doctrina lana & incorrupta: si aliâ imbutos ordinant, incommoda & damna filiilibus ex eorum doctrina provenientia, ordinanti & examinanti neque contradictienti imputabuntur.

3. Requiritur, ut ordinandus sit probus & integer moribus, ne vitâ improbabâ Ecclesiasticum statum commaculet: unde & meritò monet Apostolus Timotheum, ne cuipiam citò manus imponat, sed præviè maturè consideret merita ordinandi. Certè antiquis Ecclesiæ temporibus in conferendis ordinibus erat Ecclesia parcior, adeò ut non nisi maturâ morum & vitae factâ inspectione aliquem ordinaret. Hinc Innocentius Papa Epist. 3, ad Felicem ita scribit: *Non prohibentur hujusmodi ad Clericatus sortem assumi, ita sanè ut in eos tempora à majoribus constituta serventur, nec citò quilibet Lector, citò Acolythus, citò Sacerdos fiat, quia in minoribus officiis si diu perseverent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur.* Tempora verò illa erant, ut nemo Subdiaconus nisi exacto vigesimo, Diaconus vigesimo quinto, Sacerdos trigesimo posset ordinari, uti statuit

Siricius Papa. Quam parcii quoque in ordinationibus fuerint in primitiva Ecclesia, ostendit Card. Bellar. in admonitione ad Nepotem controv. 5. ubi refert, quod S. Linus Petri Successor ordinaverit tantum Presbyteros 18. toto Pontificatus tempore, quod fuit 15. annorum. S. Anacletus sedit annos 9. ordinavit Presbyteros 5. Diaconos 3. Idem de aliis Pontificibus ibi refert Bellarminus, ita concludens: *Hæc certè parcias tantorum Ponificum deberet omnes Episcopos serio admonere, ut non nisi viros doctos & probos & eo gradu dignos eligerent, quod omnino facient, si decorem domus Domini ex animo diligent.* Quapropter laudabiliter ab Illustrissimo D. Ferdinando Episcopo nostro institutum, ut interstitia & alia ordinationibus prævia à Concilio Trid. requisita de cætero observarentur.

4. Requiritur, ut ordinatio fiat ab Episcopo proprio. Censetur verò Episcopus proprius vel ex parte originis, vel domicilii, vel beneficii. Originis quidem, si sub alicujus Territorio natus sit à quo ordinatur. Domicilii, si alibi habitet animo ibidem manendi: ex quo sequitur studiosos universitatis non subesse Episcopo universitatis, si habeant animum redeundi. Beneficii verò, qui obtinent beneficium in alicujus diœcesi. Si verò quis ordinandus sit ab alieno Episcopo, requiritur, ut à proprio Episcopo, vel à vicariatu, vel etiam à Sede Apostolica habeat litteras dimissoriales. Variis tamen Religiosis, etiam post Concilium Tridentinum data est à S. Sede facultas suscipiendo ordines à quocumque Episcopo Catholico, idque sine dimissorialibus.

5. Requiritur, ut ordinandus pacifice obtineat beneficium Ecclesiasticum, quod ei ad debitam sustentationem sufficiat; si verò habeat sufficiens patrimonium aut pensionem, ordinari non potest, nisi id necessarium pro Ecclesiæ commoditate judicer Episcopus, uti statuit Con. Trid. ses. 23. c. 16. reform. Loco beneficii in regularibus succedit paupertas Religiosa. Potest quoque insufficientia beneficii suppleri patrimonio,

monio, quæ sufficientia ab Episcopis debet judicari. Porrò beneficium illud debet esse perpetuum, unde non sufficit Capellania temporalis & ad nutum amovibilis, neque titulus coadjutoriæ cum certa spe successionis, nisi tali titulo detur pensio sufficiens. Ex quo Card. Bellarm. in admonitione ad Nepotem ita concludit: *Proinde maximus est abusus, ordinari quoslibet ad titulum Patrimonii. Plurimi enim ordinari cupiunt pro utilitate sua, non Ecclesia, & de celebratione missæ faciunt artem de pane lucrando, unde Sacerdotium contemptibile reddiunt & Ecclesia scandalis patet.*

6. Requiritur ut ordinandus sit de legitimo thoro.


7. In ordinatione servanda sunt certa tempora ab Ecclesia præscripta. Episcopus quidem die Dominico vel natalitio Apostoli. Alii Sacri Ordines, 4. temporum Sabbatho, Sabbatho Sancto, vel Sabbatho ante Dominicam Passionis. Extra talia tempora ordinati, ab ordine sunt suspendendi: ordinantes verò ipso facto sunt suspensi. Minores Ordines conferri possunt omni Dominica & festo duplici, manè tamen. Imò ex consuetudine possunt conferri & alio tempore, uti hic in Belgio feriâ 6. ante Sabbathum ordinationis. Tonsura denique conferri potest quocumque die, quacumque horâ & loco. Ita Pontificale Rom.

8. Servanda quoque in ordinatione sunt interstitia, adeò ut nullus eodem die plures ordines queat accipere. Ita Conc. Trid. ses. 23. c. 13. reform. statuit quoque, ne Subdiaconus ante annum interstitii fiat Diaconus, idem est de Diaconatu & Sacerdotio, nisi aliud convenire judicet Episcopus, aut alia causa urgens obster. Aliquibus tamen regularibus ex privilegio aliud à S. Sede concessum est.

9. Ad validam ordinationem non requiritur aliqua ordinandi intentio, sed & invitus ordinari validè poterit. Si enim invitum quoque possit princeps secularis aliquem compellere, ut officium assumat, cur non idem posset & princeps sive superior Ecclesiasticus? imò hoc factum esse in variis, testantur historiæ, ut de

de Pauliniano Fratre D. Hieronymi, de quo Baronius ad Annum 392. Item cum Macedonio, de quo Theodoreto in Historia SS. PP. cum Augustino, Norberto, &c. Quia tamen ex simili ordinatione gravissima incommoda oriri possent, similes ordinationes sunt planè illicitæ, adeò ut rectè Ecclesia ordinet & præscribat, ut si quis Episcopus sine causa invitum ordinet, uno anno ab officio sit suspensus. Canon. 33. Pœnitent.

De continentia Clericorum agam in materia de impedimentis Matrimonii, agendo de voto.



CAPUT DUODECIMUM

De Matrimonio.

S E C T I O I .

De Sponsalibus

*Quid sint
Sponsalia.*

DICENDUM primò, *Sponsalia* propriè sunt futurarum nuptiarum promissio. Vocantur *Sponsalia* à *spondendo* sive *promittendo*, eò quòd uxor ante nuptias ab aliquo ejus curam gerente spondebatur, qui vocabatur *Sponsor*, femina quæ spondebatur, dicebatur *Sponsa*, ille cui spondebatur, dicebatur *Sponsus*. Dicitur verò *Promissio*, cùm nudum propositum etiam verbis expressum nullam hic inducat obligationem. Debet quoque promissio illa esse reciproca sive mutua, cùm sit contractus onerosus habens annexam hanc conditionem, *promitto tibi, si tu repromittas*. Undè alterutrā solùm parte promittente, non habentur sponsalia, nisi accedat repromissio, & consensus mutuus. Hoc tamen notandum est, quòd si major septennio promittat minori

nori sponsalia, obligetur eatenus, ut debeat expectare, si fortè puer adultus velit datam fidem accep-
tare ac repromittere. In foro quoque conscientiae poterit unus sponsalia promittens obligari, et si alius non repromittat, potest enim obligatio esse solùm ex parte unius: sic deflorator Virginis obligatur eam ducere, et si alia non obligetur ducere deflorato-
rem: potest quis se obligare ad vendendam alteri domum, sic ut alter non teneatur illam emere: hæc tamen & similia sponsalia non inducunt impe-
dimentum publicæ honestatis dirimens, cùm non sint promissiones onerosæ & reciprocae, quales sunt spon-
salia, de quibus hic agitur.

Dicendum 2. ut ergò sponsalia teneant, debet alia pars sponsalia acceptare, ad quam quandoque sufficit ipsa taciturnitas, si ex circumstantiis sati colligatur intentio eadem acceptandi. Circumstan-
tiae verò similares, si sint ambiguæ, ex intentione quoad conscientiam sunt disjudicandæ. Hinc si mu-
tuò dent arrham ex intentione sese obligandi, tene-
bunt sponsalia, secus si solùm dent ex intentione declarandi propositum, quad habent circa futuras nuptias.

Si verò quis modo ordinario acceptet alterius promissionem, eo ipso verosimilius habebitur repro-
missio, nisi aliundè suam mente in manifestet ac-
ceptans eam esse contrariam: promissio enim spon-
salaria ordinario modo facta de se est onerosa, quæ
eo ipso quò admittitur censetur esse repromissio.

Dicendum 3. debet quoque hæc promissio esse cum unâ determinatâ, undè si quis sese obliget 3. fororibus vicissim se obligantibus, non erunt vera sponsalia, nec inducent impedimentum publicæ honestatis. Electio tamen alicujus ex illis tribus, est penes promittentem, uti in aliis promissionibus alterativis. Factâ tamen electione exsurgunt vera sponsalia & impedimentum publicæ honestatis.

Dicendum 4. sponsalia, uti aliæ promissiones, fieri

*An acceptatio
promissio
nu sit re-
promissio.*

*Promissio
hic debet
esse deter-
minata.*

*Sponsalia
conditio-
nata.*

fieri possunt sub conditione de futuro , ante cujus positionem non obligant , etsi debeant expectare eventum , nec illis sit liberum resilire. Interēatamen non oritur impedimentum publicæ honestatis , sed impletā conditione statim exsurgunt vera sponsalia , etsi non accedat novus consensus , & inducitur dictum impedimentum , unde sponsalia tunc transeunt in absoluta , ut etiam si conditionem sponsi rejiciant. Si verò conditio adjecta sit turpis vel impoñibilis , dicitur communiter illa haberī pro non adjecta : verumtamen , si eo animo tales conditiones addantur , ut excludant consensum , certum est ejusmodi sponsalia non tenere in foro conscientie : in foro tamen externo , ubi intentio probari nequit , habentur pro non adiectis : ubi tamen hoc notandum , hoc à jure solum dispositum esse , quoad matrimonia similibus conditionibus vestita , sed communiter extendi quoque ad sponsalia , eo quod eadem censeatur esse mens Pontificis , etiam quoad sponsalia.

Dicendum 5. Contractus sponsalitius debet quoque esse verus , nec sufficit ficto animo initus , sed debet adesse seria voluntas sese obligandi. Si enim consensus serius desit , etsi verba consensum significant , nulla in foro conscientiae erit obligatio , cùm consensus necessariò ad valorem contractus requisitus non adsit , sed solum significetur adesse. Neque refert . quod dum quis libere profert verba detractoria , non pendeat ab ejus voluntate alterius famæ violatio , quæ sequitur ex prolatione verborum , adeoque idem videatur dicendum , quod dum quis profert verba significantia consensum , inducat hic veram obligationem : quia vis lèndendi famam alterius , inest ipsis verbis independenter ab alterius voluntate : obligatio verò contractuum non dependet à solis verbis , nisi in foro externo , sed à voluntate contrahientium , quæ etsi significetur adesse , tamen revera non adest. Neque ideo dici potest , quod nemo

erit

erit certus de promissione sibi facta, eo quod latet intentio: quia et si de valore ejus non sit metaphysicè certus, moraliter tamen ex circumstantiis potest de ea esse certus, quæ certitudo in humanis abunde sufficit.

Dicendum 6. Debet promissio illa esse deliberata, adeo ut promittens perfectè sciat, quid agat; unde amens, ebrius promittens nuptias, non contrahet sponsalia, et si quoque promissio illa fuerit voluntaria in causa, v. g. si prævideat quis, quod illa promittet, si se inebriet: et si enim illa promissio sit voluntaria in causa, tamen libertas illa non sufficit ad inducendam obligationem in promittente, et si sufficiat ad peccandum. Non tamen debet necessariò illa pronissio esse reflexa, ut sciat reflexè se promittere, sed satis est, quod sit in tali statu, ut satis advertere possit, quid agat, et si forte non advertat reflectendo, quid promittat.

Ex antedictis patet, quomodo defectu consensu non valeat promissio, cui error dedit causam, qui error versatur circa substantiam rei. Patet itidem, quomodo sponsalia contracta ex gravi metu sint nulla, uti & cæteri contractus ex tali metu initi, idque probabilius ex jure naturæ, cum ratio naturalis & æquitas naturalis non censeatur permittere, ut quis petat injuriam acquirat jus in rem alterius, & in illo qui metum patitur oriatur obligatio erga eum qui metum infert, non magis quam permittat talem obligationem oriri ex furto. Neque dici potest, quod hic sufficiat tales contractus ad libitum metum passi esse rescindibiles, cum metum inferens posset exigere juramentum ab alio, quod illum numquam rescindet, nec relaxationem petet à juramento. Aliud est de metu levi, cum in nostra potestate sit illum repellere, ac proinde imprudentiae nostræ imputandum sit, nos tali metu ad obligandum nos propelli, unde in foro externo tali metui non competit actio vel exceptio, cum presumatur liberè consensisse.

SECTIO

SECTIO II.

Quando, & ubi fieri debeant sponsalia.

Sponsalia **D**ICENDUM primò, Etsi ex jure naturæ non requiratur certa ætas ad valorem contractuum sponsalitiorum, sed sufficiat rationis usus: ex jure tamen positivo ad eorum valorem requiritur septen-nium completum, uti habetur cap. *Litteras*, & cap. *Accessit*: de disposit. impub. ubi quoque declaratur, non incurri citius impedimentum publicæ honestatis. Assignatur autem ætas 7. Annorum, eo quod tunc præsumantur habere sufficientem rationis usum: si verò aliquandò eo careant, eo quod sint hebetioris ingeni, non sunt quoque capaces sponsalium, quod tamen in foro externo non admittitur, nisi probetur, & semper præsumi solet contrarium. Si verò ante septennium malitia suppleat ætatem, verius est ex dictis capitulis, non valere sponsalia tunc contracta, et si sit aliud de matrimonii ita contractis.

Sponsalia clandestina **D**icendum 2. Valent sponsalia clandestinè contracta id est sine præsentia Parochi & testibus: ratio est, quod ante Concilium Trid. valerent ejusmodi sponsalia, adeoque & nunc, cum nihil circa sponsalia innovaverit dictum Concilium, sed solùm circa Matrimonia clandestina. Si tamen nequidem unus testis adsit docent plerique contractum sponsalitium esse grave peccatum, idque ob gravissima mala inde oriñata, v. g. quod impedimentum publicæ honestatis detegi nequeat, quod fidem frangens non possit ab Ecclesia compelli, &c. Ad quæ alii respondent, satis probabiliter, illa mala nihil obstat, cum alias ex jure naturæ illicita essent sponsalia clandestina, uti & variis aliis contractus. Cui addunt, quod impedimentum affinitatis ortum ex copula occulta etiam Ecclesiæ non possit detegi, adeò ut sapientia Eccle-

Ecclesia imponat aliquam inhabilitatem actioni occultæ.

Dicendum 3. Matrimonium clandestinum bonâ fide initum nec jure naturæ, nec jure Ecclesiæ transit in sponsalia: Non enim donatio facta contra legem irritantem, transit in promissionem, sed absolute est nulla. Neque dici potest, talem velle se obligare in quantum potest, adeoque si non possit se obligare ad matrimonium, censeatur se obligare ad sponsalia, cum possint subesse rationes, quare vellet inire matrimonium, & non sponsalia: Deinde, solum adest consensus in matrimonium, non item in sponsalia. Quod autem nec hoc fiat ex jure Ecclesiæ clarè constat ex Concilio Tridentino, quod sess. 24. c. 1. reform. absolutè annullat matrimonia clandestina. Hoc tamem notari hic potest quod matrimonia impuberum transeant in sponsalia in iis locis, ubi Concilium illud non est publicatum, ita enim statuit Innocentius III. capt. *Tue nobis de disposit. impub. & capt. Unico titulo eodem.*

Dicendum 4. Sponsalia simplicia sive simplex matrimonii promissio obligat graviter, uti omnis omnino promissio in re gravi facta: Per promissionem enim acquirit promissarius jus ad rem promissam, quo jure resiliens eum privat, idque injuriosè in re gravi. Si verò sponsalia sint juramento firmata, fortius ligant, & à judice jurans compelli potest: Quo casu eti matrimonium non sit secundum se liberum, erit tamen liberum ut refertur ad consensum sponsalitium liberè positum, neque rationabiliter conqueri potest, se non habere majorem hinc libertatem.

U E C T I O III.

Quomodo Sponsalia dissolvantur.

*Sponsalia
dissolvuntur
mutuo
consensu.*

DICENDUM primò , Dissolvuntur sponsalia mutuo partium consensu , sicuti omnis contractus ex natura sua solubilis , qui sicuti ex mutuo consensu oritur , ita & ex mutuo consensu dissolvitur. Et hoc locum habet et si sponsalia sint jurata , cùm juramentum tamquam secundarium sequatur naturam principalis , & promissio facta sit cum hæc conditione , *Nisi alter remittat*. Quia tamen hæc remissio sine gravi causâ facta , continet quamdam levitatem , & si promissio coram parocho facta sit , quædam indecentiam : hinc Pontifex capt. *De illis de spons.* dicit. quòd illi qui sine conditione nuptias spoponderant , monendi sint & inducendi , ut fidem servent , aliàs si invicem admittere nolint , patienter tolerandum , ut sibi remittant.

Excipiuntur hæc impuberis , qui sponsalia , sive jurata sive non jurata , mutuo consensu dissolvere nequeunt , quod ita dispositum est c. *De illis.* 1. ut puerorum levitati occurritur. Quando autem ad annos pubertatis venerunt , possunt pro libitu resilire etiam alterâ parte invitâ , modò id statim fiat , id est intra triduum. Si verò ante pubertatem quis reclamat , censetur adeptâ pubertate manere in eadem reclamatione , nisi sententiam mutet : Si autem alter erat pubes & alius impubes , poterit im- pubes pro libitu suo resilire.

*Per professi-
onem.* Dicendum 2. Dissolvuntur sponsalia per Professionem in Religione approbatâ , quod etsi soli Matrimonio non consummato jura indulgeant , tamen idem extendi solet ad sponsalia , idque in favorem religionis. Quod verum est , etsi sponsalia forent jurata;

rata; sicut enim in contractu sponsalitio subintelligi solet promitto, nisi Religionem ingrediar, ita eadem conditio debet subintelligi adesse juramento, cum accessorium, id est, juramentum modificari debeat juxta modificationem principalis.

Dicitur quidem capt. *Commissum de sponsalibus*, tutius esse religione juramenti servata prius contrahere, & postea si elegerit, ad religionem migrare: quod verum est, si aliunde non timeantur graviora mala, quo casu id tutius est ad vitandam perjurie speciem & apparentiam, unde infirmi offendit possent: tamen quia ratio illa non est tanti momenti, & ex contrario graviora mala timeri possent, hinc plures docent praestare proximè ingredi religionem, cum contractus prævius sine gravamine & injuria partis vix fieri possit, & ita contrahendo alteri in re gravi illudatur: deinde ex tali contractu orientur multæ inutiles & vanæ expensæ in vestibus, conviviis, &c. Ali quando tamen per accidens praestaret ante ingressum Religionis contrahere, v. g. ad legitimandam prolein, si quæ esset nata ante sponsalia contracta.

Privilegium illud datur soli Professioni Religiosæ vel ordinis sacro, non vero scoli novitiatui, cum alias multi inducerentur ad facte ingrediendum, & è novitiatu egrediendum, ut liberi forent à sponsalibus cum aliqua contractis.

Dicendum 3. Simplex votum castitatis emissum *Per votum* ante sponsalia etiam jurata, eadem dirimit, cum ratione *tum castitia* talis voti sit promissio de re illicita, quæ sine peccato servari non posset. Excipiunt tamen multi, si talis à sponsa obtinueret copulam, quæ voti ejus esset inscia, de quo alibi actum est agendo de voto.

Dicendum 4. Solvuntur sponsalia etiam jurata per *Per matrimonium* Matrimonium cum alia validè contractum. Aliud est, *cum aliis* si sit invalidè initum, cum nemo ex sua iniquitate debeat reportare commodum: alter tamen innocens liberatur, cum alter attentando matrimonium censeatur fregisse fidem, & promissionem violasse. Per spons-

salia tamen cum alio inita , non solvuntur priora, cùm posteriora sint nulla , cùm res alteri obligata , non possit iteratò alteri obligari. Si verò cum posteriori secura sit copula , eaque sit habita affectu maritali , transeunt illa posteriora sponsalia in matrimonium in illis locis , in quibus Tridentinum non est receptum , adeoque solvuntur priora. Si verò copula illa fiat in locis ubi Concilium est receptum , & illa priorum sponsalium sit conscientia , certum est per talem copulam priora sponsalia non dissolvi. Si verò illorum non sit conscientia , & copulam admittat spe matrimonii , vindetur equidem prior esse ducenda , si velit : ratio est , quòd promissio secundæ facta , & damnum illi illatum non auferat jus alterius : etsi forte charitati esset conformius , ut prior juri suo renuntiaret , nisi quid obstaret : cùm enim non obstante voto Religionis aut Castitatis teneatur defloratam ducere , quanto magis non obstante promissione alteri facta ?

Hoc tamen circa dicta notaandum est , sponsalia per subsequens matrimonium non tam dissolvi , quam bene pro tempore sopiri , quo matrimonium illud durat. Si enim uxor illa moriatur ante sponsam , rursum obligatur sponsæ. Ex quo patet , quòd impedimentum hoc matrimonii , quoad sponsalia non sit perpetuum , prout est impedimentum Religionis.

Per fornicationem sponsa. Dicendum 5. Solvuntur sponsalia per fornicationem sponsæ post sponsalia habitam : cùm uti dicitur capt. *Quemadmodum de jure jurando* , talis conditio erat subintelligenda , *Si in legem conjugii illa non peccaret*. Quod etsi communiter intelligendum veniat de sponsa , tamen ob datam rationem idem intelligi posset de fornicatione sponsi. Dicta autem locum habent , etsi sponsa vi oppimeretur , cùm sine peccato notabiliter per fornicationem sponsa vilescat. Imò hoc etiam extendunt aliqui ad casum , quo sponsa se permittit ab alio turpiter attingi. Si verò sponsa ante sponsalia sit fornicata , & id nesciat sponsus , quod si scivisset , sponsalia contrahere noluisset ; poterit sponsus resilire : aliud

aliud est de sponso qui fornicatus est ante sponsalia, quo casu resiliere nequit sponsa, eo quod fornicatio reddat sponsam notabiliter vilarem, non itidem sponsum. Excipiunt tamen aliqui casum, quo sponsus multoties esset fornicatus, & fornicationi esset impense deditus, quo casu prudenter timeri posset fornicatio secutura. Idem dic de casu, quo sponso ex fornicatione, imo ex legitimo thoro sed ignorato, orta esset proles, cum hoc reddat matrimonium notabiliter difficultius, ob pericula discordiae, alimentationem, &c. Adeoque notabiliter variatur ejus conditio. Si vero sponsus resciverit praeteritam sponsae fornicationem, resiliere non potest. Sub fornicatione hic comprehende fornicationem spiritualem, puta haeresim, Apostasiam, &c.

Dicendum 6. Solvuntur sponsalia per supervenientem affinitatem inter sponsam & sponsum, v. g. si *tatem*. sponsus cognosceret sponsae consanguineam in secundo gradu, quo casu liberatur sponsa, nec tenetur dispensationem petere nec eamdem admittere. Tenetur tamen sponsus nocens petere dispensationem casu quo sponsa velit, & expensae adhibenda patiantur, & spes affulgeat dispensationem obtinendi.

7. Dissolvuntur sponsalia per profecionem sponsi *per profecionem sponsi vel sponsa longiorum* vel sponsae in regionem longinquam: & licet leges civiles velint hic esse expectandum alteri usque ad bienium, illi tamen derogavit Pontifex cap. *De illis, de sponsalibus*, adeo ut etiam statim possit altera pars resiliere.

8. Solvuntur sponsalia, si tempus ad matrimonium perficiendum prefixum, uti etiam ad restringendam obligationem perficiendi, sit praeterlapsum, aliud esset, si tempus illud prefixum esset solummodo ad specificandum tempus magis opportunum, non vero ad obligationem restringendam.

9. Solvuntur sponsalia, quandcumque supervenit contractui sponsalitio grave vitium, vel adeo notabilis mutatio, ut ea cognitâ noluisset alter contrahe-

re; v. g. si superveniret lepra, notabilis deformitas, infamia, paupertas, &c. Idem est, si parentes nolint dare dotem promissam, si inter sponsi & sponsae familiæ sit odium ingense exortum, &c.

*Timor
graviorum
mali.*

*An &
quando in
dissolven-
du spon-
sibus re-
quiratur
sententia
judicu-*

10. Solvuntur sponsalia, si ex futuro matrimonio gravia scandalæ meritò timeantur, v. g. graves inimicitiae, aut alia damna graviora, ad quæ cavenda obligantur sponsi abstinere à sponsalibus.

11. In dissolvendis sponsalibus non requiritur sententia judicis, si causa dissolvendi sit manifesta, et si aliquando ea requiratur, ut satisfiat Ecclesiæ, & obvietur aliorum scandalô. Si verò de sufficientia cause sit dubium, sententia judicis omnino requiritur, idque ob periculum probabile in justitiae, dum sub dubio alter privatur jure suo acquisito. Hoc denique notandum hic est, si alia pars laboret defectu notabili, v. g. leprâ aut simili, teneatur defectus illos alteri parti ante sponsalia aperire, alias illi foret injuriosa. Idem est de iis defectibus, quibus cognitis gravia timentur incommoda. Si tamen illi defectus redderent nuptias aliquo modo minus appetibiles, v. g. si esset corrupta, non ita nobilis, dives, &c. uti putatur non teneretur pars illa defectus illos aperire, quamdiu illis nemini nocet, sed alterius imprudentiae inputandum venit, si hic decipiatur, dum illa diligenter non investigat, quæ debet investigare: undè silentes sese esse fornicatas, non sunt condemnandæ: quamquam omni modo vitium hoc aut aliud simile debeat occultare, ne infausta subsequantur.

S E T T I O IV.

Quid in sponsalibus observandum sit.

DI CENDUM primò, Varia tam ex parte sponsorum, quam ex parte Parochi sponsalibus assidentis sunt observanda, quæ præscribunt ritualia.

Primo

Prīmō quidem, ex parte Parochi, quod stolā induitus, in loco decenti, non in cauponis, culinis, &c. sponsalibus assistat. Videat insuper an contrahentes sobrii sint, cuius defectus sēpē in pagis observatur: an adsint utriusque partis parentes, aut alii eorum nomine, sine quibus temere procedere non possunt Parochi. Inquirere quoque debent, an contracturi sciant prima fidei rudimenta & scitu ad salutem necessaria, quod audacter inquirere tenentur, nisi de sufficienti scientia sibi sufficienter constet. Inquiret quoque, an subsit aliquod impedimentum Canonicum, an libera voluntate ad contrahendum venerint, quo cognito, promissionem mutuo factam nomine Ecclesiæ acceptet, juxta præscriptum ritualis.

Dicendum 2. Ex parte sponsorum requiritur, ut habeant qualitates ante dictas, ut sciant necessaria fidei rudimenta, deliberato sint animo; nullo impedimento constricti, &c. debent insuper infra quadraginta dies procedere ad Matrimonium in facie Ecclesiæ perficiendum. Vetus quoque est sponsis habitare sub eodem tecto, & omne carnale commercium, quod iisdem post initum Matrimonium solum indulgetur, ne cum diabolo inchoent, quod in Domino est perficiendum: quo fit, ut amoris flamma in Matrimonio necessaria, ante illud extinguitur, & infasta subsequantur. Reliqua peragenda præscribit rituale.

SECTIO V.

De preparatione ad matrimonium.

DICENDUM primō, ante omnia requiritur; ut matrimonium initurus perpendat an vocatio sua ex Deo sit, ad quod sciendum juvabit frequens oratio, & pia exercitia. Consideret talentum suum,

si habeat ad perficiendum , quod intendit. Hinc , quia proprium judicium h̄ic facile corruptitur cœco sui amore , præstabit in hoc negotio adhibere parentum aut aliorum , quibus animi sui propensio nota est , consilium & beneplacitum. Hac enim ratione inchoantur nuptiae in Domino , cùm parentum consilio illæ inchoantur , quibus ipsa scriptura præcipit , ut tradant filios & filias in nuptias. Undè , qui sine justâ causâ parentibus inconsultis , aut rationabiliter inviis matrimonium ineunt , peccant mortaliter , graviter inhonorando parentes.

Dicendum 2. persuaso eo , quòd ad matrimonium vocatio à Deo sit , debita compars est quærenda : quæ compars primò debet esse fidelis , & paris culüs , cujus violatio tum Ecclesiæ præcepto districtè inhibetur , tum infaustos exitus in matrimonio parit. Neque h̄ic valet aliquorum frivola excusatio , licitum id esse , in illis partibus ubi Catholici Hæreticis sunt permixti , cùm similibus connubiis viriliter resistant superiores. Undè Illustriss. D. Castoriensis in suis constitutionibus ita habet fol. 25. *Prohibemus etiam sub pñnâ suspensionis ab officio missiōnis omnibus missionariis , ne quis personas , quarum altera est acatholica , nobis inconsultis , & sine speciali consensu præsumat conjungere.* Et iterum fol. 11. *Dein sapè deterrant plebem catholicam ne conjugii jugum ducat cum infidelibus , ne cum illis velit unum corpus fieri , cum quibus non possunt fieri unus sp̄iriūs.* Plura de his alibi in sequentiibus.

Requiritur 2. ut compars non sit consanguinea saltem in 4. gradu , prout Ecclesia prohibet : experientiâ enim teste , similes nuptiae non fiunt in domino , sed ex concupiscentiâ , ambitione aut simili vitiâ radice. Undè eadem constitutiones fol. 11. *Doceant etiam populum , ne intra consanguinitatis aut affinitatis prohibitos gradus matrimonia ineant : nam non prohibbit Ecclesia consanguineorum conjugia , ut fidei fidelium dominetur , sed ut ostenderet , quid naturæ , quid honestæ.*

honestati ac pudori conveniat. Unde ejus leges veteres consanguineorum conjugia in natura legibus fundatae sunt, quarum obligationem dispensatio ecclesiastica haud tollit, sed tantum alia naturae lex superior. Plura quoque de hoc casu in sequentibus.

Requiritur 3. ut compars sit similis conditionis, ætatis, & indolis: innuit hoc Poëta: *si vis nubere, nube pari.* Pari indole, ætate & conditione. Si compars sit conditione inferior, facile despicitur: si superior, facile despiciet. Si sit dispar indole, dispar erit & animo: & ut quidam ait, dum similes semel in contrahendo matrimonio jungunt dextras, saepius jungent manus in pugnos. Si denique compars sit dispar ætate, raro in domino erunt hæ nuptiae, sed vel ex effræni libidine, non prolium intentione, vel peccuniae aviditate.

Denique sit recta intentio volentium nubere, nec tam opes, pulchritudinem, quæ fallax est gratia, aut aliud simile motivum considerent, quām opes & pulchritudinem animi, in virtute sitam primariō intendant: dotata satis, si virtuosa. *Gratia enim super gratiam est mulier sancta & pudorata:* Eccli. 26. & qui invenit mulierem bonam, invenit bonum. Prov. 18. rectè Poëta & breviter:

Quæ tibi ducenda est, habeat P. quinque puella,

Sit pia, sit prudens, pulchra, pudica, proba.

Dicendum 3. matrimonium præcedere debet tria Proclama-
proclamatio sive denuntiatio, quæ nihil est aliud, tiones.
nisi quædam monitio fidelium, ut si sciant subesse
impedimentum aliquod, illud detegant, uti patet ex
Con. Trid. fest. 23. debet autem illa proclamatio
fieri, ut præscribit rituale à proprio contrahentium pa-
rocho tribus continuis diebus festiuis, hoc est, qui ex præ-
cepto Ecclesiæ observantur in Ecclesia, inita missarum so-
lemnia, aut in concione antemeridianâ. Ubi notari po-
test, illicite denuntiare parochos, qui proclamatio-
nes audacter emittunt die feriali, cum dies ille non
sit talis, qui observari debet in Ecclesiâ, festus sci-
licet,

*Dispensa-
tio in pro-
clamatio-
nibus.*

licet, quod ritualia præscribunt. Potest tamen Episcopus in his proclamationibus justâ de causâ dispensare, vel quandò clare constat nullum subesse impedimentum, vel grave damnum merito timeri posse. Sic dispensari solet sapè in matrimonio Magnatum, quorum matrimonia sunt publica, inter quos, si subesset impedimentum, facile proveniret in publicum; sic etiam, quando ex alterâ parte contrahentium timetur homicidia, minæ, inimicitiae, idque sine causâ. Idein si sit periculum pudoris, ob disparem ætatem, si unus sit verulus, altera juvenula. Sic etiam dispensatur, quandò est periculum infamiae, mortis, quandò concubinarius vult ducere concubinam ad legitimandam prolem &c.

*Sciens
subesse im-
pedimen-
tum, de-
bet illud
aperire.*

Si vero quis sciat subesse aliquod impedimentum, tenetur in conscientiâ illud aperire. Ratio est, quod quilibet teneatur superiori legitimè præcipienti aperire damnum tertio imminens, prout hic fit: quod impedimentum, si quidem subesse sciat, nec tamen probare possit, illud equidem aperire tenetur superiori, cuius erit ulterius ea de re investigare. Si vero impedimentum oriatur ex crimine occulto, tenetur alter conscius præmittere correptionem fratrem, & ejus ordine servato procedere.

S E C T I O VI.

De Matrimonio secundum se, an sit Sacramentum.

*Quid sit
Matrimo-
nium.*

DI CENDUM primò, Matrimonium est conjunctio viri & feminæ individuam vitæ societatem retinens. Dicitur Matrimonium vel à Matris munio seu munere, ut vult S. August. l. 19. cont. Faust. c. 26 eo quod mulieris sit conceptum utero puerum parere, educare, sovere, &c. Dicitur quoque conjugium, vel ex indissolibili nexu, quo maritati conjunguntur, vel à communijugo, quod conjuges subire debent. Dicitur quoque

que matrimonium *nuptiae*, eo quod pueræ pudoris gratia sese obnubere solebant, uti patet in Rebecca & ex Apostolo 1. cor. 11. Matrimonium verò supra definitum varia continet, ac primò consensum internum, contractum externum, obligationem & vinculum ex iis resultans, denique copulam maritalem.

*Quando
sit institu-
tae?*

Institutum est Matrimonium juxta D. Thomam alios, in Genesi quando dictum est à Deo, *Crescite & multiplicamini*: alii tamen docent ibidem datam esse à Deo solam benedictionem, maximè cùm eadem verba & bestiis dicantur: quapropter institutum volunt Matrimonium, quando Adam prophetavit dicens c. 2. *hoc nunc os ex offibus meis, & caro de carne mea*. Unde S. August. l. 1. contra 2. Epist. Pelag. c. 5. dicit à Deo *nuptias esse institutas tunc, quando dictum est, propterea relinquet homo Patrem, &c.* Neque à solo Deo, sed ab ipsa natura Matrimonium originem trahit: cùm enim natura etiam secluso peccato, inclinetur ad generationem; ad quam diversitas sexus est ordinata, sequitur à natura Matrimonii vinculum esse exortum. Non enim satis est puerum concipere, sed educare & fovere necesse est, ad quod maris & feminæ copulatæ vinculum requiritur, qui simul tum corporis, tum animæ pueri curam gerant.

Dicendum 2. Matrimonium in N. L. est verum Sacramentum. Est contra sectarios, docentes matrimoniū in mero contractu absolvī. Unde solet dici Matrimonium in statu innocentiae institutum esse, ut officium naturæ: post lapsum in remedium concupiscentiae: in L. N. in Sacramentum. Quapropter infideliū Matrimonia Sacramenti ratione carent, adeò ut ea propter S. Aug. doceat, in Ecclesia solummodo Matrimonium habere Sacramenti sanctitatem. Et Innoc. III. cap. *Quanto de divortiis, Matrimonia infidelium ait, esse quidem Matrimonia legitima, sed non rata, eò quod Sacramenti ratione careant.* Neque hic objici potest, quod Matrimonium Protoparen-
*An se-
cramen-
tum?*
tum contulerit gratiam & benedictionem, adeòque videatur

videatur esse Sacramentum: nam ut docet S. Aug. l. 13. confess. c. 24. illa benedictio solum dedit fœcunditatem corporibus, non vero animæ gratia augmentum. Denique, quando Apostolus conjugium Adae & Eve vocat *Sacramentum hoc magnum*: Intelligi debet de Sacramento largè sumpto, pro signo rei sacræ, puta conjunctionis Christi & Ecclesiæ.

Matrimonia infidelium non sunt Sacra-menta, dum baptisfan-tur.

Dicendum 3. Matrimonia infidelium quando baptisantur, uti & matrimonium fidelis cum infideli, etiam cessante lege Ecclesiæ irritante, non sunt Sacramenta. Probatur prius, quia quod ab initio non fuit Sacramentum, persolam baptismi susceptionem non potest fieri Sacramentum: quatenus tamen eoruindem matrimonia per baptismia incipiunt representare conjunctionem Christi cum Ecclesia, inter fideles & membra Christi, sic possunt dici Sacramenta, id est sacra signa, nullatenus vero Sacra-menta conferentia ex opere operato gratiam.

Probatur posterius, quia matrimonium est contra-Etus sacramentaliter duos conjungens, qui Sacramenti sunt capaces, qualis non est infidelis: unde si alter sit incapax, non potest ibi reperiri Sacramenti ratio, quod inter duos capaces exigit subsistere. Hoc tamen fatendum est, satis probabiliter dici posse, ex parte fidelis, utpote capacis, esse verum Sacramentum, uti esset ex parte unius Sacramentum conferens gratiam, si alter contrahentium esset indispositus ad gratiam suscipiendam: unde poterit Sacramentum unum afficere, & non alium. Sic etiam, in illa sententia, quæ docet contrahentes esse ministros Sacramentorum, poterit matrimonii contractus esse Sacramentum respectu unius, & non respectu alterius, si unus intendat alteri administrare illud, sic ut non vicissim alter idem intendat alteri.

Dicendum 4. matrimonium etiam ante carnalem copulam, est verum matrimonium: patet hoc in con-jugio D. Virginis. Ante copulam enim subsistit ve-rus contractus matrimonialis, cum detur jus in corpus mutuum.

mutuum & detur gratia : neque enim usus rei pertinet ad contractus validitatem : verè etenim emptus ac venditus est equus, et si eo nondum utar. Hinc, quando Apostolus vocat Sacramentum magnum, matrimonium, idest, esse duos in carne una, non debet intelligi, quasi re ipsâ deberent commisceri, ut subsistat matrimonium, sed duos haberi, quasi una personam, quod ante copulam sit, per translationem juris in corpus mutuum. Hoc tamen quoque verum est, quod ante Tridentinum, matrimonium contraheretur per copulam animo maritali factam, quo, casu quidem ad essentiam matrimonii spectabat copula, non tamen *ut copula*, sed ut signum externum consensum exprimens, quem consensum alia signa manifestare possunt sine copula.

Dicendum 5. Quod ergo matrimonium sit verum N. L. Sacramentum declarat Conc. Trid. sess. 24. Veritas hujus admodum difficulter ex Sacra Scriptura erui potest : oportet tamen multa credere, quæ scriptura non continet, sed traditio confirmat, v.g. hunc librum esse Canonicum, illum esse apocryphum. Falsum tamen est illud Calvinii dogma, quo docet, neminem ante tempora Gregorii vocasse matrimonium nomine Sacramenti, cum Tertullianus sàpè matrimonium eo nomine appelleret, idem facit Lactantius, Aianasius, & alii apud Estium in 4.

Porrò evexit Matrimonium Christus ad Sacramenti dignitatem Joannis II. quando benedixit nuptiis in Cana Galileæ, quæ benedictionis virtus omnibus nuptiis fidelium adhaeret ; neque dici potest, quod hic sit solùm benedictio temporalis corporibus data, cùm salvatoris benedictio sit maximè spiritualis, animam sanans & corroborans.

Porrò effectus præcipui Matrimonii sunt varijs, ut puta libidinis suffocatio, charitatis mutuae incrementum, educationis puerorum sublevamen, & alia his similia, quæ ad statum Matrimonii dignè persolvendum sunt necessaria.

Varia

Varia contra dicta obiectiunt sectarii: primò quod Matrimonium non efficiat rem quam significat, puta conjunctionem Christi cum Ecclesia: quod potius gratiae collationem impedit, juxta illud Lucæ 14. uxorem duxi, & ideo non possum venire, & juxta Apostolum impedimentum praebat Dominum obsecrandi. 2. quod unum Sacramentum non opponatur alteri, sicut ordo Matrimonio. 3. quod contractui Matrimoniali saepè admisceatur pactum pecuniarium, quod in Sacramenti collatione est simoniacum. 4. quod ergo Matrimonium praestet virginitati, cum praestet per Sacraenta acquirere gratiam, quam ea carere. 5. quod Ecclesia nihil poslit circa essentialia Sacramentorum, ubi tamen hoc facit in Matrimonio, inhabilitando certas personas. Ad quae Resp. ad primum quidem, quod Sacraenta non efficiant omnia, quae significant, v. g. significant Christum, ejus passionem, &c. significant tamen Matrimonium gratiam, quam quoque efficit. Deinde, Matrimonium de se gratiam non impedit, quam causat, sed si gratiae obex ponatur, non est ille matrimonio, sed concupiscentiae & malitiæ conjugum adscribendus.

Ad 2. Resp. absolutè non esset repugnantiam inter illa Sacraenta, cum maritus non bigamus de consensu maritæ possit suscipere ordines, manente vinculo Matrimonii. Id patet in græcis, quorum Sacerdotes sunt aliqui conjugati.

Ad 3. Resp. pro hoc contractu, ut est Sacramentum, nihil pecuniae accipi aut dari, quamvis bene, ut est contractus civilis, quo compensetur inæqualitas ex parte nobilitatis aut alterius qualitatis in altera parte contrahentium, eodem modo quo per additionem pecuniae in permutatione calicis consecrati defectus argenti potest suppleri.

Ad 4. Resp. et si Matrimonii Sacramentum conferat gratiam, majorem tamen gratiam & gloriam confert virginitas illis, qui sese propter regnum cœlorum castraverunt.

Ad

Ad ultimum Resp. materiam aut subjectum Matrimonii esse personas capaces: numquam autem facit Ecclesia, quod personæ capaces, non sint capaces: aut incapaces sint capaces, sed solùm declarat, quinam sint capaces.

Dicendum ultimò, Ratio Sacramenti non est ita - indivulsè annexa contractui Matrimonii, quin ab eo possit separari. Christus enim evehendo Matrimonium ad esse Sacramentale, non invalidavit contractum *An ratio
Sacramen
ti posse
luc separa
rari a con
rationem Sacramenti.* Hinc si quis non haberet intentionem conferendi sacramentum, dum seriò matrimonium contrahit, erit verum matrimonium, et si non sacramentum: undè, siquandò legitur matrimonium esse Sacramentum, intelligi, debet, si cætera ad Sacramentum requisita adsint. Nec ideò licitum erit illis qui sibi mortalis sunt consciî, excludere à suo contractu rationem Sacramenti, cùm hoc sit contra institutionem Christi, prout ex sensu Ecclesiæ constat, quæ in contracturis requirit statum gratiæ.

Notandum etiam in hac materiâ, SS. PP. de matrimonio aliquandò minus laudabiliter esse locutos, maximè dum erant laudandæ castitati intenti. Inter alios hoc patet in S. Hieronymo, qui aliquandò omnia matrimonia, aliquando secunda videtur penitus rejicere. Ait enim l. 1. contra Jovinianum: *ero te, quale illud bonum est, quod orare prohibet? quod corpus Christi, accipi non permittit? quamdiu impleo mariti officium, non impleo Christiani.* Ex quo obiter illud notari velim, insinuari hic à Sancto Doctore, tempore communionis ab uxore esse abstinendum.

Rigorosius tamen loquitur de secundis nuptiis, dum ad Salv. ita de iis scribit: *vide qualia sint secunda matrimonia, que Lupanaribus preferuntur.* Deinde ad Furiam apertè dicit, quod nulla vidua non nubat, nisi ut cum marito dormiat, et si aliquis prætextus habeat, patrimonii servandi, servos coercendi &c. item ad Geruntiam ait, *Bigamos ut indignos ab eleemosynis*

mosynis Ecclesiæ excludi. Quomodo tamen utramque matrimonia non rejiciat, ibidem expressè addit, dum ita objicit: *damnamus secunda matrimonia? minimè: sed prima laudamus.* Rejicit ergò matrimonia in comparatione cœlibatū; item secundas nuptias in comparatione priorum.

SECTIO VII.

De Ministro Matrimonii.

DICENDUM i. communis posteriorum scholasticorum est doctrina, ait Estius, virum & feminam contrahentes esse propriè hujus Sacramenti ministros. Ratio illorum est, quod ad ministrum Sacramenti spectet pronuntiare formam, & per illam confidere Sacramentum, quod contrahentes faciunt, quando mutuo dant fidem. Idem declarat Concilium Florent. quod ait: *causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* Cùm ergò ipsi contrahentes per verba consensum illum exprimant, sequitur eos efficerre matrimonium ejusque esse Ministros. Adde, quod ante Concilium Trid. matrimonium potuerit inter illos solos validè contrahi, quod tamen & tunc fuit verum Sacramentum.

Parochus. Alii tamen, quibuscum assentimur, docent minister matrimonii esse Parochum, non verò ipsos contrahentes. Probatur hoc ex Tridentino c. 1. sensu monisi. 24. ubi statuitur, ut Parochus rogato viri ac mulieris assensu dicat, *ego vos conjungo.* Ergò cùm Parochus sit, qui illos conjungit, non quidem in ratione contractus anteà initi, sed in ratione Sacramenti, sequitur Parochum esse ministrum Sacramenti matrimonii. Neque dici potest, quod *to conjungo* sit idem quod *declaro vos esse coniugatos*, hoc enim est ab omni significatione talis vocis alienum, prout idem

idem est, in to *absolvo* in Sacramento pœnitentiæ.

Secundò, Concilium Flor. generaliter dicit Sacra-
menta tribus perfici, scilicet *verbis tamquam formâ*,
quod dum potest, debet propriè intelligi.

3. Sic optimè intelligitur, quomodo forma pro-
feratur in nomine Christi, ut ministri principalis,
quod ad formam Sacramentorum requiritur: ubi ta-
men contrahentium verba sunt, *accipio te in meam*
&c. neque in nomine Christi accipitur sponsus aut
sponsa: sic etiam ante Concilium Trid. copula ma-
ritalis æquivalebat dictis verbis, absonum verò esset
dicere talem copulam fieri nomine Christi.

4. Formæ Sacramentorum significant effectum
Sacramenti, cujus sunt formæ, & continent signifi-
cationem sacram; illa autem contrahentium verba
solum significant consensum internum.

5. Apostolus ne quidem perinittit mulieribus in
Ecclesia loqui, quod & de administratione Sacra-
mentorum intelligunt omnes, etsi aliquando ut mi-
nistrae extraordinariæ Sacraenta conferre possint,
v. g. baptisare.

6. Quando fideles ante Tridentinum clandestinè
contrahebant matrimonia, non existimabant se esse
sacrilegos, etsi contraherent in statu peccati morta-
lis, quam æstimationem approbat Paludanus in 4.
dist. 5. q. 2.

7. Manuale Mechlinense tam anni 1589. quam
1607. ita habet: *stante viro ad dexteram, muliere vero*
ad sinistram Sacerdos hujus Sacramenti MINISTER, spou-
sum & sponsam aperget aquâ benedictâ, rursus Sa-
cramenti MINISTER interrogat.... datâ sic utrumque fi-
de, dicat Sacerdos, & ego tamquam Dei MINISTER
vos conjungo in matrimonium. Hoc autenī manuale est
variorum Theologorum Sacrae facultatis Lovanien-
sis operâ concinnatum, uti patet ex censura Henrici
Cuyckii de quo vide hic Sylvium. Huic accedunt va-
ria alia manualia, Attrabatense, Yprense, Colonien-
se, &c. His quoque adde rituale Romanum jussu Pii

V. editum, quod in præfatione ita habet: *Ceterum istorum Sacramentorum, quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus in hoc opere prescribuntur: cuiusmodi sunt baptisimus, paenitentia, Eucaristia, extrema unctio, Matrimonium.*

Denique, modus loquendi SS. Patrum importat, Parochum esse ministrum hujus Sacramenti, dum Evaristus Papa Epist. 1. ita requirit benedictionem Sacerdotis ad matrimonia, ut sine illâ non conjugia sint, sed adulteria: dum S. Ambrosius dicit conjugia debere sanctificari benedictione Sacerdotali.

Ex quibus omnibus clare patet, hanc datam sententiam non esse novam, neque repugnare communii Theologorum sententiae, ut quidam contendit, sed semper à variis fuisse traditam. Alia quidem multorum est, sed nullius S. Patris. Adde antiquos Scholasticos quæstionem hanc reliquisse sub dubio, uti & de Conciliis Florentino & Tridentino est presumendum.

Quod verò ad fundamenta alterius sententiae oppositæ spectat, responderi potest, quod quidquid aliqua probare videantur in contrarium, solum intelligenda sint de matrimonio in ratione contractus, quod conirahentes v. g. efficiant matrimonium in tali ratione, & Sacerdoti subministrant materiam, cui applicet formam nomine & vice Christi. Unde si Florentinum voluisset definire contrarium, dixisset causa efficiens Sacramenti matrimonii, non solum matrimonii. Concludimus quoque, matrimonia clandestina ante Concilium Trid. non fuisse vera Sacramenta, adeoque quando dicit idem Concilium illa matrimonia tunc fuisse rata, solum velit ea esse rata in ratione contractus, non itidem in ratione Sacramenti.

Objiciunt adversarii Congregationem Cardinalium in caput 1. ses. 24. Concilii Trid. quæ expressè declaravit verba parochi non pertinere ad substantiam Sacramenti matrimonii. Ad quod resp. ex inul-

torum

torum doctrina, illis declarationibus non esse habent. *Notabile*
dam fidem, nisi exhibeantur in formâ authenticâ, quoad de-
solito sigillo, & subscriptione Cardinalis præfecti &
secretarii S. Congregationis pro tempore existen-
tium prout declaravit anno 1631. 2. Augusti Urba-
nus 8. Bullam citat Dicastillo de pœnitentiâ disp.
10. num. 256. Alia de his declarationibus docet Syl-
vius hîc.

Objiciunt denique S. Thomam in 4. dist. 26. a.
 1. ad. 1. ubi absolutè docet contrarium dicens :
 verba, quibus consensus matrimonii exprimitur, sunt for-
 ma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis,
 que est quoddam sacramentale. Ad hoc Resp. ex Syl-
 vio, D. Thomam adhuc juniores, nihil in hac par-
 te voluisse certi definire. Undè aliis locis nostram
 sententiam satis innuit, & signanter supl. q. 8. a. 1.
 ubi ait : *solum ille minister Sacramentorum, in quibus*
gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi
verum, quod solus Sacerdotis est. Idem docet q. 22.
 a. 2. l. 4. contra gentes c. 73. Undè & meritò con-
 cludit Sylvius, quòd D. Thomas si summam suam
 complevisset, nobiscum censuisset : adeò ut Dominicus Soto Dominicanus in 4. dist. 1. q. 3. a. 1. ita de
 S. Thoma dicat : *plurima eorum quæ super magistrum*
sentientiarum quasi aliena congerens, commentatus est,
post maturius digesta collimavit in summa.

SECTIO VIII.

De materia & formâ Matrimonii.

DICENDUM primò, materia remota, sunt per-
 sonæ duæ diversi sexus in corpore habili, & *Materiæ*
 nullis impedimentis obstrictæ adeò ut idem hic sit *ut remo-*
materia remota, & illud quod sacramentum susci-^{ta}
pit, uti pœnitens suscipit Sacramentum pœnitentiæ,
 & peccata tamquam materiam subministrat. Mate-
 Tom. III. li ria

Materia proxima. ria verò proxima est contractus validus & justus, quo traditur potestas mutua in corpus mutuum, qui à Sacerdotis verbis tamquam formâ informatur ad collationem gratiae, & elevatur ad esse sacramentale.

Consensus contrahentium, Dicendum 2. ad contractum matrimonii necessarius est consensus contrahentium, cum soli contrahentes possint transferre jus in sua corpora. Si verò aliquando à superiori potestate injungitur, ut contrahant aliqui vel id exigente bono communis, vel aliâ justâ causâ, solum matrimonium injungitur, quod tamen non valet, nisi consensus contrahentium adveniat. Consensus verò ille contrahentium essentialiter requiritur & sufficit ad valorem matrimonii, neque requiritur parentum consensus, ut contractus matrimonii teneat, uti volunt Hæretici, quos anathematizat Ecclesia in Conc. Trid. ses. 24. c. 1. nullo enim jure eorumdem consensus exigitur, cum jure naturæ potestas transferendi jus in corpus suum, spectet ad quemlibet in particulari: undè Apostolus, *qui vult, ait, nubat.* Et Genes. 24. de Rebeccâ: *vocemus pueram, & queramus ipsius voluntatem.* Cætera, quibus abutuntur adversarii, scripturæ loca, solum insinuant, parentibus inconsulti illictum esse ad matrimonia progredi, de quo antea.

Nubentes contra voluntatem parentum. Quod si contra parentum voluntatem nuptias contrahant, si nuptiae sint indignæ, jure civili possunt exheredari, ut docent aliqui: hoc tamen per novellam 115. c. 3. §. 11. restringitur ad solas filias, quæ minores 25. annis matrimonium respuunt, parentibus interim eas dotare paratis; malentes luxuriosè vivere, aut etiam quando major 25. annis servo nubit. In Belgio autem constitutione Caroli 5. 1540. 4. Oct. cautum est, ne masculi minores 24. annis, & feminae 20. absque parentum consensu vel tutorum vel magistratus, nuptias contrahere præsumant, idque sub pœnâ submitionis ab omni donario, quovis lucro vi matrimonii &c.

Zy-

Zypæus tamen putat hic agi de nuptiis per modum raptūs, quæ dolo & malis artibus committuntur. Philippus tamen 4. 1623. 23. Novemb. minores 25. annis, sine consensu parentum, tutorumve nubentes privat omnibus emolumentis, quæ ab invicem alterutri obvenire possunt per donationem, successionem, irritans simul omnes conventiones & pacta in utilitatem alterutrius iuncta, dans simul potestatem parentibus eos exhæredandi, ne quidem aliquando quoad legitimam. Majores tamen 25. annis, hic non comprehenduntur, modo parentes ante sint agniti.

Alii tamen docent, ejusmodi jura per jus canonum esse correcta, cum jus canonicum exigat summam libertatem, & velit matrimonia concernere jus Ecclesiæ, non item jus sæculare, prout etiam vult Conc. Trid. sess. 24. canone 11. aliud tamen experientia docet, similia jura vigere, & negotium illud esse mixti fori.

SECTIO IX.

De objecto consensus Matrimonii.

DICENDUM primò, non requiritur hic consensus in copulam, cum inter D. Virginem & D. Joseph fuerit verum matrimoniū, & cum vox esset D. Virgo castitatem, non poterat in copulam consentire. Quod verò matrimoniū illud fuerit verum, paret ex eo; quod Matth. 1. & Lucae 2. dicitur Joseph esse *virum Mariæ*: hinc & S. Augustinus l. 2. de consensu Evang. c. 1. sub finem, dicit Josephum fuisse *virum Mariæ* ipsâ copulatione conjugii, quamvis sine commixtione carnis. Quod verò voverit virginitatem docet idem S. Doctor l. de S. Virginitate c. 4. & hoc colligit ex eo, quod mirabunda dixerit Angelo nuntianti, *quomodo fiet istud,*

quoniam virum non cognosco? idque quia obligata erat voto. Verba ejus sunt hæc: *priusquam conciperetur (Christus) jam Deo dicatam, de quâ nascetur elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit, QUOMODO FIET ISTUD &c: quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se antea vovisset.* Et quamquam voluerit Joseph eam occultè dimittere, nihil inde sequitur pro contrario, cùm solùm agatur de dimissione quoad thorum, & habitatiōnem: non verò quoad vinculum matrimonii. *Sic etiam SS. PP. D. Virginem sàpè vocant innuptam, sponsam &c:* eo quòd matrimonium non consummariit. Ita quoque cùm docet S. Augustinus matrimonium dici ex eo, quòd debeat ideo contrahi à feminâ & viro, ut femina mater fiat, solùm vult illam debere esse primariam intentionem, dum matrimonium initur modo ordinario: deindè, solùm assignat rationem ethymologicam matrimonii, quæ non debet semper esse convertibilis cum re vel nomine, cuius est ethymologia. Neque etiam refert, quòd Matrimonium essentialiter consistat in traditione corporum, & consequenter in ipso contractu detur jus ad usum eoruindem, quia hic sufficit jus radicale & remotum in corpora, quale etiam est, quando initio matrimonio supervenit impotentia, affinitas &c:

Obijciunt tamen aliqui, quod ergo valebit matrimonium, et si præcedat impotentia, cum quâ stat jus remotum in corpora. Resp. stante impotentia de jure naturæ posset valere matrimonium ad castè vivendum & extraordinario modo initum: aliud esset de matrimonio inito modo ordinario.

Dicunt ulterius, pactum de necanda prole, procurando abortu, dirimit matrimonium, ergo & votum servandi castitatem. Ad quod Resp. negando consequentiam, quandoquidem illa directè adversentur bono matrimonii scilicet conceptioni, & educationi prolis, non verò secundum.

Ex quibus omnibus patet verius esse, quod valeat matrimoniū.

matrimonium initum cum pacto vivendi in perpetua castitate, eo quod post initum matrimonium possit fieri tale pactum, ergo & ante. Cum enim usus rei separari possit a Dominio, verè potest transferri Dominium rei, cum pacto tali re non utendi. Nec ideo dici potest, quod simile matrimonium careat omnī effectu: facit enim, quod taliter conjugati, non possint alteri nubere, quod obligentur ad mutua obsequia &c. patet quoque falsum esse hoc cuiusdam dogma, quo docet, matrimonium initium cum pacto, quod feriis 6. abstinebunt à copula, esse nullum.

Dicendum 2. Consensus ad matrimonium requisitus potest esse conditionatus. *Consensus conditionatus.* Conditio illa de futuro, si sit necessaria, non suspendit consensum, eo quod aequivaleat conditioni de praesenti. Si sit impossibilis, & ioco sit apposita, vitiat consensum, eo quod potius significet disensem, quam assensem: & potius iocari, quam consentire presumitur ille, qui eam apponit. Si vero conditiones sint contra substantiam matrimonii, matrimonium vitiant, eo quod talis, qui eas apponit, censeatur non velle matrimonium, sicut qui vellet profiteri, & non obedire praelato. Si vero similis conditio sit de praesenti, non vitiat matrimonii contractum, v. g. contraho tecum si sis adultera, si procurasti abortum &c.

Conditio turpis, si non sit contraria substantiam matrimonii, & sit de futuro, suspendit matrimonium, v. g. contraho tecum, si velis furari &c. si vero sit de praesenti, illud non suspendit, sed si adsit, tenet matrimonium, si desit, neutiquam valet. Unde, quando communiter dicitur conditiones turpes haberi hic pro non dejectis, intelligi debet, hoc solum locum habere, quando prudenter ex circumstantiis presumitur conditionem ioco esse adjectam: si vero sit serio apposita, non erit verum matrimonium, si conditio non sit posita, quidquid judicet forum externum. Alii tamen absolute volunt, quod conditiones turpes & impossibiles ex dispositione juris habeantur

tur pro non adjectis, adeò ut similes conditiones apponentes, censeantur absolute consentire in matrimonium. Quamvis tamen in foro conscientia validum sit matrimonium sub conditione de futuro initum, non poterunt tamen illud ante conditionem positam consummare, ob periculum fornicationis, cui se consummando exponent, cum nesciant an conditio ponetur, à cuius tamen positione pendet matrimonium. Interea tamen, quo expectatur ille conditionis eventus, confert tale matrimonium, quod quando impletur conditio, non debeat contractus de novo iterari, utpote à principio validus.

Dicendum 3. positâ conditione, probabilius requiritur novus consensus de præsenti: dicit enim Pontifex cap. *Super eo* de conditionibus appos. quod conjuges sint compellendi ad contrahendum positâ conditione, quod esset falsum, cum jam anteà contraxissent. Deinde alias non videtur quomodo habebitur consensus de præsenti, qui tamen essentialiter ad matrimonium requiritur, & quidem coram Parrocho & testibus, ubi Concilium Tridentinum est receptum. Agendo tamen de eo, quod requiritur ex natura rei, verius videtur positâ conditione statim tenere dictum contractum, ut cæteros omnes conditionatos, qui positâ conditione transiunt in absolutos, etiam sine novo consensu, quo casu erit consensus ille moraliter de præsenti, uti alii contractus: quod autem compellendi sint, ad præstandum novum consensu, non provenit ex natura rei, de qua jam agimus, sed ex jure positivo.

Dicendum 4. Consensus qui postea deprehenditur fuisse nullus, adeoque matrimonium nullum, v. g. si quis sicutè contraxit, aut gravi metu injustè ad hoc incusso, debet postea de novo iterari in illis locis, ubi Concilium Trid est receptum, coram Parrocho & testibus, eo quod totum antefactum, fuerit nullum: adeò ut si postea adveniat dispensatio, sollemmodo per illam fiant personæ habiles ad contrahen-

hendum, & hoc quidem communiter, quando utriusque consensus defuit: verum in casu, quo solum defuit alterius consensus, major est difficultas; variis docent consensum utriusque debere restaurari, uti respondit Clemens VIII. admonitam comparte de nullitate matrimonii. Verum ad hoc alii reponunt, de hoc non constare authenticè, illudque dixisse Pontificem ut doctorem privatum, tamquam quid esset tutius, nolens præjudicare alteri opinioni, utpote communiori, maximè cum addat, quod debeat compars moneri de nullitate matrimonii, quod tamen semper non est necessarium. Unde probabiliter satis sustineri potest, quod solum requiratur ex parte unius renovatio consensus, modo alter consensum non retractaverit, qui proinde censetur moraliter perseverare, posita habilitate & consensu alterius.

S E C T I O X.

De consensu orto ex metu.

DICENDUM primò, consensus datus in matrimonium ex gravi metu, ad extorquendum talem consensum injustè incusso, est irritus. Probant id varia capitula, & signanter cap. *veniens*. Debet autem metus esse gravis, qualis ex conditione personæ, cui metus incutitur, & aliis circumstantiis colligi potest: quando enim quis levi metu coactus aliquid agit, libera voluntate id agere presumitur. Debet insuper esse injustè incusus, si enim metu exilii, mortis, quæ à Magistratu justè intentantur stupratori, stuprator virginem ducat, tenebit matrimonium. Debet quoque metus ille esse incusus ad extorquendum matrimonium, si enim metu mortis, naufragii, &c. A causa naturali, vel etiam à libera ad alium finem matrimonium extorqueatur, metus ille non irritabit matrimonium, cum metus ille censeatur se habere planè per accidens.

*Consensus
ex metu.*

ad matrimonium, neque metu, sed propriâ voluntate censeatur inire matrimonium.

Dicendum 2. Etsi matrimonio gravi metu injustè incusso adsit juramentum, tamen per hoc non sit validum, cum juramentum sequatur naturam contractus, cui adjungitur, qui est absolutè nullus. Praescribitur interim aliquando, ut hoc casu queratur absolute à juramento, non quasi juramentum illud fuisset validum, sed solum ad cautelam & majorem juramenti reverentiam. Huic metui aliquando æquivalere potest metus reverentialis, si sit tantus, ut meritò cadat in constantem virum. Quòd si matrimonio gravi metu contracto accedat copula facta animo maritali, & causa metus absit, erit matrimonium validum in iis locis, ubi Concilium Tridentinum non est receptum. Si verò metus adhuc adsit, non fiet matrimonium validum, nisi jam liberè in illud consentiat. Siverò non fiat animo maritali, erit fornicatio.

Porrò matrimonium tali metu contractum habet talem vim, ut metum inferens sit obligatus ad contrahendum, casu quo metum passus velit, eo quòd decepto, non deceptorj jura subserviant, adeò ut debeat expectare donec metum passus velit vel nolit.

Matrimonium gravi metu initum, jure naturae est nullum, nulla enim lex positiva illud irritat, sed irritum supponit. Deinde, æquitas naturalis non patitur, ut quis per injuriam acquirat jus in corpus alterius, unde ex involuntarietate & hac inæquitate jus naturae omnes etiam contractus dissolvit.

S E C T I O XI.

An Matrimonium sit res licita, & præcepta.

Matrimonium est res licita.

DI CENDUM primò, actus matrimonii est actus licitus, cum à Deo noscitur esse institutus: imò poterit esse actus iustitiae, & meritorius. Unde Deus actum

aetum illum subinde injunxit, illi benedixit, nuptiis interfuit, &c. Deinde, Apostolus vult juniores nubere, & detestandos ait, prohibentes nubere. Ut tamen sit aetus licitus debet adeste recta intentio, puta ut amore filiorum magis, quam libidine sibi conjungantur, de qua intentione agam, differendo de copula conjugali.

Objiciunt aliqui copulam adferre immunditiam, ut dicitur 1. Reg. 21. ubi Achimelech petit à Davide, *Si mundi sint à mulieribus viri.* Deinde postquam Apostolus 1. cor. 7. dixerat, *Vir uxori debitum reddat*, addit, hoc autem dico, secundum Indulgentiam, ergo dum conceditur venia, denotatur culpa. Ad quæ Resp. immunditiam illam esse corporis, non mentis; non peccatum, sed poenam peccati, consistentem in rebellione carnis. Ad aliud Resp. Verba illa posteriora referenda esse ad verba præcedentia, scilicet revertimini in idipsum. Primo enim imperaverat viro, uxori reddere debitum, & hortatus deinde, ut pro tempore de mutuo consensu abstineant: si vero postea velint reverti in idipsum, ne succumbant, id indulget, alias vellet omnes esse sicut seipsum.

Notandum quoque quod sèpè damnetur à variis matrimonium, sed in iis, qui matrimonii sunt incapaces, ut in Sacerdotibus, Diaconis, &c.

Dicendum 2. Initio mundi, quando genus huma-^{Matrimoni}
num ad justam multitudinem nondum erat perdu-^{nus lex.}
ctum, omnēstenebant lege matrimonii. Sicut enim quisque tenetur sese conservare in individuo, ita & humanam speciem, quod non licebat extra matrimonium: tale autem præceptum non continebant ea verba, *crescite, & multiplicamini*, cùm solum contineant benedictionem, & eadem bestiis dicta sint, præcepti incapacibus. Perducto autem genere humano ad justam multitudinem, cessavit dicta lex matrimonii quoad omnes, adeò ut in V. L. juxta D. Ang. laudata fuerit castitas nescia thori conjugalis, prout ostendit in Elia, Eliseo, Jeremia, &c. Unde etiam apud gentiles

tileſ in honore habitæ ſunt virgines veſtales. Falsa verò & iuſuſa eſt hæc Calvini doctrina, quâ ait, in com‐ment. c. 19. Matth. *Eos omnes diuino præcepto conjugium inire debere, niſi impii eſſe velint, quibus non eſt diuinus reuelatum, quod donum contineuti e habeant.*

Frivola quoque & inutilis eſt hæc cujuſdam quæſtio, an ſi omnes vii morerentur Religioſis exceptis, an Religioſi tenerentur lege matrimonii? cui reſpon‐dendum, quod non, eò quòd obligatio voti præxi‐ſtens ſit certa, obligatio autem contrahendi incerta: ſed certa obligatio non tollitur per incertam ſuper‐venientem, &c. Adde verofimiliter tunc instare finem ſeculi, quo caſu ceſſaret hoc præceptum, un‐de S. Auguſt. l. de bono conjugali, c. 10. *Vtinam om‐nes velint ab omni concubitu continere! multo citius Dei. Civitas completeretur, & acceleraretur terminus ſeculi.*

SECTIO XII.

De Polygamia.

Polyga‐
mia tri‐
plex.

POLYGAMIA eſt triplex, prima quâ vir unus fi‐mul habet plures uxores: 2. quâ uxor eadem ha‐bet ſimul plures viros: 3. quâ alter illorum ſuccellivè habet plures viros, vel plures uxores. Polygamia pri‐ma aliquando fuſt permitta v. g. Abrahæ & aliis poſt diluvium diſpenſatione diuinâ, propter propagatio‐nem generis humani. Eo tempore autem non ſolum luna erat vera uxor, & aliae concubinæ, ut quidam vo‐unt, ſed una in regimine familiæ erat prima, & ejus fi‐lli erant hæredes: reliquæ erant ſecundariae, earum‐que filii debebant aliquo munere eſſe contenti. Ab ini‐tio tamen non fuſt ſic, ſed erant duo in carne una, uii iuſtituit naturæ author. Quamqna enim ſimilis polygamia non ſit contra fineim primarium matri‐monii, qui eſt procreatio prolis: eſt tamen contra fi‐nes ſecundarios, puta contra pacem & ſocietatem conju‐galem, contra remedium concupiſcentiæ, &c.

prout

prout patet exemplo Agar & Saræ : Liæ & Rachelis, &c. Ex quo patet, quod sit quodammodo contra jus naturæ hæc polygamia, adeò ut etiam Turcæ 4. simul ducentes & cæteras quot possunt alere, reverè peccent, etsi Lex divina de monogamia illis non innotescat: unde factum Lamech primi bigami damnant SS. PP. & Nicolaus Papa eum vocat *adulterum*.

Dices ergo dari poterit dispensatio in jure naturæ, dum Deus dispensat in polygamia, quæ est contra jus naturæ. Resp. eo casu Deus propriè non dispensavit in lege naturæ, quia cum sit omnium Dominus, poterat corpus mariti tradere pluribus uxoribus: deinde aderat hic justissima causa, ob quam habere censetur hæc sese merè permissivè quoad rixas & alia inde obventura. Deinde, polygamia non repugnat juri naturæ tanquam principio vel conclusioni proximè ex eo deductæ, sed solum quod sit minus decens rerum naturam, ob incommoda inde sequi nata.

Dicendum 2. Dispensatio hæc sive propriè permisio dicta, per Christum est sublata, quando congium reduxit ad statum pristinum Matt. 19. dum dixit, Deum ab initio creasse hominem masculum & feminam, quod erunt duo in carne unâ, &c.

Dicendum 3. Polygamia secundi generis, quâ eadem uxor simul habeat plures viros, est contra jus naturæ, neque umquam permissa. Tale enim matrimonium repugnat primario fini matrimonii, ut patet in meretricibus. Repugnat itidem secundariis finibus, societati & paci domesticæ, quæ subsistere nequeunt, dum sunt plura familiæ capita, aliquando contraria imperantia, nec unum alteri vult cedere.

Dicendum 4. Polygamia tertii generis absolutè est licita. Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, ait Apostolus 1 cor. 7. verum quidem est, quod quidam canones minus laudabiliter de secundis nuptiis loquantur: quod non benedicantur: quod bigami sint irregulares, &c. non, quod ideo malæ essent eæ nuptiæ: sed quod essent signum incontinentiæ, à quo vole-

vclebat primitiva Ecclesia etiam abstineri , dum ad-
huc rigidior vigebat disciplina. Deinde Benedictiones
Vnde Bi-
gami sint
irregula-
tes. negat Ecclesia , quia ante fuit benedicta talis compars, item ne benedictiones Ecclesiae suâ numerositate vi-lescerent. Denique non omnis irregularitas est pecca-ti poena , sed hæc bigamis ab Ecclesia est instituta , eo quòd in talibus non habeatur perfecta significatio matrimonii , idest conjunctionis Christi cum Eccle-sia , tamquam unicâ suâ sponsa. Adde , sæpè dam-nari secundas nuptias , quas inibant , necdum ruptis primis , vel de quarum extincione non erant satis se-curi & certi. Peccant enim qui sine sufficienti notitiâ de morte conjugum ineunt secundas nuptias , que non habetur ex solis conjecturis aut probabilitatibus , sed fundata ratione , qua certificat operantem.

Bigamiam etiam plurimum successivè uxorum olim in Oriente prohibitam fuisse , narrat Baron: ad annum 901. adeò ut in eâ cum Leone Imp. debuerit à Rom. Pontifice dispensari. Hanctamen prohibitionem posteà auferre coacta est Ecclesia. Hinc etiam est , quòd secundæ nuptiæ aliquando notentur à SS. Patribus uti ante notatum est in S. Hieronymo sect. 6. Imò ex Spondano ad Annuni 389. constat , in multis Italie aliarumque provinciarum locis in usu fuisse , ut vidua-rum ad vota secunda transiunium matrimonia tinti-nabolorum sonitu deriderentur .

S E C T I O XIII.

De Indissolubilitate Matrimonii.

Indissolubili-
tas matri-
monii ori-
tur ex ju-
re naturæ. **D**I CENDUM primò , Indissolubilitas matrimonii verius oritur ex naturæ jure , eo quòd primarius matrimonii finis sit procreatio & educatio prolis , quam parentes eâdem naturæ lege tenentur educare , quod præstare commodè non possunt , nisi unâ com-morantes. Si verò aliundè proli sit provisum , hoc fit
merè

merè per accidens, quod non meretur hic notari, quod in lege naturæ observari debet, in qua solum attenditur, quid per se cuique conveniat, nec attendi solet ad ea, quæ per accidens hic sunt conjuncta. Unde & Romani dictante naturæ lege, 500. annis ab urbe condita, non adniuerunt repudia. His accedit lex divina, quæ dicit, *Abderebit uxori suæ*, Matth. 19. &c. 1. cor. 7. *Iis, qui matrimonio junci sunt, præcipio non ego* (ait Apostolus) *sed Dominus, à viro non discedere*: Et rursum dicit viro alligatam esse uxorem, quanto tempore vir ejus vivit. Eamdem indissolubilitatem confirmarunt Concilia Florent. & Trid. ses. 24.

Dicendum 2. Probabilius apparet, quòd Deus non dispensaverit cum Judæis in hac indissolubilitate per libellum repudii, sed quòd eorum repudium ad evitandum majus malum, & ob duritiam cordis eorum, ut ait Salvator, permiserit, prout alibi permittuntur meretricia, quæ permisso, et si excusaret à pœna, non tamen excusabat à culpa. Præcipuum hujus opinionis fundamentum est, quòd Judæis Matth. 19. rogantibus à Christo, an quacumque de causâ liceret dimittere uxorem, responderit Christus, quòd non, probans id ex prima matrimonii institutione. Deinde objicientibus illis, quid ergo Moyses mandaret libellum repudii, & demittere? Respondit Salvator: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri, PERMISIT (non mandavit) vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic.* Et licet Marci 10. Christus dicat, *Ad duritiam cordis vestri, scripsit vobis præceptum illud, to præcepit non referunt ad repudiandum, sed ad libelli scriptiōnem, præcipiebant enim scribere libellum, si vellent dimittere, non verò jubebantur eas repudiare.* Unde rectè S. Hieronymus in dictum locum: *Moyses libellum repudii dari jussit, non diffidium concedens, sed auferens homicidium.*

Porrò libellus hic scribi debebat, teste Josepho, paucissimis verbis, scilicet quod vir nollet de cætero cum ea convenire, idque ne difficultius cum alio viro possit

*Deus non
dispensa-
vit in in-
dissolubi-
litate.*

*Libellus
repudii*

Sequitur ergo ex dictis, matrimonium, quod uxor cum secundo, vivente etiamnum primo inibat, fuisse penitus nullum, quod scriptura innuit, vocans eam abominabilem & pollutam coram Domino; unde & Christus dixit, qui dimissam duxerit moechatur. Aliud erat, quoad virum, cui cum competebat jus polygamiae, poterat aliam ducere, sicuti poterat eam superducere retentâ primâ: Unde, quando Christus rursus in math. 19. dicit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit moechatur, tollit polygamiam, & reducit matrimonium ad primævum statum.*

SECTIO XIV.

An matrimonium non consummatum dissolvatur per ingressum Religionis.

DI CENDUM primò, cum Concilio Trid, ses. 24, can. 6, *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Ratio hujus concessionis est hæc, quod liceat de statu minus perfecto migrare ad perfectiorem, quando id sine alterius damno fieri potest, quod non intervenit matrimonio nondum consummato. Deinde duplex est vinculum matrimonii, spirituale unum ortum ex contractu, & carnale aliud ortum ex copula: unde sicut carnale solvitur per mortem carnalem: ita spirituale per mortem spiritualem & civilem alterius, id est per professionem, quæ est mors civilis. Facit hoc autem professio, non quatenus est solemnis & ab Ecclesia introducta, sed quatenus statuit hominem civiliter mortuum, unde aliqui id admittunt de votis Societatis IESU, cùm iura solum loquantur de professione, non faciendo vim quoad vota solemnia. Deinde soli professio, non verò ordini aut castitatis voto in seculo, hoc tribuitur,

uti

—

ut iura ordinant, cùm per illa non habeatur mors ci-
vili. Ratio verò prædictorum est, quòd Christus in-
dissolubilitatem matrimonii refundat in illud, quòd
sint duo in carne una, quod de copula intelligunt, uti
etiam quando dicitur quòd qui meretrici jungitur,
unum cùm ea corpus efficitur.

Datur vero conjugibus bimestre ut deliberare pos-
sint, an velint eo privilegio gaudere, adeò ut intra
illud tempus possint petenti negare debitum citra in-
justitiam. Si vero intræ illud tempus opprimatur con-
jux, matrimonium quidem erit consummatum &
insolubile, poterit tamen vi oppressa religionem in-
gredi, cum per injuriam alterius non debeat priva-
ri suo jure, quod habet ad ingrediendum, alter au-
tem sibi imputet, quod alteri non possit nubere.

Dicendum 2. Non potest extra hunc casum dis-
pensare Pontifex in matrimonio rato, et si causa alia
ad sit: unde causa 32. q. 8. can: *hi qui matrim*: Ni-
colaus I. dicit, quod non possit dissolvi matrimonii
a sanis contractum, licet alteri superveniat amen-
tia, castratio &c. posset autem justissimè hoc casu,
si posset aliàs hic dispensare.

Opponunt quidem communiter, factum Gregorii
XIII. qui unâ die cum XI. dispensasse hic dicitur, ad
quod Resp. eum forte secutum esse opinionem con-
trariam, neque ejus factum hic pro certa regula
esse habendum: maximè, cùm teste Pontio referen-
te Panormitanum, cum aliquis similem dispensati-
ōnei quereret ab Innocentio VIII. eam negarit Pon-
tifex: cui realleganti glossam dicentem hoc esse li-
citem, responderit Innocentius: *Maledictus, qui te*
docuit. Deinde Domin. Soto in 4. dist. 27. q. 1. a. 4,
narrat de Adriano 6. quòd cùm ab eo peteretur simi-
lis dispensatio, allegati authoritate Cajetani, mira-
eus sit Pontifex Theologum hoc sibi posse persuadere,
& tandem succumbens improbis precibus re-
spondit, se dare quantum posset, credere, tamen,
quod nihil omnino posset. Contrario tamen, ex facto
ponu-

pontificum, suam relinquimus probabilitatem.

Non sol. Dicendum 3. Falsum est & contra fidem, dissolvi
vitetur ma- vinculum matrimoniale propter adulterium compar-
trimoniū **ob adulter-** tis, ut volunt Hæretici, multò minus quotiescumque
rium al- mulier sese viro non accommodat de quo vide Con-
terius. Trid. ses. 24. can. 7. unde quando Christus dicit, qui-
 cumque uxorem dimiserit, nisi fornicationis causā,
 non innuit aut dicit, quod propter fornicationem vin-
 culum matrimonii dissolvi possit, sed solum quod eo
 casu dimissio possit permitti, non intendens docere,
 id esse licitum, ut ante diximus. Si verò aliqui Cano-
 nes aut SS. PP. videantur docere contrarium, solum
 intelligendi sunt de dissolutione vinculi quoad thorum
 & cohabitationem.

Matrimo- Dicendum 4. Matrimonium etiam consummatum
nium al- dissolvitur, quando alter infidelium convertitur ad
tero infi- fidem, & alter non vult cum eo habitare sine con-
dels con- tumelia creatoris. Docet hoc Apostolus 1. cor. 7. ubi
verso. ait: *Si infidelis discedit* (idest nolit cum fideli habitare,
 aut non sine contumelia creatoris) *discedat: non enim*
servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi. Si ve-
 rò velit infidelis pacificè cohabitare, sed non con-
 verti, euidem fideli discedere licet, ex præscripto
 Apostoli, imò in aliquibus Regnis, inhibetur ne cum
 tali infideli fideli cohabitet. Non potest tamen con-
 versu transire ad secundas nuptias, nisi moraliter si-
 bi certò constet, quod infidelis maneat obstinatus,
 nec velit converti: unde infideli roganti certum tem-
 pus ad deliberandum, debet illud ei concedi. Solvi-
 tur verò prius matrimonium eo ipso, quo initur se-
 cundum: an verò tale matrimonium quoque dissol-
 vatur per professionem aut susceptionem S. Ordinis,
 non ita convenit inter Doctores: docent aliqui quod
 sic, eo quod professio sit fortius vinculum, quam vin-
 culum matrimonii. Verum cùm sententia hæc, nullo
 jure sit fundata, non valet hīc argumentatio à fortiori.
 Datur enim illud dictum privilegium converso, ne
 deberet semper manere cœlebs, adeòque conversio
 fieret

Si eret illi onerosa, quæ ratio cessat, quando proficitur, aut ordinem S. suscipit, & solutio matrimonii serviret solis pertinacibus.

In casu vero dictæ solutionis, liberi cum infideli procreati, si habeant rationis usum, relinquendi sunt suo arbitrio, si verò eo careant, assignandi sunt converso. Ita Conc. Tolet. 4.

SECTIO XV.

De Divortio.

DICENDUM primò, cum Concilio Trid. sel. 24. Can. 8. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Est contra Hæreticos nullum divortium agnoscentes, nisi quoad vinculum. Causæ verò ob quas possit fieri divortium, prima est fornicatio, *Qui enim tenet adulteram (quoad habitacionem & thorum)* Stultus est, & insipiens, ait sapiens *Potest fieri prov. 18. ratio hujus est, quod conjuges jure naturæ ri- quoad corpora mutua sint æqualis juris, quod jus, si rsum ob alter violet, etiam alter non tenetur illud amplius ser- fornicatio nem, vare alteri; Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Hoc tamen notandum nomine fornicationis hic non intelligi procurationem abortus, intersectionem fœtus, cum illa propriè ad homicidium spectent, nullo modo ad fornicationem. Deinde, si adulterium sit quidem notum parti innocentì, quod tamen probare non posset, satis quidem est, ad negandum debitum, non tamen ad faciendum divortium, non enim licet peccatorem occultum infamare, nec nisi judex potest publicam pœnam irrogare, idque pro crimine juridicè probato, nisi foret notorium.

Secunda causa divortii est continentia perpetua & *Item ob crimen, v.g. si uterque conjux continetiam voyeat, perpetua aut confor-*

tiam & crimen. aut religionem ingrediatur; crimen verò, ultra fornicationem comprehendit hīc Apostasiam, Hæresim, Impietatem, Latrocinium, Sacrilegium, ob quæ crima jure defensionis licet innocentia abdicare nocentem conjugem, ne sibi aut prolibus dannata eveniant: quæ si non timeantur, supportanda est compars cum patientia. Unde si ob illa crima dimissus, constiterit eum esse emendatum, debet absolute recipi, uti præcepit Urbanus III. extrav. de divortiis. Ratio est, quod cessante criminis, cœlet contagionis periculum, cui per divortium jure defensionis obviatur.

Huic annexi potest periculum grave, tum corpori, tum animæ impendens, quod sub hoc criminis comprehenditur, v. g. si foveat compars assiduas rixas, si lepræ aut morbo gallico laboret, si inducat suam compartem ad gravia scelera, v. g. si sit leno suæ uxoris, &c.

Si tamen alter conjux quoque adulteretur, si vir mulierem prostituerit, si alter alterius criminis sit conscient, vel etiam si alter diu negaverit debitum suæ comparti, ex qua negatione compars adultera ta est, si vi uxor oppressa sit; his imquam casibus ne quidem ob adulterium poterit conjux dimitti, tum quod juxta regulam juris paria crima, pari compensatione deleantur: tum quod aliis casibus pars altera instigando, & aliâ viâ fuerit causa criminis admissi, unde poena principaliter in illam redundat.

Notandum quoque quod ob fornicationem non debeat necessariò pars innocens nocentem dimittere, sed hoc ei liberum erit: Imò si aliqua poenitentiæ signa det pars noxia, charitati consulet, si eamdem retineat, maximè cum ex divortio periculum gravioris mali soleat meritò timeri, puta desperationis, adulterii, &c. Si tamem compartis adulterium aut crimen esset notorium, teneretur pars innocens eam dimittere, ne ejus turpitudini videretur consentire:

Unde

Unde ante dictum est, Qui tenet adulteram, stultus est,
Prov. 18.

Dicendum 2. Ad faciendum divertium, non exigitur sententia judicis, neque quoad thorum, neque quoad cohabitationem in foro conscientia. Ratio est, quod facultas illa detur in Evangelio, ob adulterum præsertim notorium. Talis enim facultas involvitur in contractu matrimonii, scilicet si fides servetur, & sit pacificæ cohabitationis. In foro tamen externo requiritur omnino sententia judicis, ad obviandum scandalis, sive perse, sive occasionaliter ex ea separatione sequi natis.

Dicendum 3. Facto divortio , pars innocens potest vovere castitatem vel religionem ingredi , ut statuunt jura , eo quod pars innocens sit libera à cohabitatione , votum verò vel Religio , matrimonii vinculum non solvit , sed solum cohabitationem , à quâ libera est pars innocens . Pars verò nocens non potest ita statum mutare , nisi consultâ prius & ariuente parte innocentis , nisi pars innocens statum immutabilem jam suscepisset : divortium enim solum est in favorem innocentis . Hinc profectio facta à nocente , contra voluntatem innocentis nulla est , ordinatio talis illicita , &c.

Dicendum 4. Facto divortio potest fieri reconcilia-
tio , sicut enim non debet quis partem nocentem re-
pellere , ita poterit eamdem recipere , unde in senten-
tia divortii addi solet : *Donec Spiritus Sancti gratia dis-
fidentes reconciliat.* Si verò pars innocens reconciliari
velit, tenetur pars nocens , cum divortium factum sit
in gratiam innocentis.

S E C T I O X V L

De Debito Conjugali.

DE B I T U M C o n j u g a l e , e s t c o n c u b i t u s m a r i t a l i s alteri ab altero debitus ex justitia , quòd debitu m co m p a r t i p e t e n t i , tam expreßè , quam implicitè , reddi debet ex justitia , & sub mortali , n i f i d e b i t u m j u s t a c a u s a e x c u s e t . Unde A p o s t . 1 . C o r . 7 . u x o r i e s t m o r t a - v i r d e b i t u m r e d d a t , s i m i l i t e r a u t e m & u x o r v i r o . E t P a u l o p o s t : N o l i t e f r a u d a r e i n v i c e m . N e c s o l u m h i c a c c u s a n d a t s u n t f e m i n a e & v i r i o m n i n d negantes debitu m , sed d a i n n o s a m o r o s i t a t e illud differentes , ex quo s a p e in al tera co m p a r t e p e r i c u l u m i n c o n t i n e n t i a e , p o l l u t i o n i s , r i x a r u m , &c.

E x c u s a n - t i a à d e - b i t u m r e d - d e n d o . Dicendum 2 . V a r i a t a m e n à r e d d i t i o n e d e b i t i e x c u s a n t , scilicet generaliter j u s t a c a u s a , qualis sub- e s s e p o t e s t , si illud sine notabili d a i n n o s a f a l u t i s c o r p o r a l i s r e d d i n o n p o s s i t , v. g. si petens laboraret I e p r à , vel a l i o m o r b o c o n t a g i o s o , unde p r o v e n i - r e t p e r i c u l u m c o n t a g i i . A n a u t e m t a l e p e r i c u l u m s ü b s i t , m e d i c o r u m e s t jü d i c a r e . A l i u d e s s e t , si a n t e m a t r i m o n i u m i n i t u m , s c i v i s s e t c o m p a r t e m t a l i m o r b o l a b o r a r e , q u o c a s u c e n s e r e t u r a l s e s e o b l i g a s s e ad r e d d e n d u m d e b i t u m e o q u o q u e c a s u .

Excusat quoque negantem , si petatur debitu m i n a m e n t i a , e b r i t a t e , aut aliàs e x t r à r a t i o n i s u s u m , debet enim debitu m peti modo humano ut tali , ad hoc ut obliget . Excipe tamen , n i f i s e p e r i c u l u m i n c o n t i n e n t i a e e x t a l i negatione .

Excusantur insuper ex dictis conjuges à redditio n e d e b i t i , i n t r a p r i m u m b i m e s t r e , q u o d c o n j u g i b u s d a t u r a d d e l i b e r a n d u m .

Dicendum 3 . N i m i a m u l t i p l i c a t i o p r o l i u m n o n v i d e t u r p e r s e e x c u s a r e à r e d d i t i o n e d e b i t i , c u m c o n j u g e s c e n s e a n t u r s e o b l i g a r e , a d t o t p r o l e s p r o c r e a n - d a s ,

das, quot natura & lex matrimonii permittit. Si tamen ex tali numerositate grave damnum conjugibus immineret, docent plurimi eam eo casu excusare à redditione debiti: Aliud est de communibus pauperibus, paupertati jam assuetis, quibus ex copiosiore prole paupertas non ita intenditur.

Dicendum 4. Excusantur quoque conjuges à redditione debiti, si ex redditione timeatur malum proli jam conceptæ, vel ne posset concipi, ex qua parte quoque sæpè peccant debitum redditentes, maxime uxores gravidæ. Aliud esset, si ex negatione immineret periculum incontinentiae in comparte petente. De tempore purgationis post partum, docent plurimi, intemperantiam sapere eo tempore copulari. Idem aliqui docent de tempore lactationis, eo quod ex copula sit periculum proli educandæ. Verum huic periculo abunde obviatur, si proles detur alteri educanda, neque etiam tantum illic timetur periculum **ex copula** moderata, de quo Physici disceptent.

Dicendum 5. Redditur concubitus illicitus ex parte loci, in quo committitur, v. g. si in publico, ob periculum scandali: si in sacro, ob irreverentiam. Redditur quoque illicitus ex parte modi, si talis sit concubentium situs, ut sit periculum effusionis seminis, ex quo execranda illa Mahometi regula: *uxores vestrae sunt aratura vobis: indite araturam vestram ad libitum.* Hæc autem ad sodomitiam pertinent. Varia tamen naturalem concubitus siti invariare possunt justa de causa, v. g. ne fœtus occidatur, ob viri pinguendinem, &c.

Sæpe quoque redditur illicitus concubitus **ex parte** fuis, unde sit,

SECTIO XVII.

Quo fine beat fieri copulae

DICENDUM I. cum S. Augustino Enchridii 78. *Concubitus necessarius causâ generandi, inculpabilis & solus ipse nuptialis est; ille autem qui ultra illam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur.* Huic adde finem illum, ut alteri debitum petenti satisfiat. Ex *Copula* hac data Doctrina sequitur primò, copulam habitam habita ob satiandæ propriæ concupiscentiæ causâ esse peccatum, *solam de-* *saltem veniale: apertè id docet idem Doctor l. 5. de bo-* *testato-* *nem, est no conjug. c. 6. ubi ait: Conjugalis concubitus generandi* *peccatum gratiâ, non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ cau-* *veniale, sed tamen cum conjugi, propter fidem thori, veniale habet culpam.* Et hanc copulam, quæ sit ob incontinentiam, secundum veniam concedit Apostolus, dum autem concedit veniam, evidenter denotat culpam. Ratio hujus est, quod, qui solius concupiscentiæ sedandæ causâ suæ comparti conjungitur, is solius delectationis fine conjungitur, quod nihil est aliud, quam libidini obsequi, & annuere, quod illa flagitat.

Sequitur secundò, malam esse copulam habitam ob solam delectationem carnalem. Notum est toti mundo, quantis conatuibus semper obstiterit hucusque pars nobis adversa in hoc punto, docens ne quidem veniale esse, commisceri conjugi ob solam delectationem, id esse in praxi tutum, contrarium ex Jansenismo ortum esse, & id genus alia, quæ quia satis manifesta, brevitatis causa prætereo. Juvat tamen doctrinam cuiusdam recentioris proferre & rejicere. Ait ille, de quo agendo de poenitentia: mihi fol. 282. Sed quæres porro, an usus conjugii propter solam delectationem sit necessarij peccatum saltem veniale: sunt qui volunt hoc indubitatum haberi, & ipsam S. Augustini Doctrinam esse contendunt. Resp. tamen ex variorum sententia (N. B.) usum

utrum illum sic posse adhiberi ad solam delectationem , ut sit ab omni peccato immunis , si nempe absit immoderatus ardor & affectus in delectationem ac modus indebitus , nec excludantur positivè alii fines honesti , ad quos actus ille ordinatur . Delectatio enim sensibilis moderata , non est per se mala , aliis numquam posset appeti . Et allegatis Pontio , Sanchez , Bonæ spei , Herinx , &c. ita concludit : Quæcum ita sint , satius videtur pluribus , hanc Doctrinam sic limitatam , ut probabilem & tutam tradere , quam eam suppressando occasionem præbere , ut actus sic exercitus cum formaliter semper peccato conjugatur : Hucusque author ille . Ad quæ resp. verissimè & indubitate secundum S. Augustinum illud esse veniale . En loca ejusdem clarissima : primo enim l. de pecc. orig. c. 38. ita ait : *Concupiscentia non nocebit (baptisatis) nisi cum eā malè utuntur: non solum in omnibus illicitis corruptelis, verum etiam in ipsis conjugibus, quando non propagandi voluntate, operam creandis filiis impendunt, sed lasciviendi voluptate exsaturanda cupidini inserviunt.* Quod propter vitandas fornicationes maritis & uxoris , ne fraudent invicem , nisi ex consensu ad tempus , ut orationibus vacent , secundum veniam , non secundum imperium concedit Apostolus : evidenter enim dum tribuit veniam , denotat Culpam . Et l. i. c. 4. de nuptiis : isto bono , ait , (scil. copula conjugali) malè utitur ut si ejus intentio in voluptate libidinis , non in voluntate propaginis : &c cap. 15. Aliud est non concubere , nisi sold voluntate generandi , quod non habet culpam : Aliud carnis concubendo appetere voluptatem , sed non præter conjugem , quod venialem habet culpam . Item de bono conjug. c. 6. Conjugalis concubitus generandi gratiâ non habet culpam , concupiscentia vero satiande , sed tamen cum conjugi proprie fidensi thori , veniale habet culpam . Eadem est sententia Anselmi in 1. cor. 7. Fulgentii in Epist. de debito conjugali ; Clementis Rom. Gregorii , Magistri , Alberti Magni in 4. dist. 31. a. 21. Alensis 2. p. summæ q. 147. memb. 2. D. Thomæ dist. 31. q. 2. a. 3. Bonaventuræ eadem dist. q. 3.

Neque hic aliquid excusat, quod ardor concupiscentiae sit moderatus: quomodo enim moderatus, si malum sit, quod ob illum sit? forte moderatus, quod copula ob eamdem finem exercita, limites venialis peccati, non excedat. Deinde, quomodo moderatus erit ardor ille, copulæ, in brutalí illo negotio, in quo mens humana penè absorbetur, quopacto à Philosopho vocatur *Venus Amentia pfecta?* recole illud Bernardi: *Carnis necessitatis, ut metas scire difficile, ita servatu impossibile.*

Ipsa quidem delectatio secundum se mala non est, cum & fuerit in statu innocentiae, sed illi in hoc statu obsequi, vitiosum est: sèpè cibus qui valido prodest, infirmo nocet. Numquam proinde delectatio sensibilis esse potest moderata, quamdiu propter se appetitur.


Ne ergo imposterum ut tutum & probabile venditetur, quod Sanctorum Patrum testimonio prescribitur; jure merito nuper Sanctiss. Pater Innocentius XI. proscriptis hanc: *opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Adeò ut rectè Henriquez contrariam sententiam vocarit antonomasticè. *Sententiam SS. Patrum,* cui, teste Soto in 4. dist. 31. q. 1. a. 3. *nemo Doctorum ante Majorem umquam contradixit.* Ex quo quoque patet, quo jure ab aliquibus sanæ sententiae prescrabantur, idque à variis, verè se mutuo ut grues sequentibus.

Quomodo matrimonium sit institutum in remedium concupiscentiae, non quasi ob illam solam fieri posset copula maritalis, sed quia non omnes habent donum continentiae, nec omnes capiunt verbum hoc, qui proinde mederi possunt suæ libidini per connubium, quo bene possent uti, si debitos fines & alia observarent. Quamvis autem libido illa & concupiscentia, copulæ sit adnexa, nihil obstat, cum illam conjuges sentire possint, sed minimè consentire, in tantum ut illi propter se inhærent;

quod

quod etsi difficile, necessarium est tamen, adeo ut juxta S. Aug. facilius sit eo commercio non uti, quam inculpabiliter uti.

Dicendum 3. Ex primâ conclusione S. Augustini sequitur quoque, quod illicita sit copula præcisè propter sanitatem, ut & propter alium finem, quam vel ut farisfiat justitiæ, vel ad procreandas proles in Christo. Nam ut etiam ait D. Gregorius l. 32. mor. c. 17. *tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt. cum non pro explenda libidine, sed pro fuscipienda prole miscentur.*



CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De impedimentis Matrimonii.

S E C T I O P R I M A.

Cujus si ponere impedimenta Matrimonii.

DICENDUM primò, similis potestas est potestas Ecclesiam. Hinc ait Conc. Trid. ses. 24. can. 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimientia, vel in iis constitutis errasse, anathema sit:* Hoc enim in oīni republica ad rectam gubernationem requiritur, ut illi talis potestas comperiat, sine qua recte gubernare non potest. Sic Leviticus 18. prohibebantur quoque matrimonia filiorum cum matre, noverca, sorore, &c. Unde matrimonium, ut cæteros contrahens, invalidare poterit superior auctoritas. Porro potestas hæc est spiritualis, ut potè spectans ad forum Ecclesiæ, cuius finis est felicitas æterna, ad quam leges Ecclesiæ ordinantur. Quomodo autem Ecclesia possit aliquid invariare circa matrimonium, etsi sit Sacra-

Ecclesiæ
potest po-
nere impe-
dimenta
matrimo-
nii.

Sacramentum, diximus in principio de matrimonio agendo. Potestas hæc et si sit Ecclesiæ, tamen possunt respuplicæ aliqua statuere circa matrimonia, quæ illi aliquo modo adhærent, v. g. de danda dote, de largitate sponsalium, &c.

Dicendum 2. Principes sæculares sive infideles sive fideles, possunt quoque constituere impedimenta matrimonii respectu infidelium sibi subditorum, eo quod illorum matrimonia non sint Sacra menta, sed nudi contractus, quæ matrimonia proinde Ecclesia relinquit juri naturali ac civili.

Dicendum 3. Jure antiquo impedimenta dirimentia matrimonium sunt 1. 2. quæ continentur his Versibus.

*Impedi-
menta di-
rimensia.*

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibus.
His adjunxit Concilium Trid.
Si Parochi & duplicitis desit praesentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tute.*

Cum his impedimentis, de quibus sigillatim, si matrimonium ineatur, et si ignoranter, et si quoque bona fide, erit nullum, et si non habeat culpam. Si vero revera putent subesse impedimentum dirimens, quod revera non subest, & equidem matrimonium ineunt, non videtur valere contractus matrimonii: non enim videtur, quomodo hic possit adesse seria voluntas contrahendi, si contrahant putantes subesse impedimentum matrimonium dirimens, non enim serio intenditur, quod noscitur esse impossibile.

Dicendum 4. Quicumque scientes subesse impedimentum aliquod, equidem contrahunt, peccant graviter, contraveniendo præcepto Ecclesiæ in re gravi, imo præcepto divino aliquando & naturæ. Imo si eo non obstante intendant matrimonium consummare, peccant quoque contra castitatem, non solum contra obedientiam.

SECTIO II.

De impedimento erroris.

DI CENDUM primò, error h̄c potest esse varius : *Quia error*
 1. quando erratur in persona , v. g. quando quis *dirimat*
matrimo-
nium.
 putat se contrahere cum Anna, & contrahit cum
 MARIA, 2. potest esse error qualitatis intrinsecæ : v. g.
 pulchritudinis, Virginitatis, &c. Alius potest esse er-
 ror qualitatis extrinsecæ , v. g. divitiarum , fortunæ,
 &c. Alius quoque potest esse error conditionis , v. g.
 dum quis putatur esse liber , qui tamen est servus. Er-
 ror h̄c aliquando est Antecedens, qui dat causam con-
 tractui , quem si quis scivisset adesse , noluisset contra-
 here , aliquando est consequens , qui merè incidenter
 ad contractum se habet , adeò ut eo errore nonob-
 stante , voluisset equidem contrahere.

Error ergo circa personam dirimit matrimonium :
 cùm enim persona sit objectum consensūs , si illa de-
 sit , deest consensus , ad contractum tamen essentiali-
 ter requisitus. Idem est in aliis contractibus , ubi inter-
 credit error circa substantiam. Quod in omnibus ve-
 rum est , si error ille sit antecedens : in matrimonio
 vero hoc quoque locum habet , et si error ille sit con-
 sequens , quia et si error consequens non causet invo-
 luntarium , uti facit antecedens , tamen causat non
 voluntarium negativum , ubi tamen ad matrimonium
 requiritur voluntarium positivum : hoc autem spe-
 cialiter fit in matrimonio , in quo contrahentes sunt si-
 mul objectum contractū.

Error ille jure naturæ invalidat matrimonium ,
 adeoque semper & apud omnes , necnulla positiva su-
 perioritas in eo impedimento poterit dispensare , cùm .
 nullus possit supplere deficiētē consensum essen-
 tialiter ad contractum requisitum.

Dicendum 2. Error accidentalis , sive qui versatur
 circa

circa accidentalem qualitatem per se non irritat matrimonium , nisi error ille redundet in personam . Probatur prius , quia contractus matrimonii versatur circa personas , non verò circa qualitates , quibus deficien- tibus etiamnum subsistit contractus & consensus in personam . Jure tamen positivo error qualitatis servilis dirimit matrimonium . Probatur posterius , quia quando quis ita intentionem suam restringeret , ut nolle- let contrahere , nisi cum illa , quae habet talem aut talem qualitatem , v. g. quæ esset primogenita , quo sensu dicitur error accidentalis redundare in perso- nam , matrimonii contractus defectu consensus esset nullus .

Conditio verò significat conditionem servilem . quem errorem dixi dirimere matrimonium ex jure positivo .

S E C T I O III.

De impedimento voti & Ordinis.

*Vota diri-
menta a
matrimo-
nium.*

DICENDUM primum , votum solemne dirimit ma- trimonium , uti ex privilegio vota simplicia Religiosorum Societatis IESU . Votum verò simplex im- pedit contrahendum , non tamen dirimit jam contra- etum . Quod verò votum solemne illud dirimat , fit ex jure Ecclesiæ , ex cuius dispositione , solemnitas voti est introducta , ut probavimus agendo de voto . Unde Papa in illo impedimento poterit dispensare , fa- ciendo quod persona antea inhabilis ad contrahen- dum matrimonium , ad illud fiat habilis , tollendo in- habilitatem ex voto contractam . Quando autem Conc . Trid . ses . 24 . can . 9 . videtur contrarium statue- re , solum definit illud , quod certum est , scilicet votum & ordinem dirimere matrimonium , volens ab- strahere à quæstione controversa , an votum solenne ex natura rei , an ex jure positivo dirimat matrimo- niuim .

Dicen-

Dicendum 2. cum continentia sit annexa SS. ordinibus, sequitur quod ordo matrimonium contrahendum dirimat: quod intelligi debet de Ecclesiâ Latinâ, cum Græci, et si ab ante ab uxoribus sese debuerint quoque continere, tamen etiam conjugati ordinantur validè, et si illicite, ait Arcudius in concordiâ. Impedimentum quoque hoc est ex jure Ecclesiæ, cum nulla lex divina, aut traditio hoc imponat, sed solùm Ecclesiæ Canones & præscripta. Si verò quis esset ordinatus in infantiâ, non teneatur adultus servare castitatem: non enim ex voto, ad quod emittendum non habet sufficientem libertatem: nec ex decreto Ecclesiæ, quæ illos tantum obligat, qui scienter & liberè ordines S. suscipiunt. Idem judicium esto de ordinatis ante pubertatem, qui et si vorere possint, tamen non sunt capaces præcepti continentiae adeò ardui & difficilis, sicut jure antiquo eorum professio erat invalida, ut patet ex cap. *ad nostram* de regularib. si tamen talis, postea factus pubes habeat ratum, quod circa se gerum est, omnino debet servare castitatem.

Dicendum 3. qui post votum castitatis consummatum matrimonium, poterit reddere debitum petenti, quia non obstante voto verè transstulit in alium dominium sui corporis, jam autem major est obligatio matrimonii, quam voti, cum votum importet solùm nudam promissionem, matrimonium verò actualem translationem corporum. Non tamen poterit debitum petere, eo quod, qui vorvit castitatem ante matrimonium, obligaverit se ad servandam castitatem quousque posset, id est quantum poterit sine præjudicio matrimonii, quod fiet, si quidem debitum reddat, non verò illud exigat.

Dicendum 4. potest Episcopus Belgii dispensare *Potest alio-* in voto castitatis perpetuæ, si subsit periculum spiri- quando tualis salutis, ut dicitum est in materia de voto sect. *dispensare* 3. Idem potest Episcopus ille, in votis castitatis con- *Episcopus* jugum, puta, si non obstante voto illo contraxe- *in voto* castitatis *perpetuæ*, *tantum*

rint matrimonium & illud consummaverint, poterit Episcopus dispensare ut petat debitum, idque ob periculum incontinentiae, neque datur accessus congruus ad Pontificem. Imò, et si non consummaverint matrimonium, poterit idem facere Episcopus, cum talis non debeat ingredi religionem, ut voto castitatis satisfiat, nec ad hoc se vovendo obligavit, eo quod sit res longè difficilior, undè absque dispensatione poterit consummari reddendo, & cum illâ poterit petendo: hoc tamen addunt, quod mortuâ comparte teneatur voto castitatis, eo quod dispensatio illa solum fuerit ad tempus, puta, ad vitam compartis.

Si verò votum illud sit emissum post matrimonium contractum, si quidem sit emissum absque licentiâ compartis, poterit indubie in eo dispensare Episcopus, cum illud votum sit solum castitatis partialis, puta non perendi tantum. Si verò sit de compartis consensu emissum, censem plurimi, quod etiam eo casu dispensare possit Pontifex, ob periculum incontinentiae. Alii tamen negant illud periculum, cum conjuges illi possint separari, uti quandò multo consensu castitas est promissa, & sic evitari diatum periculum. Si tamen in alterutro esset incontinentiae periculum, nec commode posset adiri superior ob aliquam causam v. g. paupertatem, posset Episcopus eo casu dispensare, utipotest cum solitus insimili necessitate, ad ineundum matrimonium, adeoque à fortiori cum illis, qui illud jam inierunt.

SECTIO IV.

De impedimento Consanguinitatis.

DICENDUM I. Cognatio est triplex: carnalis, spiritualis & legalis. Carnalis oritur ex participatione ejusdem sanguinis vel naturæ, & definitur, *vinculum per-*

personarum ab eadem stirpe descendantium, carnali propagatione contractum, vel quarum una descendit ab aliâ. Unde remotè sumus omnes cognati, eo quod omnes remotè ab unâ stirpe descendamus, puta ab Adamo.

Consanguinitas hæc distingui solet per 3. lineas, *lines est* quarum una est adscendentium, v. g. pater, avus, *sanguinis*, abavus &c. Descendentium alia, v. g. pater, filius, *natus*, nepos, pronepos &c. Collateralium denique altera, v. g. duo fratres, duo patrules ab eadē stirpe descendentes. Linea ascendentium & descendantium vocatur recta: in quâ si videre velis, quot gradus in eâ sint, hoc solum notato: tot gradibus distat unus ab alio, quot gradibus inferior descendit à superiore, vel tot gradibus à se invicem distant, quot sunt personæ unâ dempiâ, v. g. pater & filius uno gradu, avus & nepos duobus &c. In linea tamen transversâ, tot gradibus distant à se invicem, quot distant à communi stipite: sic duo fratres distant à se invicem uno gradu, eo quod uno gradu distent à patre, ut à communi stipite: filii duorum fratribus distant duobus &c. Patruus tamen & nepos dicuntur conjungi in primo gradu, & secundo gradu, cum unus distet à communi stipite uno gradu, alias duobus: ubi tamen notandum est, in hac materiâ semper attendi gradum remotiorem, undè tales absolutè dicendi sunt conjuncti in secundo gradu, ita statuit cap. *quod dilectio*. Computum quoque dictum intellige juxta jus canonicum, cum jus civile planè aliter computet, illud enim duos fratres duabus gradibus distinguit: fratrem & filium fratris tribus &c.

Dicendum 2. Etsi Communiter doceatur, consanguinitatem in primo & secundo gradu jure naturæ dirimere matrimonium, cum natura vetet revelare turpititudinem illorum, qui ita proximè nobis *natura in conjuncti* sunt: melius tamen docere videntur, qui, *validet volunt nequidem in iis gradibus jure naturæ dirimi: matrimonium, cum pater & filia, v. g. sint duo supposita diversa*

qua

quæ a natura habent potestatem sui corporis, quam proinde mutuo tradere possunt, cum propinquitas illa non repugnet fini matrimonii, nec aliunde ostendi queat, eos ex jure naturæ ad matrimonium esse inhabiles. Proinde, etsi hoc jure naturæ esset prohibitum, non tamen ideo matrimonium dirimeret, ut patet in voto simplici. Prohibitum tamen in primo gradu esse tale matrimonium, patet ex S. Amb. Epist. 66. ubi ait: *Ne pater filiam suam accipiat in uxorem interdictum est jure naturæ, interdictum lege scripta in cordibus singulorum.* Unde si urgens aedeslet causa posset Papa dispensare in conjugio inter fratrem & sororem: sicut etsi mutilatio sit illicita de jure naturæ, tamen ob bonum totius aliquando adhiberi potest & debet.

Dicendum 3. quod ad gradum tertium & quartum attinet usque quem dirimitur matrimonium, non videntur jure naturæ prohibere matrimonium, sed solo Ecclesiæ jure: patet hoc ex capt. *gāude de divorceis*, ubi Innocentius III. generaliter dicit, paganos licet contrahere in 2. & 3. gradu, eo quod legem Ecclesiæ ignorent, neque hic distinguit inter lineam rectam & transversam. Imò Sylvester V. Papa, q. 17. refert Martinum V. dispensasse cum eo, qui cum sua germana contraxerat. Denique in secundo gradu & tertio sapè dispensatum esse, testatur *experiensia*.

Cognatio spiritualis. Dicendum 4. alia est cognatio spiritualis orta ex baptismo & confirmatione. Cognatio hæc olim latius extensa, per Tridentinum sess. 24. reform. c. 2. restricta est, adeo ut tantum matrimonium dirimat, inter baptismantem vel confirmantem, & patrinos ab una parte, & baptisatum vel confirmatum ejusque parentes ab aliâ parte.

Cognatio legalis. Dicendum 5. alia denique est cognatio legalis, orta ex adoptione personæ extraneæ in filium vel filiam, certis solemnitatibus in jure præscriptis. Dirimit quoque hæc cognatio matrimonium inter adoptatum &

& adoptantem, & adoptati adscendentes usque ad 4. gradum; variant tamen in hoc authores, unde res est, satis incerta, ut satis rara.

SECTIO V.

De impedimento affinitatis.

DI CENDUM primò, affinitas est propinquitas personarum orta ex copula carnali, inter cognoscētem & consanguineos cognitae. Cum enim illi fiant per copulam una caro, consanguinei unius propter unitatem sanguinis, & naturæ, transeunt ad fines alterius, & quidem eo affinitatis gradu, quo alter distat ab altero. Stipes ergo affinitatis est persona, cum qua sit copula. Copula autem hæc debet esse de se sufficiens generationi, cum per eam solum fiant una caro, qui copulantur, unde penetratio yasis mulieris sine seminatione, spadonum, &c. Non inducunt affinitatem. Quid si affinitatis.

Dicendum 2. Oritur quoque affinitas ex copula occulta, involuntariè habita, in ebrietate, &c. Cùm hic non consideretur culpa, sed solum, quod fiant una caro, quod tamen etiam sit per copulam cum mere-trice.

Hoc tamen quoque notandum est, non oriri hīc affinitatem inter consanguineos utriusque personæ, quæ congressa est, unde duo fratres, vel filius & pater possunt ducere duas sorores, aut etiam matrem & filiam. Olim vero affinitas oriebatur ex affinitate, adeo ut consanguinei viduæ haberent affinitatem cum consanguineis viri usque ad 4. gradum, quod modò sublatum est; unde

Dicendum 3. Quod affinitas ex copula licita dirimbat matrimonium contrahendum, usque ad 4. gradum inclusivè: olim vero usque ad 7. gradum. Ex copula vero illicita dirimit, usque ad 2. inclusivè, olim vero etiam ad 7, vide de illo Conc. Trid, ses. 24. c. 4.

reform. affinitas ergo ultra gradus dictos, non dirimic matrimonium, imo ne quidem illud prohibet, ut declaravit Pius V. ut autem sciatur, undenam affinitas dignosci possit, servanda est hæc regula: quo gradu quis est cognatus viri, eodem est affinis uxori aut feminæ ab eo cognitæ, & contra.

Quo jure affinitas dirimat matrimonium. Dicendum 4. Affinitas dirimit matrimonium solo jure Ecclesiæ, adeo ut in eo possit dispensare Pontifex, ut sæpè fecit, nam Alexander VI. permisit Emmanuelli Regi Lusitaniae, ut acciperet viduam Fratris: Julius II. cum Henrico VIII. Rege Angliæ, ut duceret Catharinam Arragoniam Viduam Arthuti Fratris, à quo tamen dicunt quidam fuisse intactam, idque approbante toto terrarum orbe, quam dispensationem postea confirmavit Clemens VII. sic etiam Innocentius X. cum Rege Poloniæ dispensavuit, ut acciperet viduam fratris. Quin imo in V. L. deut. 25. præcipitur, ut frater fratri semen suscitet.

Neque objici h̄ic potest contrarium, eo quod Joannes Baptista Herodi dixerit, non licet tibi accipere uxorem fratris tui, id est viventis: & quamquam alii eum iam defunctum velint, nihil equidem obstar, cum doceant multi, id illicitum fuisse etiam in L. V. quando frater reliquerat semen, prout frater reliquerat filiam saltatricem.

S E C T I O VI.

De Impedimento Ligaminis & publicæ honestatis.

Quid sit ligamen. Dicendum primò, Per ligamen hic intellige matrimonium cum alio contractum, quod dirimere Matrimonium, patet ex dictis de polygamia.

Injustitia publica honestatis. Dicendum 2. Publica honestas, sive justitia publicæ honestatis, est propinquitas orta ex sponsalibus validis, vel ex contracto matrimonio in facie Ecclesiæ invalido. vocatur vero eo nomine, eo quod justum

justum ac honestum fuerit, tale impedimentum inducere: porrò impedimentum hoc matrimonium dirimit ordinariè tantum in primo gradu, quo sit ut sponsus de futuro, non possit contrahere cum iis, quæ sunt in primo gradu consanguineæ sponsæ. Jure antiquo verò dirimebat ad 4. gradum, & oriebatur quoque ex sponsalibus invalidis, aliter quam ex parte consensu. Sæpè huic impedimento conjungitur impedimentum affinitatis, v. g. si sponsus de futuro cognoscat sororem sponsæ, non potest foro rem illam ducere propter justitiam publicæ honestatis, nec sponsam propter affinitatem. Sitamen prius ante contracta sponsalia eam cognovisset, posset tunc cum priore contrahere, quia sponsalia cum alia ob affinitatem fuerunt nulla, adeoque non inducunt justitiæ publicæ honestatis impedimentum.

Dicendum 3. Publica honestas orta ex matrimonio valido seu etiam invalido aliter quam ex parte consensu, etiamnum juxta ius antiquum dirimit matrimonium usque ad 4^o gradum, cùm nihil circa hunc casum variaverit jus novum Concilii Trid. aut aliud jus, sed solum *Circa illud*, quod oritur ex sponsalibus, uti declaravit Pius V. in Bulla *Ad Romanum*. tit. de matrim. & spons. in 7. decret. ex quo inferunt, quod hoc impedimentum non oriatur ex matrimonio clandestino, quod nequidem habet vim sponsalium, uti agendo de sponsalibus declaravi.

SECTIO VII.

De impedimento criminis & raptus.

DICENDUM primò, crimina homicidii, adulterii & raptus aliquando matrimonium dirimunt, quæ lex justè imponitur ad vitandas cædes & adulteria inter conjuges. Ex homicidio verò oritur, quando conjux occidit suam comparem aut à complice occi-

ditur, idque ex intentione, ut pars superstes cum complice possit nubere. Ex adulterio oritur, quando adulter & adultera sibi promittunt, quod se mutuo moratuā comparte accipient in conjugem. His addi potest, duni quis nubit conjugato, cum quo numquam postea potest conjungi etiam soluto matrimonio priori.

Dicendum 2. Raptus, qui est violenta abductio de loco ad locum causā explendae libidinis vel matrimonii contrahendi, dirinuit quoque matrimonium, adeò ut inter raptam & raptorem, quamdiu rapta est sub potestate raptoris, nec loco redditia tuto, non possit subsistere matrimonium: si verò rapta à raptore sit separata, & in loco tuto & libero constituta, illum an virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, ita tamen ut raptor & ejus complices sint excommunicati, perpetuo infames, omnium dignitatum incapaces, &c. De quo agit Conc. Trid. ses. 24. c. 6. reform, ubi videtur solum agere Concilium de raptu causa matrimonii, non verò solum causā explendae libidinis. Hoc quoque notandum, quod prædictæ poenæ non concernant mulierem rapientem virum, cum expressè agat concilium de rapta, & iura soleant respicere ad casus fieri solitos, & odiosa sint restrin-genda. Hoc quoque adverti potest indifferens hic esse, sitne raptus cum violentia physica, sive morali per minas, metum, &c. Si verò fiat dolo absente violentiā, non est raptus: uti etiam, si abducatur ut vendatur v.g. erit plagiū. Quibus & hoc adde, quod ille, qui pro alio rapit feminam, possit cum ea contra-here, cum Concilium agat de solo raptore, quam-quam coöperantibus aliis graves infligat poenas.

SECTIO VIII.

De Impedimento Impotentie.

DI CENDUM primò , Impotentia hæc nihil est *Quid im-*
aliud , quam Physica inhabilitas ad copulam ge- *potentia,*
nerationi sufficientem. Oritur illa ex variis causis : ex
*naturali complexione , quæ in jure vocatur *Frigidi-**
tas : ex defectu membrorum , v. g. arctitudine femi-
næ : ex defectu ætatis : ex maleficio. Alia deinde est
impotentia perpetua , alia temporalis : alia denique
absoluta respectu cuiuslibet , alia respectiva.

His positis dicendum 2. quòd impotentia antecedens matrimonium , quæ sit perpetua , dirimat matrimonium. Patet hoc ex variis juris capitulis. Ratio verò , hujus esse potest , quòd hic deficiat essentialis materia contractus , quæ est corpus non quodlibet , sed ad generationem aptum , cùm hīc detur potestas in corpus mutuum , quæ potestatis traditio nulla est , si intersit talis potentia : si verò potentia illa superveniat , non dirimit matrimonium , eo quòd ante potestas tradita sit in materiam habilem.

Dictum tamen est in principio inhabilitas *Physica :* non enim talis potentia moralis impedit dirimendo matrimonium , uti fit quando mutuo pacto non possunt reddere debitum.

Ex dictis inferes , matrimonia à spadonibus & perfecte eunuchis , idest utroque teste carentibus contracta , esse nulla , eo quòd sint inepti ad emittendum semen. Et quamvis hoc diu dubium fuerit de eunuchis , qui possent emittere semen aliquod , vel potius humorem semini similem , contrarium tamen jam declaravit Sixtus V. eorum matrimonia districte prohibens.

Dicendum 3. Possent tamen tales impotentes extraordinario modo inire matrimonium , puta ad casu-

vivendum, cùm impedimentum illud solum dirimat matrimonium prout ordinariè initur, puta ad generationem. Unde jura permittunt impotentibus frigidis habitare apud se invicem ut frater & soror. Quod verum est agendo de jure naturæ, quandoquidem ex jure Ecclesiæ impotentes non possint quoque contrahere matrimonium ad castè vivendum.

*An her-
maphrodi-
ta posint
inire ma-
trimoniū.*

Dicendum 4. Hermaphroditæ possunt inire matrimonium juxta sexum prevalentem tantum: si vero in utroque sexu sint æquales, possunt eligere alterutrum, praestito tamen juramento judici Ecclesiastico, quod post viduationem non contrahent juxta sexum alterum: si tamen non habitâ ratione juramenti contrahant juxta alium sexum, teneret matrimonium.

*Senes, de-
crepiti,
steriles an
sint impo-
tentia.*

Dicendum 5. Steriles, senes, decrepiti, vel quando natura medicorum arte potest aptari ad generationem non censentur hic impotentes, eò quod absolutè possint consummare matrimonium per copulam de se aptam generationi, et si per accidens impedianter, puta ex qualitate aliqua vel indispositione temperamenti. Idem est de infirmis & moribundis, quos numquam à contrahendo matrimonio rejicit Ecclesia. Idem est de femina, quæ semper abortum facit, aut numquam sine periculo vitæ parit, cui et si copula sit illicita, est tamen illi possibilis.

*Impoten-
tia super-
veniens
matrimo-
nio,*

Dicendum 6. Si impotentia perpetua superveniat matrimonio, matrimonium erit penitus dissolendum. Si vero de perpetuitate sit dubium, datur triennium ad deliberandum, & videndum, num sit perpetua: Si vero intra illud tempus consummare non possint, si nolint habitare ut frater & soror, sunt omnino separandi. Facta vero separatione, potest ille qui potens est, inire aliud matrimonium: Si vero eo inito, impotens efficiatur potens, ei reddenda est conjux, eo quod impotentia presumatur fuisse solum temporalis, & substituisse matrimonium.

Dicendum 7. juxta utrumque jus, in femina ma-

trimonium ineunte, requiritur ætas 12. annorum *Æras*
 completorum, & in viro 14. itidem completorum: *conjugum*
 Jure tamen naturæ & divino, sufficit ea ætas, quæ
 valeat ad deliberatè contrahendum. Excipe tamen,
 nisi malitia suppleat ætatem, idest nisi sint citius
 apti ad generationem & doli capaces: Constat enim
 aliquando ante talem ætatem à jurerequisitam, ad-
 esse aliquando generandi potentiam, uti de Achaz
 volunt aliqui, qui juxta eos anno 11. dicitur genuis-
 se Ezechiam, & de Salomone, qui dicitur anno 10.
 genuisse Roboam.

Dicendum 8. Impotentia maleficii satis frequens *Maleficis*
 est inter conjuges. Infertur potissimum 2. modis,
 vel ope dæmonis: Vel mediis naturalibus impedi-
 tivis generationis, v. g. castratione, desiccatione,
 infrigidatione, &c. Quas artes & causas, quia op-
 timè novit eas dæmon, easdem probè noscit quan-
 doque procurare. Sic etiam dæmon efficere potest,
 ut possit quis copulari cum unâ & non cum aliâ. Mo-
 di verò quibus hîc utitur dæmon, sint penè in-
 numeri: Quidam docent, quod malefici ligulam
 conjungant sub certa verborum forma, quâ median-
 te reddit dæmon conjuges impotentes. Hoc autem fit,
 quod dæmon copulandorum corpora ita impedit, ut
 mutuo penetrare nequeant, vel per interpositionem
 corporis assumpti, vel reddendo unum alteri odiosum,
 suspiciosum immittendo morbos, prohibendo ne
 spiritus vitales mittantur ad membra generationis, se-
 men exsiccando, vigorem membra genitalis impe-
 diendo, &c. Feminam coarctando, imò aliquando
 præstigiosè membrum virile auferendo. Quomodo
 verò maleficium tolli possit, diximus de superstitione..

APPENDIX.

An Episcopi Belgii possint dispensare in impedimentis dirimentibus Matrimonii.

QUOMODO Episcopi illi dispensare possint in votu castitatis perpetuae, dictum est agendo de impedimento voti.

Possunt dispensare in impedimentis contractu circumstantiis, carissimi, &c. Dicendum ergo generaliter, posse ejusmodi Episcopos dispensare in impedimentis illis, postquam matrimonium sit contractum, si sequentes conditiones adsint: puta, si matrimonium illud sit celebratum in facie Ecclesiæ & publicum, impedimentum verò sit occultum, & sit scandalum in separatione, nec ad Pontificem sit congruus concursus, ratione paupertatis aut alterius necessitatis. Quamquam enim Episcopi non possint regulariter dispensare in lege Pontificis aut Concilii; possunt tamen in eâ dispensare, in urgenti necessitate, & quandò non patet aditus ad Superiorem, uti communiter tradunt Canonistæ. Aliqui dant rationem, eo quod Papa eam concessisset, si de eo fuisset requisitus, ob salutem animarum. Immeritò tamen aliqui hoc negant, quandò contrahentes sunt divites, cum in illis etiam possit esse urgens necessitas, tum ex eo quod nimium distent Româ; tum ex eo, quod & in illis possit subesse periculum incontinentiæ; adeoque sit eadem ratio, quæ est in pauperibus ad obtinendam dispensationem ab Episcopis.

Si verò in dicto casu gaudeant Legati Apostolici privilegio dispensandi, non poterit omnino dispensare Episcopus, eo quod Episcopo solum competit hæc potestas ratione necessitatis, quæ hoc casu cefat, dum poterit adiri superior aut ejus Vicarius.

Quæret aliquis, an hoc etiam locum habeat, dum matrimonium est malâ fide contractum. Resp. communiter

muniter quod non, quod expressè statuit Concilium Trid. sess. 24. de matrimonio cap. 5. ubi ita dicitur: *si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere presumpserit, separetur, & spe dispensationis consequenda careat.* Ratio hujus est, quod potestas dispensandi, quæ alio casu conceditur Episcopis, innitatur æquitati, quod æquum sit casu dicto ab Episcopo dispensari, quæ æquitas dicto casu cefsat, cùm Pontifex non censeatur velle favere iniqutati & fraudi, dum sub spe ejusmodi dispensationis, plurimi cum simili impedimento non timeant contrahere. Idem statuit idem Concilium, quandò matrimonium ignoranter est contractum, sed debitæ solemnitates, v. g. denuntiationes, sunt neglectæ: aliud esset, si omissæ solùm essent ex ordinarii dispensatione, cùm eo casu non contemnatur, quod requirit Concilium, ut careant spe dispensationis. Si verò solùm ex unâ parte fit malâ fide contractum matrimonium, poterit in prædicto casu dispensare Episcopus, cùm non sit æquum ob alterius delictum puniri innocentem, neque ex concilio potest colligi id sufficere, ut spe dispensationis careant: & e contrario unius bona fides sufficiat, ut proles sit legitima, & ut talis habeatur ab Ecclesiâ.

Dicendum 2. nec solum post contractum matrimonium poterit dicto casu dispensare Episcopus, sed & ante illud contrahendum. Ita Sylvius cum aliis multis, Ratio ejus est, quod possit Episcopus dispensare cum illo, qui contraxit in hoc impedimento, ergò & cum illo qui jam contrahere debet. Quod enim Episcopus possit dispensare post matrimonium est propter necessitatem, & difficultem recursum ad Pontificem, vel ejus legatum, quæ necessitas etiam esse potest ante matrimonium contractum; ergò est par ratio.

Eiusmodi autem necessitas ait Sylvius, videtur esse, si quis mortii proximus ad legitimandos liberos, vel ad restaurandum honorem, vel pro bono, aut pro compositione

*Potest
etiam di-
spensare
ante ma-
trimonium
contra-
rium.*

ne magnæ litis velit matrimonium contrahere: oblet autem impedimentum dirimens, nec possit adiri Pontifex vel ejus Legatus habens potestatem dispensandi. Item, si sponsus aut sponsa manè venit ad confessionem, & per eam deprehenditur esse inter illos impedimentum dirimens, cuius manifestatio esset causa gravis infamiae, & si non statim procedant ad contractum, alteruter aestimabitur fuisse confessus aliquod enorme peccatum, ob quod Parochus nolit, vel etiam non possit eos conjungere: jamque amici sunt in dienit illum vocati, omniaque ad nuptiale convivium parata. Rectè tamen addit idem Doctor: In hoc tamen casu videndum, an confessarius non possit scandalum & infamiam despontatorum cavere, jubenda pœnitenti ut voveat castitatem ad 1. vel 2. menses, ut interea queratur dispensatio, pœnitens autem consanguinitas & amicis dicat, se habere votum castitatis, & propstera Pastorem velle, ut expectetur dispensatio. Non dicat tamen pœnitens votum suum esse temporaneum, ne per hoc cognoscatur non esse necessariam dispensationem pontificiam: & sic urgeatur ad contrahendum non exceptat illa dispensatione. Quid si tali medio possit differri matrimonium, sine ullius gravi notâ vel infamia, donec recurratur ad S. Sedem vel Nuntium sufficienti potestate instructum, Episcopus non potest dispensare. Si vero possit quidem evitari infamia & omne dedecus per aliquam dilationem, non possit tamen esse recursus ad Pontificem vel ad eum, qui facultatem habet dispensandi, nec etiam possit matrimonium totaliter impediri sine magno scando & dedecore, poterit Episcopus dispensare: & idcirco novit Confessarii hanc canelam. Hactenus Eximus Doctor Sylvius.

*Quid si
impedimentum
matrimonio
superveniat.*

Dicendum 3. poterit quoque Episcopus dispensare in impedimentis matrimonio supervenientibus, v.g. affinitate vel spirituali cognatione, si v.g. unus cognoscat suæ conjugis consanguineam, vel si baptizet extra necessitatem suum infantem. Quæ impedimenta, etsi de se sint dirimentia, non tamen diligenter possunt matrimonium jam contractum, privant

vant tamen jure petendi debitum. Quod verò Episcopus in eo possit dispensare in casu necessitatis, & dum non potest haberi facilis recursus ad Pontificem, admittunt omnes: alii tamen addunt hoc etiam esse verum, sive recursus ille haberi possit sive non; cum Episcopi præscriptā jam dudum consuetudine, acquisierunt jurisdictionem dispensandi, & hoc satis servatur in praxi.

SECTIO IX.

De Matrimonio Clandestino.

DICENDUM primò, Matrimonium clandestinum ^{Quid} _{clandesti-} _{nūm ma-} _{trimoniu-} _{mō} est, quod clam fit, id est vel sine præsentia Parochi & testibus, vel sine denuntiationibus. Si cæteræ solemnitates hic desint, non dicitur clandestinum, sed minus solemne. Porrò ad perfectam matrimonii solennitatem requiritur I. ut triduo ante matrimonii contractum ponant se conjuges in statu gratiæ, idque per confessionem & communionem. 2. ut adsit Parochus, aut alias de ejus licentia. 3. ut ita suum declarant consensum, ut si opus esset, possent de eo testari, tum testes, tum Parochus. 4. ut non cohabitent ante benedictionem Ecclesiæ. 5. ut tres proclamationes præcedant, de quibus antea. 6. ut utrumque roget Parochus de consensu. 7. ut eosdem Cnnjungat. 8. ut in libro Parochus eorum nomina, testes, annum, mensem, Diem signet. &c. de quibus videri potest rituale.

Dicendum 2. verius appetat matrimonia clandestina ante Concilium Trid. fuisse valida in ratione contractus, et si semper fuerint illicita, & ea Ecclesia fuerint detestata, ut ait Concilium Trid. quod solum probant aliqua pontificum dicta, quæ ante Concilium Trid. talia matrimonia damnant. Falsum verò est hoc illorum dogma, quod ante Tridentinum

num non fuerit potestas Ecclesiæ ea matrimonia ira
ritandi, prout sustinuerunt etiam 40. Episcopi ad
illud concilium convocati, ut refert Diana.

Dicendum 3. Decretum hoc solum obligat in illis
locis, ubi Concilium Tridentinum est receptum,
quod an factum sit in toto Belgio & quomodo,
dictum est agendo de legibus ubi verò decretum il-
lud fuit promulgatum, et si modo inibi Catholici per-
mixti sint haereticis, ut fit in Hollandia, Gallia &c.
ubi contraria satis frequens consuetudo: tamen illâ
consuetudine contrariâ, sive potius corruptelâ, non
abrogatur vis ejus decreti, cum concilium in decreto
annullante matrimonia clandestina expresse addat,
*Quâcumque consuetudine etiam immemorabili, que potius
corruptela est, non obstante.*

Excusat tamen & Excipit Ecclesia in locis missio-
nis, de quo mox. In casu etiam mortis verius est,
quod clandestinum matrimonium non valeat, cùm
lex contractibus prescribens formam, sub qua so-
lum valent, non admittat epykiam, nisi de excep-
tione per aliam legem constet, quod hic neutquam
fit.

Parochus assistens. Dicendum 4. Parochus assistens debet esse pro-
prius qui subditorum matrimonio assistere etiam po-
test extra suam Parochiam, quia hic actus nullum
externum strepitum requirit, cujusmodi in alieno
territorio fieri prohibetur. Si verò sint alterius Pa-
rochiae sponsus & sponsa, potest assistere Parochus
alterutrius, et si soleat assistere Parochus sponsæ. Va-
gabundis assistit quilibet, ita tamen juxta Trident.

Testes matrimonii. ne assistant, nisi prius re ad ordinarium delata, &
ab eodem venia obtenta. Testes verò adhibendi,
non debent esse omni exceptione majores, quasi
contra eos in judicio non poslit excipi, sed satis est,
quod sint rationis capaces, quod possint advertere
quid agatur, & idem postea testari. Unde possunt
esse mulieres, infames, excommunicati &c. non
tamen sufficit eorum deinde præsentia mercè corporalis,

sed

sed requiritur moralis, sita in eo, quod yideant, quid agatur, & de eo possint testari. Unde non sufficit, si testes sint ebrii, amentes, dormiant &c. non debent autem ad hoc esse vocati, sed satis est, si vel casu sic assistant, imò & inviti. Idem est de præsentia Parochi.

APPENDIX.

Van Matrimonia clandestina sint irrita per totum Belgium.

DICENDUM primò, Cùm matrimonia illa ante *Matrimo-*
Concilium Trid. fuerint valida, sequitur eadem *nia clan-*
etiamnum esse valida, ubi dictum Concilium non *destina*
est promulgatum aut receptum, prout declarat ip- *sunt ubi*
sum Concilium sess. 24. de matrim. c. 1. hinc sequi- *Conc. Trid.*
tur esse etiamnum valida ejusmodi matrimonia in *non est*
Angliâ, in quâ idem Concilium non fuit receptum. *publica-*
De partibus Galliæ est major quæstio: Aliqui vo- *tum aut*
lunt ibidem clandestina matrimonia esse irrita sal-
tem ab anno 1602, uti refert ex D. de Val Lessius
casuum conscientiæ casu s. V. *Sponsalia.* Ad quod *An in*
quidam dicunt, hoc provenire ex constitutione Re- *Galliar.*
gis, non verò vi Concilii, adeò ut de eâ re etiam-
num dubitetur, quoad partes Galliæ.

Dicendum 2: Etsi, ut alibi dictum est, Conci-
lium Trid. sit publicatum in Hollandiâ & Zelandiâ *An in*
antequam illæ provinciæ ab obedientia Regis Catho- *Hollandiæ*
lici defecissent; tamen ibidem aliquando possunt va-
lere matrimonia clandestina. Desuper duos casus
expressit S. Congregatio Card. 1603. 19. Januar.
Consulta à Nuntio Apostolico per Germaniam & Bel-
gium pro matrimoniis in Hollandiâ & Zelandiâ ce-
lebratis, ut refert Chapeauville Vicarius Leodien-
sis q. 15. de matrimonio à D. Sylvio hic relatus:
Primus casus erat, si quidem alibi decretum Conci-
lii

iii esset publicatum & observatum, sed Parochialis Ecclesia proprio Parocho careat, aut Cathedralis Episcopo, nullusque adsit qui vel Parochi vel Episcopi vices suppleat, valebit matrimonium sine praesentiâ Parochi contractum, servatâ tamen formâ concilii, quantum potest, adhibitis saltem 2. testibus.

2. Casus erat, si quidem esset ibidem Parochus aut Episcopus, sed nullo constituto Vicario, & uterque metu haereticorum lateat, ita ut planè ignoretur ubinam sit, item si à Dioecesi eodem metu absint, nec ad eos detur tutus accessus: etiam validum erit matrimonium sine Parochi praesentia, adhibitâ tamen concilii formâ, ut supra. Ex quo collige, etiam valere matrimonium sine Parocco contractum, si quidem sit Parochus ab haereticis toleratus, eâ tamen conditione, ne Sacraenta administret sub gravi pœnâ, eo quod hîc non sit ad eum tutus accessus, stante tali periculo gravis pœnae. Ita Exim. D. Estius Consultus ab Illustrissimo D. Miræo Episcopo Antverpiensi respondit, teste Sylvio 1607. 19. Martii,

Dicendum 3. Cùm verò his temporibus in illis haereticorum partibus suppetant plerumque vel Parochi vel missionarii, qui facultatem assistendi matrimonia obtinent: hinc matrimonia clandestina in illis partibus regulariter sunt dicenda in valida, cum desit ratio, ob quam declarantur valida à S. Congregatione.

*Quid si
Flander
contrahat
in Anglia*

Dicendum 4. Si Flander migret in Angliam, animo ibidem habitandi, ut faciunt Scholares, mercatores, solicitantes in curiis, &c. Poteat ibidem validè contrahere clandestinè. Si verò ibidem solum transeat, volunt plurimi etiam validè contrahere, eò quod peregrini, dum domo absunt, non teneantur legibus sui loci, sed solum loci, ubi transeunt, quod etiam verum putant, etsi eo animo illuc irent ut clandestinè contraherent: Ita plurimi inter quos est Sanchez, Pontius, Coninc, Wiggers, Suarez, &c. Ratio illorum est quod illi solum utantur jure suo quod habent ad ibi clandestinè contrahendum, jam au-

autem, Nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur. ut dicitur l. Nullus videtur 55. de regulis juris. Deinde, et si eo animo illuc se conferant, nihil planè dictis obstat, cum intentio possit quidem actum facere malum, non tamen eum annullare, cum intentio maneat in mente, nec influat in opus. Ita illi.

Verius tamen docent alii cum Eximio D. Sylvio neutro dicto casu validè contrahere Flandrum ita in Angliā commorantem seu transeuntem. Ratio ejus est hæc, quod Parochiani illius Parochiæ, ubi publicatum fuit edictum Concilii Trid. irritans matrimonia clandestina, obligentur eo edicto post 30. dies à primâ publicatione: Atqui diœcesanus ille, puta Flander, est Parochianus Ecclesiæ, in quâ fuit facta ejus legis promulgatio, ergo tenetur eâ lege: Neque enim desinit esse Parochianus illius Parochiæ, eo quod aliò vadat, non animo habitandi, sed clandestinè contrahendi. Adde, quod alias non fuisse satis occursum difficultibus & incommodis, quæ vitare volebat Concilium, cum facilimè possent aliqui pro parvo tempore secedere in similem Provinciam, ubi Concilium non est publicatum, si vellet clandestinè contrahere, & sic Ecclesiam eludere. Ita quoque declaravit S. Congregatio Cardinallum 1627. 14. Aug. de simili casu consulta ab Archiepiscopo Coloniensi, quam adfert Zypæus in consult. can. l. 4. consult. 6.

SECTIO X.

De Disparitate Cultus.

DICENDUM primò, Etsi varia de hoc impedimento dicta sunt agendo alio capite de præparatione ad matrimonium, varia tamen adhuc restant dicenda. Disparitas ergo cultus hic nihil est aliud, quam si unus sit baptizatus & alter non.

Inter

inter quos, et si jus naturæ prohibeat matrimonium ob periculum perversio[n]is & peccati, & quatenus illud repugnet rectæ proli[ti]onis educationi, paci domesticæ &c. tamen jure naturæ non dirimit, cum dicta incommoda s[ecundu]m abesse possint: unde solo Ecclesiæ jure impedimentum hoc imponitur, & Papa in eo posset dispensare.

Matrimonia fidelis cum infideli acriter insectatus est S. Hieron. signanter l. 1, contra Joy. ubi ait: *Licet in me sc̄vituras sciam plurimas matronarum, licet eādem impudentiā, quā Dominum contemperunt, in me pulicem & Christianorum minimum debacchaturas, tamen dicam quod sentio: loquar quod me Apostolus docuit, non illas (nuptias) justitiae esse, sed iniuriantis: non Christi, sed Belial: non templo Dei viventis, sed fana & idola mortuorum. vis apertius discere, quod Christianæ omnino non liceat Ethnico nubere? audi eumdem Apostolum: mulier, ait, alligata est viro nubat tanum in Domino, id est Christiano. qui secundas tertiasque nuptias cedit in Domino, primas cum Ethnico prohibet. idem fecere & alii SS. P.P.*

Matrimoniū Catholicon cum heretico. Dicendum 2. Matrimonia tamen Hæreticorum cum catholicis sunt valida, uti patet ex continua Ecclesiæ praxi: Hæretici enim ob baptisma reputantur Christiani, & ob baptisma, potest eorum matrimonium esse Sacramentum. Hujusmodi tamen matrimonia sunt omnino illicita, idque tam jure Ecclesiæ, quam jure naturali. jus enim naturale dicit & monet, quod cum perverso perverteris: unde alienigenis conjungi vetat Scriptura 3. reg. 11. ubi dicitur, certissimè avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum: exempla sunt indies obvia. Huic adde subversionis, discordiarum, rixarum periculum: quomodo enim Potest conjungere charitas, si desit fides, rogat Ambrosius l. 1. c. 9. de Abraham. Testes hincdabit Hollandia. Unde mortaliler peccant ita nubentes, contraveniendo juri naturæ & Ecclesiæ in re gravi.

Excusat tamen eos Ecclesia, si sponsus convertatur

tur ad fidem, cui primitenti non debet statim adhiberi fides, cum sèpè fidem fallant potiti concupis nuptiis. Idem est si desit periculum alicujus mali, & de cætero adsit gravis causa, quæ Christiano iudicio æstimari & ponderari hic debet, considerato periculo mali imminentis, & gravitate causæ.

Dicendum 3. Illicitum est, contrahere coram Mistro Hæretico, postquam contractum antea fuit coram Sacerdote. Tales enim profitentur implicitè, & approbant Hæreticorum sectam, cum minister adhibetur ut persona sacra, quem ut talem suo facto approbat: probat hoc eorumdem formula, quæ ita lingua nostrâ sonat: *Den Vader der Permertigheydt, die u door syne genade tot desen Heylighen staet des Houwelycx geroopen heeft, verbinde u met rechte liefde ende trouwe, ende gheve u synen seghen, Amen.* Unde etiam in eorumdem rito Communicant taliter contrahentes. Deinde formula, sub qua contrahunt, cœtum eorum vocat *communitatem sanctam*, ubi tamen est sanctitatis inimica & magistra falsitatis & improbitatis. Nec dici potest, vocari ideo communitatem sanctam, quia deberet esse talis, uti vocamus alibi promotos, Doctissimos Dominos, ubi aliquando tales sunt stupidissimi asini, ut quidam opponit: quia posteriori modo tali nomine indigitantur, quia deberent & possent esse tales: eorum vero communitas non potest esse sancta. Verum quidem est, quod aliquibus hoc grave esse posset, præterire ministrum Hæreticum, sed illud parvo sumptu fieri posse pas- sim intelligimus, cui sumptui libenter & promptius indulgendum est, quam Deum offendere, parcendo tali sumptui. Parcant sumptibus in luxu, conviviis, & vestibus, hic autem temporalia æternis postponant. Hinc jure meritissimo Illustrissimus Castoriensis in suis constitutionibus folio 25. Quia autem Apostolica Sedes declaravit omnino esse illicitum, ut Catholicci contrahant coram Prædicante Acatolicco eā conjunctionis formulā, quæ apud Acatolicos solet usurpare.

*Illicitum
est contra-
herere coram
hæretico
ministro.*

baptisandi, quæ impedit matrimonium, ut susceptio de fonte illud dirimit. Volunt tamen plerique hoc impedimentum per Concilium Trid. esse sublatum, neque hodie aliqua ejusdem habetur ratio.

4. *Sponsalia*, quæ quamdiu durant, impediunt matrimonium.

5. *Votum simplex*: talis enim contrahendo violaret votum, vel poneret se in statu valde incompatibili cum yoto.

6. Enumerantur varia crimina, ut incœstus cum affine scienter admissus. 7. *Raptus alienæ sponsæ*. 8. *Uxoridium*, susceptio prolis propriæ, injusta occisio Sacerdotis, pœnitentia publica, matrimonium cum moniali, quibus criminibus, etsi jure antiquo tamquam pœna statuebatur impedimentum dirimens, contrariâ tamen consuetudine est abrogata.

Dicendum secundò, generaliter in iis impedimentis, quæ matrimonium juræ naturæ dirimunt, nulla fieri potest dispensatio propriè dicta. Quæ verò dirimunt jure divino, vel etiam inpropriè naturali, potest solus Deus, vel aliusex commissione Dei, de qua non constat. In iis quæ pendent a jure Ecclesiæ, potest dispensare Pontifex; sunt enim illa impedimenta vel juris communis scripti vel consuetudinarii, in quæ solus Papa propriè loquendo habet potestatem, quam aliquando alteri concedere posset.

Causæ verò ob quas in his dispensari posset, est bonum pacis per conjugium obtainendum, defectus paris conjugii in eodem loco, recognitio meritorum petentis dispensationem, redintegratio honoris feminæ violatae, legitimatio prolis susceptae, & ante omnia bonum fidei, & salutis æternæ conjugum, ad quam salutem tota Ecclesiæ directio tendit, & quæ omnium yotorum nostrorum sit.

F I N I S.



NOMINI TUO DOMINE DA GLORIAM.

I N D E X
PRÆCIPUARUM RERUM
ET VERBORUM.
TOMI TERTII.

A.

ASOLVERE sub conditione an, & quando
liceat. 250. Absolvi debet pénitens mori-
bundus eis nulla doloris signa de facto ostendat. 322. Absolutio neganda est consuetudi-
nariis plerumque. 344. Absolutio aliquando differenda.
352. Absolvere complicem in peccato luxuria per quam
periculosum. 357.
Accidentia quomodo maneant in Eucharistia. 148.
Adam an in statu innocentiae crediderit mysterium incarva-
tionis. 9.
Adoratio quid sit, & ejus altus. 47.
Altare quotuplex. 22 5. Ejus paramenta ibid. & seq.
Anima Purgatorii an rectè invocentur. 51.
Antichristus quis, & qualis sit futurus. 66. & seq.
Approbatio quid sit, 360. A quo debitè fieri. ibid. Qui
debeant approbari. 361. Potest approbatio restringi, re-
vocari, &c. ibid. Non sufficit approbatio petita, sed
injustè negata. 362.
Auritio an aliquando se sola justificet. 302.

B.

BAPTISMA quid sit. **96.** Quonodo sit primum Sacra-
mentorum. ibid. Quando sit institutum, & ejus ne-
cessitas. **97.** Ejus materia quæ sit. **98.** Ejus forma. **99.**
Min. 3 844

INDEX RERUM.

Que pars debeat baptisari. 100. Parvuli sunt baptisandi.
101. **A**dulti quomodo baptisandi. 102. Baptisma hereticorum. 104. Ceremonie baptismi. 105. Baptismi Partinus adhibendus qui. 107. Quis possit baptisari. ibid. & seq. Quis minister baptismi. 109. Effectus baptismi 111. Differentia baptismi Christii & Joannis Bapt. 112. & seq. Baptisma flaminis & sanguinis. 114. Quae obligatio sequatur ex baptismo. 116.

C.

CENSURA quid sit. 403. Ecclesia potest eam ferre.
404. Quis possit & in quas personas possit ferre.
405. & seq. Ob quam causam possit ferre. 408. & seq.
Quenam excusent ab incurrienda censurā. 410. An valeat
lata contra innocentem. 411. Variis modis potest ferri
412. A quo possit tolli censura. 413. & seq. Absolutio
a censuris. 421. & seq.

Cessatio à divinis quid sit. 435.

Character quid sit. 87.

Chorepiscopi qui sunt, & quomodo sublati. 461.

Chrisma quid sit 119. **E**ius benedictio à quo debeat fieri 121.

Christus quomodo assumpit hominem. 12. Fuit verus ho-

mo. 13. Quæ gratia & virtutes fuerint in Christo. 22.

Scientia Christi quæ & quanta fuerit. 26. & seq. In Christo fuit duplex voluntas. 27. An semper humana

fuerit conformis divine. 28. Christi libertas quæ & quanta. ibid. Quomodo illa consistit cum ejus impeccabi-

litate, item cum visione beatificâ. 30. Quid, quibus, & quando meruit. 31. & seq. Quâta fuerit ejus satisfactio. 35.

Quomodo pro omnibus sit mortuus. 36. & seq. Quomodo fuerit legi subjectus. 38. An haberet verum præceptum.

39. Quomodo sit Filius Patris. ibid. & seq. Oratio ejus quâme efficax 40. & seq. An in cœlis oret. 41. Sacerdos & hostia. 42. & seq. Regnum ejus, & Prophætia. 44. &

- seq. Judex & legislator. 45. Prædestinatio Christi quæ & qualis. ib. & seq. **H**umanitas Christi an possit colli latrâ. 48.

Circumcisio ad quid sit instituta. 93. Quomodo contulerit gratiam,

E T V E R B O R U M:

gratiam. 94. Quare per 40. annos in deserto fuerit omis-
sa. ibid.

Communio laica quid sit. 187. Quinam possint communica-
re. ibid. & seq. Ordo & situs communicantium. 191.
An laici debeant communicare sub utraque specie. ibid. &
seq. Quid communio peregrina. 192. An laico praestet
sepius communicare. 193. Usque ad 203.

Confessio quid sit. 306. Est de jure divino. 307. Quando
instituta. ibid. Quando & quomodo obliget. 309. &
seq. Qualiter debeat fieri, voce, &c. 312. Quomodo
debeat esse integra. 313. An confienda sint oblita, an
circumstantiae & qua. 315. Media ad peccandum an
debeant confiteri. 316. An possint confiteri imperfectio-
nes. ibid. An confienda sint peccata dubia. 317. Usque
ad 322. Quando confessio possit esse non integra. 324.
An praestet sepius, an raro confiteri. 325. & seq. Con-
fessionis minister quis & qualis esse debeat. 328. Confis-
tendi libertas non debet nimium restringi monialibus. 332.
An praestet confiteri uni & eidem. ibid. Que sint quali-
tates boni confessarii. 333. Quomodo agere debeat cum
scrupulis, idiotis, &c. 338. & seq. Quid debeat à
pænitentie inquirere. 354. Quomodo debeat juvare pæni-
tentem. ibid. Quidage quando certò scit peccatum esse
patratum, nec tamen confessum. 355. Non debet absolvire
pænitentem juxta ejus sententiam, sed juxta propriam.
356. Confessio Generalis qualis esse debeat. 357. Confes-
sarii probitas in quo sita. 358. Toties mortaliter peccat,
quoties in peccato mortali absolvit. 359. Quid debeat
agere cum illis, qui habent peccata reservata. 366. &
seq. Confessionis defectus, quomodo debeant suppleri.
368. Confessionis sigilli quid sit & quando obliget. 369.
& seq. Confessarius debet scire Canones pænitentiales.
377. & seq.

Confirmatio quid sit, quando instituta, necessitas ejus &
utilitas. 118. Que sunt ejus materia. 119. & seq. Ejus
forma. 121. Ejus minister. 122. Qui possint & debeant
confirmare. 123. Confirmationis effectus & ceremoniae.
124. Obligatio ertia ex confirmatione suscepta. 125.

INDEX RERUM.

Contritio quid sit. 152. Quale propositum importet. 253.
Quotuplex sit. ibid. An possit salutaris contritio esse sine
omni charitate. 254. Usque ad 297. Quis amor requi-
ratur ad contritionem salutarem. ibid. &c seq. Contritionis
actus est satis difficilis. 300. Contritio debet esse do-
lor summus etiam intensivus. 303. Contritio quando obli-
ges. ibid. Contritio de venialibus, de oblitis, &c. 304.
Copula ob solam voluntatem est peccatum veniale. 318. &
seq.

D.

DE POSITIO & degradatio quid sit. 435. Quomodo
degradatio fiat. 436.
Debitum conjugale negare sine causâ, est peccatum mortale.
516. Quenam ab eo reddendo excusent. ibid.
Diaconorum officium est Ecclesiasticum. 458. Diaconiſſe
quenam. 459. Unde Diaconorum arrogantia. ibid.
Divorrium ob quam causam possit fieri. 573. & seq.

E.

ECCLESIAE violatio unde sit, & quomodo concilian-
da. 221. & seq.
Epistola S. Jacobi est Canonica. 441.
Eucharistiae Sacramentum quid sit. 127. Ejus forma. ibid.
Materia ejus est panis & qualis. 128. & seq. An debeat
esse azymus. 130. & seq. Materia calicis est vinum &
quale. 133. An vino debeat necessario adhiberi aqua.
135. & seq. Materia, quomodo debeat celebrantii esse
præsens. 137. Formæ panis & vini, quid significant.
139. Quomodo Christus su verè præsens in Eucharistiâ.
146. Effectus Eucharistia. 150. & seq. Eucharistiae ne-
cessitas. 152. & seq.
Excommunicatio quid sit, & quotuplex 423. *Est sobrietate*
ferenda. ibid. *Ejus effectus.* 424. *Percussor Clerici quan-*
do excommunicetur. 425. *Excommunicatiā & quomo-*
do viandi. 429. & seq.
Extrema unctio quid sit. 440. *Est Sacramentum, quando*
&

ET VERBORUM.

¶ quare institutum 442. Materia ejus est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. 443. Quot unctiones hic sint necessariæ adhibendæ. 445. Quæ sit ejus forma, & an possit esse enunciativa. 446. Ejus minister quis sit, & an possint esse plures. 448. Debet in ægrotum habere jurisdictionem. ibid. Extrema unctionis effectus. 449. Quibus debeat administrari & quam sollicue. 450. An possit conferri sanis. ibid. Extrema unctionis necessitas. 453. Debet illud Parochus administrare etiam cum periculo vite. 454.

F.

FESTUS dies quomodo sanctificandus. 234. & seq.

G.

GENERATIO verbi divini fuit ab æterno. 8.

I.

IDIOMA quid sit 19. Communicatio idiomatum quid importet, & quomodo fiat. 20.

Incarnatio est possibilis. **L** Nullam in verbo fecit mutationem. ibid. Non potest naturaliter probari. 2. fuit conveniens & liberè facta. ibid. & seq. Incarnationis finis 6. An facta fuisset, si homo non peccasset. 7. & seq. Quomodo sit ex culpâ. 9.Ob quale peccatum lit facta. ibid. & seq.

Indulgentiæ quid sunt. 380. Quis possit illas concedere. ibid. Indulgentiarum causa & effectus. 382. An proficit defunctis. 385. Quid requiratur ad eas lucrandas. 386. & seq.

Interdictum quid & quo duplex. 434.

Irregularitas quid, & undè oriatur. 436. & seq.

Jubileum quid sit. 382. Quid requiratur ad illud lucrandum. 390.

MA.

INDEX RERUM

M.

- M**ACHABÆORUM libri an sint canonici. 391.
Martyres an sint hostia & Sacerdotes. 45.
Mariæ culius qualis esse debeat 62. & seq.
Matrimonium quid sit. 488. *Quandū sit institutum, & an sit Sacramentum.* 489. *Præparationes requisitæ ad matrimonium.* 484. *Matrimonii effectus.* 491. *An in Matrimonio possit ratio sacramenti separari à ratione contractus.* 493. *Matrimonii minister est Parochus.* 494. & seq. *Matrimonii impedimenta.* 521. usque ad 536. *An in iis possint dispensare Episcopi Belgij.* 536. *Matrimonium clandestinum quid, & an ante Concilium Trid. fuerit validum.* 530. *An sit irritum per totum Belgium.* 541. *Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis quid valeant.* 544. *Matrimonium quomodo sit institutum in remedium concupiscentiae.* 520. *Matrimonii materia.* 497. *Ad matrimonium quis requiratur consensus.* 498. & seq. *An matrimonium sit præceptum & an sit licitum.* 504. *An, & quomodo matrimonium sit indissolubile.* 508. *An aliquando possit dissolvi.* 510. & seq.
Matrimonium contrahere coram Hæretico ministro, non licet. 545. *Impedimenta matrimonium impedientia.* 546.
Melchisedech sacerdotium an fuerit Sacramentum. 95.
Missa quid sit, & quotuplex. 158. & seq. *In qua parte missæ sita sit ratio sacrificii.* 159. & seq. *Missa fructus.* 161. *An sit infiniti valoris.* 153. *Fruitus missæ, quotuplex.* 164. *Missa rubrica qua, & qualiter obligent.* 165. *earumdem explanatio usque ad fol.* 186. *Missa defectus, quomodo sint supplendi.* 205. usque ad 216. *Missarum dilatio, & anticipatio.* 229. *Missa quando & quomodo audienda.* 231. & seq.

O.

OCCASIO peccati, quid sit & quotuplex. 348. Quae sit vitanda. 349. Occasio remota qua sit. 351. Ex opere operato conferre gratiam, quid sit. 84. Oratoria quae sint, & qui possint illa erigere. 216. & seq. Ordo quid sit & an sit sacramentum. 425. Quot sint ordinates, & quid quilibet importet. 456. & seq. An omnes ordines sint sacramentum. 462. & seq. Materiae cujusque ordinis. ibid. Quis sit ordinis minister. 569. Quidejus subiectum. ibid. Ordinandi debent vocari. 570. Eorum qualitates, ibid. & seq.

P.

PAROCHORUM obligatio ad praedicandum. 238. & seq. Peccatorum reviviscientia. 244. Pœnitentia virtus 241. Sine pœnitentiâ non remittitur peccatum ne quidem veniale. 243. Pœnitentia est à Deo, nec est adeò facilis. 245. Pœnitentia est sacramentum. 247. Quando sit institutum. 247. Ejus nomina & necessitas. 248. Ejus forma. 248. Ejus sensus. 249. An possit esse deprecatoria. 250. Materia pœnitentiae. 251. & seq. Pœnitentium gradus. 308. Persona in Christo est tantum una. 11. Quid sit persona. 12. Quæ persona potuerit incarnari. 18. Quæ persona convenerit incarnari. ibid. Polygamia triplex 506. Purgatorium an detur. 391. Ubi sit. 396. Ejus pœna. 397. An sit maxima. 398. Animarum in purgatorio status. 400. Illis profundit suffragia. 401. & seq.

Q.

QUANTITAS panis an maneat in Eucharistia. 147. Quid Quaranta 385.

INDEX RERUM

R.

RESERVATIO casuum quid sit, & in quem finem. 363.
Qui possint reservare, & que possint reservari,
ibid. Qui possint a reservatis absolvere. 365.

S.

SACRAMENTUM quid sit. 69. Eorum efficacia ibid.
Differentia inter sacramenta V. & N. L. 70. Sacramentalia an causent gratiam. 71. Sacramentorum forma & materia. 71. An omnia Sacra menta à Christo sint immediatè instituta. ibid. Forma sacramentorum quomodo mutetur. 74. Minister sacramentorum principalis est Christus. 75. Quæ intentio requiratur in ministro. 76. Valor sacramenti non pendet à probitate ministri. 80. Sacra menta ab Hæretico collata an valida. 81. Quomodo sacramenta debeant suscipi. ibid. An ea liceat ministrare vel suscipere juxta sententiam probabilem. 83. Vis Sacramentorum. 84. Causa physice gratiam. 84. Effectus sacramentorum. 86. An, quæ, & quomodo reu rufiscant. 88. Quot sint Sacra menta. 90. An semper fuerint necessaria. 96.

Sacrificium quid sit. 155. Quotuplex. 156. Offerri debet so li Deo. ibid. Sacerdotes quando debeant celebrare. 227.

Sanctorum invocatio quomodo fiat. 49. An sancti cognoscant preces. 50.

Satisfactio quid sit, & an imponenda. 373. Quæ debet imponi. 374. debet esse culpa proportionata. ibid. Pote st immutari. 375. Debet necessariò adimpleri. 378.

Sponsalia quæ sunt, & quid importent. 474. & seq. Quando & ubi illa debeant fieri 478. Sponsalia clandestina an valeant. ibid. Sponsalia quomodo dissolvantur. 480. & seq. Quid sit in iis observandum. 484.

Stipendia missæ quis debet taxare. 228.

Suspensio quid & quotuplex. 432. Quomodo impeditur. 433. Quomodo auferatur. 434.

TRAN-

T.

TRANSUBSTANTIATIO quid importet. 141. & seq.

V.


UNIO hypostatica quid sit. 10. An si realiter diversa ab extremis ibid. Quomodo sit facta in naturâ. 11. Verbum an potuisse assumere naturam irrationalē 12. An ideo fuisset irrationale. 13. Quas hominis partes assump-
fit. 13. & seq. quos defectus. 15. An etiam concupi-
centiam. 17.

F I N I S.

Errata Tomi tertii sic corrigenda.

- folio 3. linea 21. finita , lege , infinita .
fol. 15. l. 11. S. August. 12. lege , 22.
fol. 20. l. 36. hinc , lege , huic.
fol. 28. l. penult. dicam in seq. lege , dictum est in an-
teced.
fol. 76. l. 22. sed ut sit , lege , sed ut ut sit.
fol. 91. l. 4. subjcere , lege , subticere.
fol. 106. l. 36. aut , lege , uti.
fol. 126. l. 1. pareat , lege , pariat.
fol. 143. l. 31. quod , lege , quot.
fol. 170. l. 19. prætectione , lege , prælectione.
fol. 209. l. 8. conficere , lege , conficiat.
fol. 214. l. 20. Jejunum , lege , Jejunus.
fol. 218. l. penult. Pontifici , lege , Pontifici.
fol. 224. l. 13. ratio , lege , rasio.
fol. 226. l. penult. celebrant , lege , celebabant.
fol. 263. l. 30. occasionalis , lege , occasionali.
fol. 290. l. 28. Theologicæ , lege , Theologiæ.
fol. 297. l. 17. mercarius , lege , Mercorus.
fol. 320. l. 14. certam , lege , certa.
fol. 388. contrito , lege , contritio.

Cetera per se facilè corriget prudens Lector.





5-1

